

OPVGNACVLVM
BABILISMI

TVS VNICVS
M PROBABILITATE

QVO

ULISMVS AB EIVS
indicatur;

OGIÆ MORALIS;
æquè, ac suaviter regen-
& Sacrorum Canonum,
Thomæ, D. Antonini,
cis, ac Matris nos-
re Patrum.

ntura, Sacra The

Palma
240 363
1372
10 racione comu
abre importante
Pase de He
del Probabilis

PROPUGNACVLVM
PROBABILISMI

TRACTATVS VNICVS
DE OPINIONVM PROBABILITATE

IN QVO

ANTIQVVS PROBABILISMVS AB EIVS
impugnatoribus vindicatur;

TRADVNTVR PRINCIPIA THEOLOGIE MORALIS;
Regiaque via sternitur ad conscientias securè æquè, ac suaviter regen-
das, inhærendo auctoritati Sacræ Scripturæ, & Sacrorum Canonum,
omninoque ad mentem D. Augustini, D. Thomæ, D. Antonini,
Seraphicæ Virginis, mysticæque Doctricis, ac Matris nos-
træ Divæ Theresiæ à Iesu, aliorumque Patrum.

*Elaboratus à P. Fr. Emmanuele à Sancto Bonaventura, Sacræ The-
logiæ Lectore, Carmelitæ Discalceato.*



CVM LICENTIA;

PAMPELONE : Apud Franciscum Picart, Typogr. & Bibliop.
ad viam Curia. Anno 1725.

MERITISSIMO GENITRICIS DEI SPONSO, PRÆCLA-
rissimo ex millibus electo, Dei possessionis inclito Principi, Virginis
Virginum coniugi Purissimo, Matrem Dei Filij umbra obumbrati, Fi-
liam Dei Patris viro dominanti, Sponsam Spiritus Sancti custodia. Cust-
todienti, Patriarchæ Patriarcarum Maximo, Salvatorem mundi sub-
ditum habenti, Patris Æterni locum tenenti, Spiritus paraclyti vicem
gerenti, Sanctissimo IOSEPHO, honoris scuto Deipara, pudicitia Cli-
peo intemerata, Angelorum Decoro Regina, Virginitatis Speculo Maria,
Verbique Dei eterni à Diaboli insidijs, defensori fidelissimo, propug-
naculo invincibili, Probabilissimi Propugnaculum. D. O. C.

Suus humilimus filius Fr. Emmanuel à Sancto Bonaventura
Carmelitarum Discalceatorum minimus.

Probabilissimus in se quidem invictus, immò toties victor, quoties
pugnatur, veretur, hodiè in novum conversus Propugnaculū,
non temerè in meo calamo vinci; ergo poscit auxilium, quod
illi dignetur opitulari. Ad quem Heroum ibit, qui suppetias
certissimè ferat? Ad quem ego ibit? Otiosa sanè nutatio: ibit,
currèt, volabit, ad te, ò Patriarcha Sanctissime, ad te de similitudine gra-
rum, qui etiam gemino Patre gaudes, ad te, qui eisdem insulis gloriaris:
obtinebit auxilia à te Patrono, quæ non assequetur à me Patre. Exposui ego
illud explorationis telis: facies tu, vt vincat, quod ego post tot perpe-
labores in aciem adduxi, vt pugnaret: à me habet discrimina, obrineat à
te trophaea.

Doleret itaque Probabilissimi Propugnaculum, si tuo careret patrocinio;
& suam scelicitatem deploraret; si ad frequentissimum virtutis asyllum sibi
aditus prohiberetur: & quidem iniquum foret, vt ubique probus inve-
nit gratiam, probum hoc propugnaculum pareretur repulsam; sed benigni-
tas tua, ò præclarissime iubar, Pater omnium communis, qua alios soles
excipere, etiam dubitantis animos confirmaret, spem erigeret, metumque
veneratione conceptum tua facilitas propulsaret. Tàm celeri profectò gra-
du in tuam properat tutelam, vt non pro munusculo misisse credar; sed in
te vltro abeuntem permisisse: suo ipse genio te in tutelarem Dominum ef-
flagitat, vt ego non tibi putem hoc genium dare; sed ipsi operi concedere.
Accedo sine temeritatis nota, pietatis commendatione securus. Si enim
templa adornare, & coronas minimo cuique licet aris appendere, cur &
non pietati obsequi videar, cum ipsos ingenij census ad te, Sanctissime
IOSEPH, deferendo, velut in Sacrum Numinum ærarium, ingenua devo-
tione contulero? Exulat timor ab amoris regno, ad suspicionis insulam re-
legatus: meticulosum silentium increpat fides, metumque despiciat cultus;
vt illegitimum reverentiæ filium. Non tuæ magnitudini, mihi conferenda
est doni exiguitas; sed tuæ benignitati, vtpotè, quæ eò magis nitet, quò
vtiliora patitur munera. Aperiente via comitate tua, quæ nulli præcluserit
aditum ingentis animi tui clementia, qua omnium animos rapis, vt hæc ti-
bi, quamquàm minima, nuncupem, persuasit: quippe cum ex eadem radi-
ce fides adolescat, & ausus, ipsum audere permittit, quod amare cogit: pie-
tas ergo tua, quæ amorem erga te omnibus indit, mihi etiam audaciam
procreat.

Me itaque, tanto obumbrante Patre indignum; dedit Propugnaculo natura Patrem, quod lex fortunatius fecit tanto fovente Patre; ut sic condignè ad te, duplici Patre gaudentem, è duplici Patre pervolet hoc Propugnaculum foeliciter obumbratum: Quod in se non habet, habeat à legis Patre; sub illius ergo umbra tuum experiatur auxilium, quod illi indignitas denegat naturæ Patris. Probabilissimus ergo si à te, Sapientissime Pater, in suo Propugnaculo aspiciatur, à nemine prorsus umquam læderetur. Me iure optimo rejiciat indignum Patrem: immò, ut ad te, non indignè perveniat, ab illius tegmine non recedat Patris, ut in lucem edat gaudens geminato Patre.

Te eia veneretur hic liber Patrem; ad te Dei verbum æternum è sinu generantis Patris accessit, tibi se subjiciendo, ut Patri, ut nobis relinquat exemplum, te in omnibus eligendi Patrem, qui naturam habuisti Patris Æterni Filium. Aliter tamen, & aliter: tutelarem namque illud te quærat Patrem, ut sis Propugnaculum Patris Æterni Filij. Istud tamen Probabilissimi Propugnaculum tanti Patris tutelam adipiscere conatur, ut te Duce, sese telis securius obijci possit. In illo coronaris, tantæ dignitatis Filio; istud exiguitatis tantæ, te coronatur, ut Patre. Nec in illo aliquid excellentius potest excogitari tibi, nec istud potest gloriari amplius.

Omnes illud allicit ad te, Beatissime IOSEPH, honorandum super hoc superno titulo Patris Christi, qui adeò excelsus est: ut quãdam præferat auctoritatem supra Christum, quo nihil sublimius dici potest. Omnes istud compellit ad hoc Propugnaculum benignè conspiciendum sub Christi Patris tutela, quæ adeò sublimis est, ut quãdam ex hac similitudine dicat participationem in Patre cum Christo, quo nihil recommendabilius excogitari debet. O Res miranda! O non sat felix fortuna! Nam sicut tibi Æternus Pater nihil amplius potuit dare, te sui Æterni Filij faciendo Patrem; sic nihil maius huic Propugnaculo adveniri potest, quàm se tui constituendo filium. Illud ex bono infinito, quod habet, te in quadam quasi infinita dignitate constituit. Istud verò ex tua humilitate, quam tangit, in summo Prædicamento se collocat. Sic ex duplici Patre talem meruisti habere Filium; ut non possit è geminato Patre hoc Propugnaculum maiorem habere Patrem.

Te, quem Domina Mundi non dedignavit appellare Dominum; Cancellario Parisiensi his verbis admirando: *O miranda prorsus, IOSEPH, sublimitas tua! O dignitas incomparabilis, ut Mater Dei, Regina Cœli, Domina Mundi appellare te Dominum, non indignum putaverit! Te, quem Mundi Salvator voluit habere Patrem: Te, cui Pater Æternus commisit Filium. Te, cui Spiritus Sanctus tradidit Sponsam, Te, cui Æternus Filius homini puro se subiecit verus Deus. Te denique, quem tota divina Trinitas talem invenit, immò, & ornavit, ut totum Incarnationis inefabile mysterium commisit celandum, & Verbum Divinum tradidit custodiendum. O quæ, & quanta excellentia tua! Quovisq; tua, ò IOSEPH Sanctissime, dignitas perveniat, nemo cognoscat. Non solum verà Theologia, sed & Fides Catholica nos docet, paternitatem, qua prima Persona Pater est Filij Unigeniti, proprietatem esse ad intra incommunicabilem: ad extra verò nulli eam communicavit per unionem hyposthaticam, ita, ut sicut ratione illius Christus verè dicitur Filius Dei Æternus, ita, & quispiam hominum Pater Æternus veraciter nominaretur. Adeò enim nomen Patris Christi sibi soli Deus reservaverat, ut diceret (2) *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*. Nihilò cecius tamen, volens te, IOSEPH admirandè, hoc indicibili honore cohonestare, Patris nomen sibi soli proprium, commune tibi fecit, paternam suam dignitatem, (quoad decenter fieri poterat) tibi communicans; immò Spiritus Sanctus; quamvis viri operam in Christi generatione divina sua virtute suppleverit, Patris nomen minimè sibi arrogavit, (ut docet Angelicus*

gelicus Præceptor, (3) sed tibi illud reliquit: unde sicut Pater Æternus in Cœlo Filio suo ait: *Sede à dextris meis* (4) *crediderim*, inquit doctissimus quidam, (5) *non semel quidem te, Filio tuo, Iesu ad mensam assidenti dixisse, Fili, sede à dextris meis*. Quid, ergo, plura? Quidni, quæso, erit, te Christi Patrem appellari? Et si revera magni Baptistæ excellentiam non partim commendat, quòd sanctè adeò viveret, ut ab Hæbreis non paucis verus Messias existimaretur, quàmvis revera non esset, non potest non, in magnam tui, Beatissime IOSEPH, honorem cedere, & commendationem, quòd Christi Pater fueris reputatus, & à Spiritu Sancto, Angelico, & Mariano ore Pater Christi appellatus fueris (6) unde audeo dicere de te, nonnulla Divi Pauli verba usurpans, (7) *Tanto maior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditasti: cui enim Angelorum aliquando dixit: Pater meus es tu?* Fateatur eia tam humana, quàm Angelica facundia tuis in laudibus decantandis omninò se imparem esse; ad tanti solum sapientiam Filij hoc per difficile committatur negotium; ipso attestante (8) *Pater nemo novit nisi Filius*. In hoc erit tua præclara laus, tua ingens læticia, nam si, ut inquit Salomon, (9) *Filius sapiens lætificat patrem: & de tuo Filio Iesu dulcissimo Apostolus concinit*, (10) *In quo sunt omnes thesauri sapientia, & scientia Dei*, cum tanti Filij sapientia sit planè infinita, non potest non tua gloria, & læticia quandam laudis, & dignitatis infinitatem inde mutuare.

Scio tamen illo Præcursore magno Baptista nullum hominum fuisse maiorem: ipsa divina veritate annuente: (11) *inter natos mulierum non superavit maior Ioanne Baptista*. Quare ergo te illo prædico maiorem, cum hominibus non assimilaris; nescio quid sis, cum talis sis, quòd maior te ipso videaris. Pulchrè ex hoc, ut colligo, Christus de Baptista dixit: inter natos mulierum non surrexisset maiorem, non verò fuisse maiorem supra natos mulierum, non supra Prophetarum laudabilem numerum, non supra Patriarcharum venerabilem cœtum, non supra gloriosum Apostolorum Chorum; non supra omnes Angelos, non denique supra Cherubin, & Seraphin, Thronos, atque universas Potestates; hoc enim tibi soli (præter Dei genitricem conjugem tuam) reservavit, qui tibi soli se subiecit Æternus Deus, Æternique Patris Filius.

Congruentiæ rationes expendam, & auctoritate dilucidè fulciam. Si enim Ioannes Baptista, ut occurreret Christo, & Christum indicaret, Christum videret, tam magnus, tam Sanctus fuit, ut Christus crederetur, ac triginta se annis, Angelicam vitam ducens, paravit, ut protenso digito ostenderet Christum posset; qua pollere sanctitate, ò IOSEPH, debuisti, qui non digito demonstraturus eras Christum, sed manibus contrectaturus, sinu excepturus, & pura eius visione beandus? Qui per fragosa illa Ægypti itinera manibus, ac brachijs illum amplexatus, tamquam magnus Atlas non semel eum portasti. Qui, ut inquit mellifluè Bernardus (12) super genuas frequerenter Puerto Iesu arrisisti. Explicet, qui potest, & tuam ad hæc officia præmissam Sanctitatem, ac puritatem, & in Dei tui amplexu, & visu cœlestem suavitatem, ac dulcedinem.

Si unica salutatione Beata Virgo sanctificavit hunc Sanctissimum Præcursorem, cumque quasi Christi Paranympum consecravit. Quantum ergo ipsa tibi assavit Sanctitatis, ò IOSEPH, crebra salutatione, immò contraria conversatione, & tot annorum colloquio? Si Magnus Abraham Patriarcha ex eo talis fuit, quòd Angelos Domini hospitio semel excepit; (13) Quis mihi dignè explicet, ò Patriarcha Sanctissime tuam sublimem magnitudinem? Qui plus Abrahamo magnus, ac omni lingua celebrandus, non Angelos, sed Angelorum Dominum, non paucis horis, sed multis annis excepisti, Deique matrem, Angelorum Reginam apud te abuisti fidelissimus utriusque Custos, & umbra. Unde Isidorus de Molanis (14) loquens de Benjamin

(1) Gens. Sermon. de Nativitate. Virg. apud Alap. in Mat. lib. I. v. 16.

(2) Ep. ad Hebr. cap. I. v. 5.

(3) D. Tho. 3. p. q. 32. art. 3.
 (4) Psal. 109. v. 1.
 (5) Cartag. to. 2. lib. 4. hom. 1.
 (6) Math. 13. Lucæ 2.
 (7) Ep. ad Hebr. cap. I. v. 5.
 (8) Math. 11. 17.
 (9) Proverb. 10. 1.
 (10) Ad Colloson. cap. 2. v. 3.
 (11) Ecclesia in eius officio ex Luca 7.
 (12) D. Bern. serm. mon. 3. in Cant.
 (13) Genes. 18. 1.
 (14) Isidor. de Isolan. land. 3. part. cap. 9.

(15)
Deuth. 33.
v. 3.

jamin (15) benedictione; pulcherrimè ait: *Quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros eius requiescet; proculdubio hæc benedictio convenit Sanctissimo IOSEPHO, præ cateris enim viris fuit Domini amantissimus, ita ut ex eius Virgine coniuge nasci voluerit, illumque Patrem vocare dignatus fuerit; in Sancti quoque IOSEPHI thalamo habitavit infans, puer, adolescens, ac iuvenis, in cuius humeris proculdubio idem Dominus Iesus infans requievit, atque in illius requievit brachijs. O! Requies! Requies veneranda! O! Brachia, brachia potentissima! In quibus suavissimè requievit; & locum amplissimum habuit; (16) qui tribus digitis appendit omnem molem terræ. Sub quorum dominio: (17) assistit Regina à dextris eius in vestitu de aurato, circumdata varietate.*

(16)
Isaia 40. v.
12.

(17)
Psal. 44. v.
10.

(18)
Apud Isidor.
de Isol. p. 4.
cap. 9.

Si Patriarcha primus IOSEPH tantam sublimitatem est adeptus, ut videret, Solem & Lunam adorare se, quis tu, qui Solem Christum, & Lunam Mariam tibi obsequentes vidisti, & quod magis stupefacit, subditos esse meruisti? Non incongruè tradam tui Filij divini Iesu locutionem, ex historijs Catholicorum Orientalium, ex Hæbreo in Latinam linguam conversis, adductam, sic se habentem. (18) Ego, inquit Iesus, conversatus fui cum IOSEPHO in omnibus, nec unquam transgressus sum verbum illius, & eram subditus illi, sicut Filij parentibus, & diligebam valdè, sicut pupillam oculi mei. Hæc Iesus: sed quid tu! O IOSEPH, & quanta tua sublimitas! Noscat, qui posset. Sedit ad vocem Iosue Sol, sed semel. Hic ad vocem tuam, IOSEPH, stat Solis Creator: non semel sed ad tui placitum. O qualis!

(19)
1. ad Corinth.
12. 28.

De Apostolis non dubito, D. Paulum dixisse: (19) *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos.* Sed ex hinc, o Sanctissime IOSEPH, tua super illos laus. Illi etenim primatum in Ecclesia obtinerunt, quia Verbum Dei evangelizatum in Mundo detulerunt, & verbis illud Gentilibus, & Hæbreis prædicarunt. Ex hoc primi. Et tu quid, qui non solum præcedentiæ temporis, sed dignitatis excellentia: Verbum Dei non evangelizarum, sed incarnatum Mundo visibiliter primus ostendisti! Et illud non verbis, sed factis modò tuis humeris in Ægypto deferendo, modò in Iudeam redundo, præfentialiter demonstrasti? Audiamus iterum præcitatum Isidorum: (20) *Plus, ait, est Christum predicare factò, quàm Verbo, sed IOSEPH Christum factis summopere prædicavit, quibus quiddam occasionem universo præstitit orbi, ut converterentur ad adorandum verum Deum hominem factum.* Ex hoc sine dubio est, quod te Doctissimus Cartagena coadiutorem Redemptionis appellat. (21) *Inique hæc Trinitas personarum nostram redemptionem operata est: Iesus ut Auctor, Maria, ut mediatrix, IOSEPH, ut coadiutor.*

(20)
Isidor. de Isol.
p. 4. cap. 3.

(21)
Cartag. to. 2.
lib. 4. hom. 5.

Præterquam quòd: duplicem primatū in ordine gratiæ, (si more Theologorum loquamur) invenio: unum in ordine gratiæ gratum facientis: aliud in ordine gratiæ vnionis hyposthatice: in primo licet ministerium Apostolarum supremum Ecclesiæ dignitatis fastigium attingat; in secundo vero, qui ex genere suo perfectior est illo, & in quo primum locum obtinet Humanitas Christi, quæ immediatè vnita esse noscitur Personæ Verbi: & secundum Beata Virgo, quæ carne Verbum indutum genuit, & peperit: tertium locum tenuisti, o Beatissime IOSEPH; tibi enim de alendo, nutriendo, educando, & protegendo Deum hominem specialis cura, nemini unquam data, divinitus fuit commissa; & fortè hoc D. Mathæus Evangelista significare voluit, semper hunc ordinem servando, nam post Iesum, & Mariam tertio loco te, IOSEPH, nominat; indicans in hoc, quòd sicut in hac nominatione tertium locum habes, eundem etiam in gratia, & Sanctitate tenes. Cum ergo in hoc excellentissimo Vnionis hyposthatice ordine infimum gradum obrineas, & infimum supremi excedat supremum infimi (ut infimus Seraphinorum excedit supremum Cherubinorum,) consequens est, ut non solum tuum ministerium, sed & gratia tanto muneri debita illorum gratiam longè superarit; & meritò quiddè, quia illorum munus ordinabatur

tur ad corpus mysticum Ecclesiæ tuendum: tui autem ministerium immediate versatur circa corpus naturale Christi nutriendum, fovendum, & protegendum. Actiones ex inde tuas vocat Alapide divinas: (22) *Quia omnes, inquit, IOSEPHI actiones erant circa Verbum incarnatum, idèdque cælestes, & divina: fuit ergo IOSEPH Angelus potius, quàm homo.*

(22)
Cornel. in
Math. 1. v.
16.

Non sinit adhuc tua, o præclarissime IOSEPH, eximia dignitas, sese namque extollit vsque ad omnes Choros Angelorum, vbi Cherubin, & Seraphin. Virtutes, Dominationes, atque Potestates, Supremæ simul enumerantur. In illa tui Patris Iacob celebri scala apertissimè ostenditur. Fugit Iacob iram fratris, anxia gressus celeritate defatigatus, & obscuris noctis tenebris præpeditus sub dio requievit tantisper, & quia scelicitas, quem promovere cepit, non semel commodis prosperitatibusque cumulat, prosequitur; ibi vidit celebratam illam sæculis scalam, & Deum faustissima promittentem, familiaritatemque gratis actionibus, & curis providentissimis indicantem. Vidit, inquam, ibi scalam illam misteriorum gradibus celsam; & Dominum scalæ innixum, quasi placidè recumberet, & laborem acubitu relevarer. (23) Ibi erat, si ad Caldaicam versionem attendamus gloria innarrabilis Dei: *Eecce gloria Domini stabat super eam.* Et qualis? Ex scalæ misteriorum apertione statim apparebit: latera namque eius Summi Principes, & Patriarchæ, teste Ruperto, erant; in gradibus novem triplici serie coordinati novem Angelorum Chori collocabantur, triplicem demonstrantes hierarchiam; (ut tenet quidam Neuthericus etuditus); (24) Summas autem scalæ, vbi gloria Dei apparebat, quæ, nisi tu, o Sanctissime IOSEPH? Ibi innixus videbatur Deus, quia homo factus, requievit super re. Totum ex Ruperto, de gloria Filij hominis sic loquente, eleganter elucidatum apparebit: (25) *Iacob autem genuit IOSEPH virum Mariæ; ecce scala illa, quæ in somno Iacob apparuit, quando parentibus obediens ibat in Syriam; scala ista, est generatio Iesu Christi, & latera scala Summi Patres, & Principes sunt huius generationis Abraham, atque David, ad quos proinde promissio facta est. Supremus scalæ gradus, cui Dominus innixus est, iste est Beatus IOSEPH vir Mariæ, de qua Iesus, qui vocatur Christus, natus est. Quomodo iste Deus, & Dominus huic innixus est? Vtique tamquam tutori pupillus, quippè, qui in Mundo sine Patre natus est; ita innixus est Beato IOSEPH, ut esset infantulo iste Pater optimus, ut huius solatio paterno puer cum Virgine puerpera sustentaretur. Hæc ille. Nunc ad te Quidni per hoc, o admirande, & supra modum venerande IOSEPH, nobis demonstratur, nisi te in supremo scalæ gradu antecellere, non solum latera scalæ, Principes, & Patres significantia, verum etiam scalæ gradus, novem Angelorum Choros, & cælestes Hierarchias continentis; ut vno ore te omnes veneremur non hominem, non Angelum, non Cherubin, non Deum. Quem ergo? Nescio: non mirum tamen, tuus enim divinus filius dumtaxat agnovit, & si nobis voluerit revelare, sciemus, & nos; non profectò alio modo. Nemo inquit divina sapientia, novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit filius revelare. ¶ Hinc absdubio re non solum amore prætulit, sed etiam præfert Maritibus, Confessoribus, Virginibus, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, ac cælestibus Angelorum Hierarchijs tua purissima coniux Dei Genitrix Maria; ut doctissimus Cartagena contempletur dicens: (26) *Cum ergo Maria, utpote perfectissima omnium coniux fuit, hoc perfectissimè observavit, consequens est plus, quàm Martires, Confessores, Virgines, Patriarchas, Profetas, Apostolos, ac cælestes Angelorum Hierarchias, IOSEPHVM Sponsum suum dilexisse adeò, ut non solum unitate vinculi connubialis, sed & ardentissimi amoris vnione vnus spiritus, unum cor, & vna anima esset cum eo. Perpendantur, obsecro, ista verba: vnus spiritus, unum cor, & vna anima esset cum eo: Si ergo ad mensuram Dei Genitricis vnum cor, vnum spiritum, & vnã animam habes, o Sanctissime IOSEPH, cum ipsa Domina Mundi, Cæli Regina, & Matre Dei: Nihil enim**

(23)
Gen. 28. 12.

(24)
Dr. D. Ludov.
vie. Gonsalv.
Pynheiro Lu.
sit. serm. de
Annunt.


(25)
Rupert. lib. 2.
de glor. Filij
hominis.

(26)
Cartag. tom.
2. lib. 4. hom.
5.

FR. Sebastianus à Conceptione, Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum B. M. V. de Monte Carmeli Primitivæ Observantiæ. De consensu nostri Diffinitorij Generalis; vt Liber, cuius titulus est: *Propugnaculum Probabilissimi*, à P. Fr. Emmanuel à Sancto Bonaventura, Moralis Theologiæ Lectore nostri Collegij Oxomensis, suis elucubrationibus acuratè elaboratus; & à gravioribus, doctisque viris nostri Ordinis (quibus ipsum videndum, & examinandum commisimus) recognitus, & approbatus, typis mandetur, & vt in lucem prodeat, obtentis facultatibus necessarijs, tenore præsentium licentiam concedimus. Data in nostro Collegio Burgenfi die decimatercia Septembris, anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo primo.

Fr. Sebastianus à Conceptione
Generalis.

Fr. Petrus à Sancto Bernardo, Secret.



Censura D. D. Ioseph Marin, & Ybañez olim in maiori Sanctæ Crucis Collegio coccinea Toga decorati, in Vallefoletana Vniuersitate Cathedra Philosophiæ Moderatoris; nunc verò, in hac alma Oxomensi Ecclesia Canonici Magistralis, Dignitatis Abbatis Sanctæ Crucis, Examinatoris Sinodalis, Visitatoris generalis in Sede-Vacante, necnon Supremi Sanctæ Cruciatæ Senatibus Indicis Subdelegati, &c.

EX commissione D. D. Hermenegildi Mozo de la Vega in maiori quondam Ovetensi Collegio Toga decorati, nunc autem in Sanctæ Oxomensi Ecclesiæ Dignitatis Abbatis D. Bartholomæi, huiusque Episcopus Provisoris, & Vicarij Generalis, &c. *Propugnaculum Probabilissimi* à Sapientissimo, Religiosissimo, Reverendoque admodum P. Fr. Emmanuele à S. Bonaventura, Carmelita Discalceato, olim in suo Burgensi Collegio Theologiæ Scholasticæ Moderatore, & modò in hoc Oxomensi Collegio B. M. de Monte Carmeli Theologiæ Moralis Lectore accuratissimè elaboratum; & in quatuor Quæstiones, quæ tot non impropiè rectæ moralitatis cardines dici queunt, mirificè distributum; non parua attentione, ingentique animi hilaritate, semel, & iterùm legi. Fœlicem me censeo, cui non expurgandi, verùm addiscenti potius, vtque meæ expectationi facerem satis, quæcitius; huius aurei operis, & vt Plinij vtat verbis, *omnibus numeris absoluti*, teria lectio fuit commissa. Diligenter consului, sagaciter lastravi, studiosè loculentum opus evolvi: sed fateor ingenuè, quid magis in eò refulpendeat, nescire. Dicam opportunè, quod Divus Ambrosius, loquens de luce, aiebat: *Plus in eo est, quod probetur aspectu, quàm quòd sermone laudari posset: suo enim vitur testimonio, non suffragio alieno.* Multa quippè in hoc volumine ex sacra pagina, iure Canonico, Sanctis PP. varijsque Auctoribus, magna lectione, & non improbo labore deprompta reperimus: verùm plurima altè denuò exagitata, subtiliterque ex proprio Marte discussa. Vbi que sanètam, vbi que floridam, & pro sedandis conscientijs rurissimam propinat doctrinam. Sanè maximè arduum est, verustis novitatem dare, novis autoritatem, obscuris lucem, dubijs claritatem. Quo ita munere fungitur Auctor egregiè, vt in offenso currat pede, qui talis Magistri vestigijs æquè solidis, ac solertibus, fidenter institerit: nam (vt Cicero de Romana erudicendi sedulitate prædicabat) *aut meliora invenit, aut inventa meliora facit.*

D. Ambr. lib. 1. exam. cap. 9.

Cicer. T. de Philoso.

Quon

enim (Novarinus addit) *ferè legimus de Maria; quod abfuerit à IOSEPHO tanta Virginis Sponsi* (27) quid de te non dicam? Quod non dico. Sufficit.

(27)
Novar. umb.
bra Virg. nu.
1080.

Tali, ac tanti Partis meum Propugnaculum tutela, & defensione munitum, in lucem prodeat audacter, necnon & sui reddat rationem confidenter. Ibi que (hoc est, in te, o Sanctissime IOSEPH) inveniat protectionem, vbi imitationem invenit. Et meritò: Propugnaculum enim ex Hebræo *Latapijioth* vertunt Septuaginta *Talpijot*, quod in *Piel* significat docere, vnde Propugnaculum vertunt: *Doctrinam, & monumenta: ed quòd turris illa, ceu pharus navigantibus portum viam transeuntibus in Urbem ostenderet.* Et sic Tigurina versio per Propugnaculum intelligit: *ad usum dirigendi homines.*

(28)
Omnia apud
Cornel. in
Cant. 4. 4.

(28) Quare non eia, per te, o IOSEPH, demonstrarentur in meo Propugnaculo *doctrina, & monumenta ad usum dirigendi homines!* Qui fuisti veritatis divinæ, quæ permanet in æternum, fidelis in Mundo demonstrator. Insuper ex hoc sub illius umbra, quem desideraveram, sedi, quoniam de ventre matris meæ Protector meus es tu. Illustratione non indiget: sat est indicari.

(29)
Novar. umb.
Virg. n. 1068

Omnibus pateat in fronte Probabilissimi Propugnaculi tuum dulcissimè nomen, pro illo strenuè dimicando, scilicet obvibrando, protegendo. De illo egregiè Novarinus proclamat (29) *latitia Cælum ipsum perfunderet hac nomen possit, debet & virtutem suam in nos quoque transmittere: fiet. si IOSEPHI discamus in virtutibus crescere.* Sed quid mirum, si Verbi divini, sapientiæ infinitæ, & Theosorum scientiæ Dei fuisti umbra, & protectio. Sub te Christus requievit, & in te: & non sub umbra esse videbatur, cum in tui sinu repositum umbra veneranda, & superna; vbi Deus quiescit, quicumque securè degit; cesset ergo, mea impolita deprecatio, & incompta locutio. Claudat, & pro me concludat Isidorus de Isolanis pulchrè hic advocans illud Genesis (30) *Requievit Deus die septimo ab omni opere, quod patrarat: & benedixit diei septimo, & sanctificavit illum, quia in illo cessaverat ab omni opere suo.*

(30)
Requievit
Deus, &c.
Genes. 2. 2.

Magna huius diei prærogativa! Singulare privilegium! Sed maius, quod concessum IOSEPHO, & magis singulare, in quo melius quam in die Sabati Deus requievit. Sed præstat Isidorum audite, sic enim ille: (31) *Benedixit autem Deus diei septimo, quia requievit in eo ab omni opere, quod patrarat. O quoties, Iesu maximè, in gremio IOSEPH quievisisti! Eius collum tuis teneris brachijs, illius hærens pectori, ac humeris; requievit ergo Deus in IOSEPH corporaliter, quievit spiritualiter per donum gratiæ gratum facientis: quievit fiducia desponsans ei manum, quievit cura, vocans illum Patrem, quievit letitia laboribus eius vivens. Vere IOSEPH magnus est. Ille dies Sabati, in quo quievit Deus gloriosus ab omni opere, quod patrarat. Felix IOSEPH, in cuius sinu Christus requievit, qui omnium est quies, omnium pax. Felix etiam Propugnaculum, quod sub tui, IOSEPH, nomine, & aspectu, dum beatur, sistit, & quiescit; & omne solatium infra istud dedignatur. Nos quoque sceleratè facit, & Pater, qui maximus Propugnaculum sub hac umbra in lucem edere facit, & Pater, qui minimus sub tali protectione illud è tenebris eruit: antevertentes pariter ambo, o Sanctissime IOSEPH, tuo patrocinio, & tui imitatione sinistram censuram, in Cælum evchamur, æterna tecum gloria fructuri: o quando! Pro votis exposulat reverenter.*

(31)
Isidor. de Isid.
3. p. cap. 1.

Tuus obsequentissimus, & humillimus servus
Fr. Emmanuel à Sancto Bonaventura,
Carmelica Discalceatus.

licentia

**

Quanta pollet in proponendis rationibus proprijs formalitate ! Quanta in evellendis obiectionibus adversis solertia ! Quanta in enervandis argumentationibus subtilitate ! Quanta in referendis aliorum sententijs, scribendis Sanctorum PP. effatis, Theologorumque verbis, fidelitate ! Quam clarè ignorantia nebulas doctrinae suae radijs in prima Quaestione dissolvit ! Quam solidam, ac tutam in secunda consilij sanis refertam, pro dubijs occurrentibus deponendis parat, sive demonstrat viam ! Quam dilucidè, ac maturè per tertiam, & quartam pro licite iudicando, rectèque operando cum communissimo ex omni Schola Doctorum placito, quod mihi semper arrisit, dirigit, atque resolvit ! Methodus non vulgaris, prudentiam, sapientiam, ac modestiam ubique eructat. Non miror, sunt enim ei valdè consona tam in docendo, quam in concionando, tam in consiliando, quam in sermoneando : uti uno ore proprii, & exteri multis abhinc diebus incunctanter enarrant. Sed ab his libenter superfedeo ob speciatem affectum, quo Auctorem prosequor, quia verum filium illius, quam ex corde colo, inclita Matris, Seraphicaeque Doctrinae, quae haud leve sententiae benignae praebet fulcimentum. Qua propter, ut munus censoris faciam satis, utque Matritenses typi opifices, omni arte magistra laboriosas excubias efflagitantes excudendas, moras non incusent; eo avidius, quo latius, & ornatus, Fama laudes perfolnat, in Mundi theatrum iterum, atque iterum prodeat, ut spero, quam citius spectandus, hic liber : dum nihil, quod refrageat Orthodoxae fidei, aut morum integritati continet: ideoque publicae utilitati multum prodesse arbitror, si celeritè praelo excutiat. Ita sentio, salvo semper meliori iudicio, in hac Villa Burgi Oxomensis die vigesima secunda Aprilis, anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo secundo.

Dr. D. Iosephus Marin, & Ibañez.



Approbatio Reverendi admodum P. Fr. Ioannis Orio Sacrae Theologiae Lectoris Lubilati, & in suo D. Francisci Pompelonensi Conventu meritissimi Guardiani.

EX commissione, & mandato mihi vnde quaque gratissimo D. D. Bartholomaei Garcia Delgado in hoc Pompelonensi Episcopatu Governatoris, Provisoris, & Vicarii Generalis, vidi, & perlegi maxima animi voluptate, nec minus intenta mentis acie Librum, cuius titulus est: *Propugnaculum Probabilissimi*, & à RR. P. M. Fr. Emmanuele à S. Bonaventura Carmelita Descalcato, & in suo celeberrimo Oxomensis Collegio Sacrae Theologiae Moralis Primario Moderatore elaboratum: opus sane, non minus grave, quam subtile; nec minus solidum, quam utile, atque omnibus doctrinae, modestiae, perspicuitatis, & acuminis pigmentis perpolitum; dignum Auctore apprime sapienti, claro, modesto, celebri, quem non leviter exornare conspiciuntur ornamenta illa, quae perfectum Doctorem, ac Magistrum constituunt, & illustrant iuxta Ang. Praecep. lib. 4. de eruditione Principum cap. 9. videlicet *vita honesta, scientia humilis, mens ingeniosa, peritia docenda*; ea quippe omnia sua hoc opus luce prodit, dum percurritur: spirat soliditate sine vanitate; rorat stilicidia sapientiae sine inflatione; abundat veritate prolata, non fucata; pugnat egregie pro veritate sine iracundia, aut vitiosa emulatione. Ubique humiliter suo proprio ingenio, ac iudicio diffidit: ubique modestissime urget paucos aliquos Neotheticos Probabilioristas, censurarum iaculis parcens, quibus ipsi passim, & adamsim benignam Probabilitatum sententiam laceant. Ubique suo ipso stilo terso, claro, & eleganti, maiestate fulget, subtilitate pollet, claritate docet, & maxima cordis, & animi pace certat. Veritas enim, etsi secundum se stabilis, & firma sit, ac plerumque nuda dicatur; attamen probabiliter inspecta apparet

varias

variabilis, infirma, & multis coloribus vestita, oculta, & obumbrata, atque ideo quot homines, tot sententiae; ita ut liceat omni rationi probabili contradicere ad tollendam umbram, & obsecritatem. In varijs quaestionibus, & articulis allegat, & probat; respondet, & instat ita fortunatè, ut possit reperere idem, quod de voluntate Theodorici asseveravit Ennodius: *Con- gressui tuo nulli, hostium, nisi qui laudibus adderetur, occurrit: militavit tro- phaeis, qui restitit intellectui*. Intellectui quidem, non voluntati, quia Scholastica concertatio praecipue inter Religiosos voluntatem non laedit. Totis viribus descendit intellectus in arenam, & in domo manet voluntas tranquilla, prorsusque in pace sunt omnia, quae Liber iste, & Auctor eius possident.

Ennod. in pa- ueg. Theodor.


Quaerit David ab Uria, quomodo administraretur bellum. Et vertit Hebraeus apud Caietanum; *interrogavit David de pace belli: Pax belli? Anthithesis mira!* Quam in sensu moralissimo de se ipso, & suo Basilio explicat D. Gregorius Nazianzenus: *par spes doctrinae nos ducebat, & tamen aberat invidia; aemulatio autem studio erat. Hoc utriusque certamen; non uter pri- mas ferret, sed uter alteri eas concederet. Uter enim alterius gloriam pro sua ducebat*. Ecce pax belli.

Caietan. ibi

Nazianz. orat. pro S. Basilio.

Plura alia dicerem in laudem operis multis nominibus commendandi, si modestia Auctoris mihi satis perspicua, vel censoris munus licentiam praeveret; atque adeò ne censura mihi iniuncta in meras elogi vocès aveat, sin- cerè proficiat, opus hoc omnibus numeris absolutum zelo, acumine, ingenio, & maturitati sui Auctoris sceleritè respondere; communique, & publico maioris, & sanioris partis Doctorum omnium Universitatum in nostra Hispania consensu abs dubio excipiendum, licet forsam id non eveniat apud aliquos Gallos, & Belgas. Librum igitur dignissimum iudico non solum, ut typis manderetur, sed etiam, ut omnia in eo contenta, tanquam Orthodoxae fidei, rectisque moribus, & disciplinae Christianae maxime consona *plumbi lamina, vel cetera sculpantur in siliice*, ut verbis patientissimi Job loquat cap. 19. Hoc meum de tam praecelato opere iudicium; hic meus sensus est; tantum abest, ut in eo quidquam, quod bonis moribus offendiculum, vel orthodoxae fidei dissentaneum sit, depræhenderim. Sic sentio, salvo, & in hoc Seraphici Parentis Nostri S. Francisci Pompelonensi Imperiali Conventu die 15. mensis Septemb. anni 1722.

Fr. Ioannes Orio



Licencia del Ordinario.

NOs el Licenciado D. Bartholome Garcia Delgado, Governador, Provisor, y Vicario General de este Obispado de Pamplona, por el Exce- lentissimo Sr. D. Juan de Camargo Obispo de el dicho Obispado, Inquisidor General de España, de el Consejo de su Mag. y de el Real Gavinete, &c. Por el tenor de la presente damos, y concedemos licencia, y facultad, para que sin incurrit en pena, ni censura alguna, se pueda imprimir, y imprimir el libro intitulado: *Propugnaculum Probabilissimi*, compuesto por el RR. P. Lector de Theologia Fr. Manuel de S. Buenaventura, Religioso Carmelita Descalzo. Atento ha sido visto, y examinado, mediante remissiva nuestra, por el RR. P. Fr. Juan Orio, Guardian de el Convento de S. Francisco de esta Ciudad, y que por su censura consta, que en el no ay cosa alguna, que se oponga a nuestra Santa Fe Catholica, y buenas costumbres. Dada en Pamplona a 16. de Febrero de 1725.

Lic. Delgado

Por mandado del Sr. Gov. y Vic. Genl Francisco de Baraybar, Not.

Approva

Approbatio RR. P. Pauli Michaelis ab Elizondo à Societate Iesu olim in suo Salamanticensi celeberrimo Collegio Sacrae Theologiae Lectoris, & nunc Regni Navarrae eloquentissimi Historiographi.

Inbente Supremo Navarrae Regni Senatu egregium opus istud, ac verè aureum, *Probabilissimi Propugnaculum*, inscriptum, & à R. admodum P. M. Fr. Emanuele à S. Bonaventura, Excalceato Carmelita compositum, iucunda, ac avida contemplatione lustravi. E aureum quidem opus, *Propugnaculum Probabilissimi, ut convenienter rebus nomina pulchra suis*, iure mille nominibus optime inscribi debuit; namque Elianum propugnatores, qui ardentem à luce discriminat, Seraphicæ Theresiæ alumnum, qui modestiata Cœlicam, igneamque vigorem *Emulatur*, & Theologiae Sacrae professorem primarium, qui *tanti mensuram nominis implet*, inferioris nomen claritæ epigraphæ mercede dedeceret; præsertim in gravissima hac materia, è Carmeli culmine promicante, in Discalceatorum lectissima, veneranda familia, ubi innexis velut certatim floribus splendore fertis, sive sapientiam, sive Sanctimoniam, sive omnigenam dotum, & ornamentorum seriem mirari velis, fulgebit apex, ardebit amor, sphaera nitescet, palinæ superatargeant, & lumine accendent lumina flamma.

In operis fronte mirum, quot, & quanta subtilissimus Auctor promittat, sed plus est, quod in recessu inveneris, quam quod promittit in fronte. Et quando in hanc Carmeli altitudinem ventum est, inspectis scorsim literis, tuoque per initialium consonantiam evolutis ordine in nomine *Carmelita, Canones, Augustinus, Romana Ecclesia, Mater Seraphica, energia Libri Sacri ingenium, Thomas Angelicus, Antoninus consiliorum inveniuntur*; & cum reliqua in Propugnaculi prospectu promittat, energiam, & ingenium, quæ promittere haud poterat modestissimus Pater, quamvis alioquin energicus, & ingenio exundans in recessu operis, imo & in toto opere, amicabili scelerè videas usque ad miraculum emicare; ut celsissimum hocce Propugnaculum sublimem illam Regij Vasis, & cum Propugnaculis ædificatam turrim imiteretur, cuius regalem machinam ad suspendendum ora fuisse erectam, cuius lapides omnes ad horum similitudinem excisos fuisse, plures, & magnæ notæ Magistri annotaverunt; ut ab energia artificis, machina cœlum attingat, ab explicandis rebus abditissimis splendor affulgeat; à divino Codice Romana Ecclesia, ac Sacris Canonibus regia, & securissima via pateat; ab ingeniorum Aquilæ Augustini fatigio, & ab Antonini consilijs purpureum iubar, & prudentia deriverent; ut denique sapientiæ abyssus, Thomas Angelicus, & Seraphica Virgo Mater, Theresia à Iesu, cuius calatum aquæ vivæ fistulam, & supremæ Theologiæ dixeris aquæductum, suis undique fulgoribus Propugnaculum cingant, illustrent, evohant, coronent, & cum in marinis fluctibus probabilitas adumbretur, in pharum Propugnaculum plane convertant, vel inseparabili nexu utrumque devinciant; *proh Superi! Cœlonè peractum fluxit opus*.

Pharum ergo, & Propugnaculum, Probabilistarum hic Primipilus Theologus exhibet: pharum, ut per profundum dissertationum cuntes, & in hanc celsitudinem intenti non exextrent; sed in spacio, & specioso mari, regiam tenentes viam, stelaatem portum appellant: nam Probabilissimi laudes copiosissimus Doctorum, seu *Stellarum argenteus ordo decantat*, Stellarumque greges placido famulantur honore: Propugnaculum, ut in sublimi vertice constituti, *ere ciere viros, Matremque accendere cantu*, intrepidi ausint, Adversariorum exclamationibus haud exterriti ad ardua properent, & aureis muniti clypeis, omnia vincant, dum *clypeus clypeis, & umbone repellitur umbone*: pharum, ubi crystallum, & lumen inveniant; Propugnaculum, ubi defensiva, quod vulgò aiunt, & offensiva arma possideant; pharum, & insimul Propugnaculum, sed ubi nesciant, quid principem sibi locum usurpet, ignorantem, quid tandem speremineat; *fluctuat enim animus*, ut scitè preculit Pli.

Plinius, super excessu, quando univèrsa dotes amulo splendore florescant.

Hunc autem æmulum splendorem, in univèrso hoc opere scintillantem quis non videt? Hinc enim eruditio resertissima vocat, indeque in propugnando firmitudo maxima rapit; iam textuum omnium elucidatio mirabilis aspectum amœnat; iam in contorquendis acutissimis telis dexteritas ingens animos legentium defigit; nunc Magni Augustini, & aliorum Patrum doctrinis imbuitur; nunc lacteum Aquinatis Thomæ pelagus tranat, & Salamantenses suos suo pectore condens insignis Theologus, ad pugnamque scholasticam totus compositus hic sibi triumphum erigit, & trophæum; ut inter Doctorem Angelicum, & Patres Discalceatos nexus demonstrat, nam Thomas Aquinas, *almus in Ecclesia Doctor*, perfecto anagrammate sonat: *an hos, quos amo, Carmeli Discalceati sunt?* Cuius quædam verba idè sunt sententiæ, quæ sensus idè sunt victoriæ, nihilque sibi expugnandum proponit, quod non, aut pondere illiserit, aut acumine irrumpat, ut Vincentij Lirinensis verba vsurpemus; qui Seraphicæ demùm, & Cherubicæ Matris, ac Parentis suæ Divæ Theresiæ vitam, Mansiones, epistolas, scripta omnia, quæ supra Alcinoi sylvas, supra Thesalia Teumesia, & Helonia pulcherrima Tempe, evolutur, ut floribus innectat arma, tanquam amœnissimam, & munitissimam stationem contemplatur, & veluti in sphaera propria conquiescit.

Et hinc à pharo ad solem convertit, & Libri titulum in Authore Sapientissimo legens passis velis omnibus adnavigans, utramque possem epigrammæ severa discussione versare, nam sapientem, & solem, & Propugnaculum esse, certius est, quam ut in concerrationem venire queat, sicque quod Vates Hæbreæ cecinit eratione, *ponam jaspidem, soles tuos*, Interpres latiali sermone transcripsit, *ponam jaspidem Propugnacula tua*; sed nolim eximiam scriptoris modestiam puniceo rubore suffundere, & quando non possum sine culpa dicere (ast nec poteram, sine culpa tacere,) ut optimum opus istud, non moribus proinde adversum, sed eos dirigens, non fidei, sed eam illustrans, in lucem, imò in splendorem prodeat vehementer exopto, & amantissimæ clausula signo. Sic sentio, salvo in omnibus, &c. Pompelone in hoc Societatis Iesu Collegio, Annuntiæ Virginie Sacro, dia 9. Augusti, anno 1722.

IHS.

Paulus Michael ab Elizondo:
S. D. P.

Approbatio Reverendi admodum P. Fr. Iosephi Manzano in Univeritate Pampelonensi Sacre Iacobi Ordinis Predicatorum dignissimi Regentis.

Ex imperio Supremi, & gravissimi Regni Navarrae Senatus, sedulo, avidissime, et diligentia, accuratissime constructum, strenua, validaque manu usque ad ultimam perfectionem evectum à R. A. P. Fr. Emanuele à S. Bonaventura Seraphicæ Matris S. Theresiæ à Iesu, meritorissimo alumno, modo in Oxomensi Collegio B. Mariæ de Monte Carmeli pro dignitate Theologiæ moralis Lectore, dum olim in Burgensi in docenda scholastica, per plures instudaverit annos: *Propugnaculum Probabilissimi* est epigraphæ speciosa, qua tantum insignitur opus, statim præfigitur meta, ad quam tota hæc mirabilis structura collimat: ad conscientias (inquit) securè æque, ac suaviter regendas. Tandem nobilissima, præclarissimaque exemplaria, instar quæ hæc amplissima consurgit machinæ ostendit. Inhærendo (ait) authoritati Sacrae Scripturæ, & Sacrorum Canonum, omninoque ad mentem S. Augustini, D. Thomæ, &c. mira concordia omnia sibi concinunt; ac suavissima armonia animum demulcent, tituli inscriptio, operis scopus, fidelis imitatio exemplaris.

Merito equidem *Propugnaculum Probabilissimi* vocitatur hoc volumen eruditissimum, quod tanquam atrox *inexpugnabilis*, munitissimisque locus, opugnantibus Probabilistis

mum

Plinius

Vincen:
Lirinens:

P. Mend. in
virid.

Isaias 54

P. Babu.

Ovidius.

Barcl. Argët.

Cant. 4.

Giffes. Iufus,
& alij.

P. Scheri.


Statius.

Sant.

Virg.

Statius.

A Deo celebris effecta est præterito, pervolantique sæculo controver-
 sia præsens, ut nulla acrius, nervosiusque tempestate hac exagite-
 tur. Et merito quidem: nam ex illius decisione dependet directio in-
 tellectus in iudicando, & voluntatis in agendo. Circa illam gravissimi Auc-
 tores integra hinc inde edidere volumina, in quibus de re tam gravi, aded-
 que necessaria pro meritis agunt: quibus morem gerens, eidem controver-
 siæ præsens volumen dico. Præcipuus in ea scopus est, seriè, profundèque
 investigare, an liceat sequi opinionem probabilem contra legem in conf-
 spectu opinionis æquè, aut magis probabilis pro lege? Sed ut ad hanc dif-
 ficultatem examinandam clariori methodo accedam, æquum duxi alias
 prius resolvere, ex quarum resolutione illius decisio plurimum pender. Et
 licet aliqui Probabilioristæ acri, ardentique zelo ducti, vehementer Pro-
 babilistas, Probabilissimumque proscindant: ego contrariam viam sequutus,
 curam dabo, ut in hoc opere nihil reprehensione dignum, & à viro Reli-
 gioso alienum inveniat: non enim de eorum numero sum, de quibus aie-
 bat Ennius apud Gellium lib. 20. cap. 9. *Haud doctis dictis certantes, sed ma-
 le dictis.* Nec opus est Probabilistarum sententiæ verbis iniuriosis ad sui de-
 fensionem, cum pro ea aded efficacia extent motiva. Conabor ergo ad ver-
 sarios meos solidis rationibus convincere, non verbis iniuriosis exasperare.
 Duo sunt, quæ me ad hoc opus aggrediendum maximè impellunt: primum
 est, vehemens, quæ mihi est inviscerata, huius veritatis indagandæ propen-
 sio: secundum est, aspicere quosdam ex nostra familia recenter Probabilio-
 ristarum opinioni maximè deditos, maximo domesticorum principiorum,
 utriusque solidorum, dispendio. Ad quorum ingenia sedanda sufficere, su-
 peresseque deberet, cernere nostram Sacram Religionem Cursum mo-
 ralem approbasse, & non solum in vno, sed in pluribus Capitulis Generali-
 bus præcepisse Lectoribus Theologiæ moralis omnes conclusiones, & sen-
 tentias dicti Cursus defendere, suisque discipulis tradere, consequenterque
 propugnare sententiam asserentem, legem dubiam, & legem probabilem non
 obligare. Quod enim ingenium benè disciplinatum non quiescet, videns,
 Religionem aded doctam, & sanctam, semel, & iterum suis præcepisse Lec-
 toribus Cursus moralis, qui passim Probabilissimum eructat, defensionem?
 Sed quos non convincit totius Religionis summa auctoritas, diuturna que
 praxis, convincat ratio: quia vero ex abusu opinionis probabilis plures rela-
 xationes pulularunt, in fine huius tractatus aliquas tradam regulas prorecto
 quod ad sui gloriam aggredior, foelici homine prosequar, & usque ad finem
 illius vsa. Faxit Deus, ut in offenso percurram pede.



QUESTIO PRIMA.

DE CONSCIENTIA RECTA,
 ET ERRONEA.

Circa conscientiam rectam, & erroneam plures difficultates exci-
 tari possent, sed in præsentem eas tantum tangemus, quæ ad finem
 principalem huius operis, qui est Probabilissimi defensio, maiorem
 conducentiam habent.

ARTICULUS I.

*Utrum iuxta D. Th. detur igno-
 rantia invincibilis iuris
 naturalis?*

§. I.

Statuitur nostra conclusio.

Dicendum est pri-
 mò, dari iuxta
 D. Thom. igno-
 rantiam invinci-
 bilem iuris natu-
 ralis. Et probatur conclusio ex
 1. 2. q. 100. art. 1. in corp. vbi sic
 ait: *Sicut autem omne iudicium
 rationis speculative procedit à*

*naturali cognitione primorū prin-
 cipiorum: ita etiam omne iudicium
 rationis practice procedit ex qui-
 busdam principiis naturaliter cog-
 nitis, ut supra dictum est, ex qui-
 bus diversimodè procedi potest ad
 iudicandum de diversis. Quaedam
 autem sunt in humanis actibus
 aded explicata, quod statim cum
 modica consideratione possunt ap-
 probari, vel reprobari per illa
 communia, & prima principia.
 Quaedam verò sunt, ad quorum
 iudicium requiritur multa consi-
 deratio diversarum circumstan-
 tiarum, quas considerare non est
 cuiuslibet, sed sapientum: sicut
 considerare particulares conclusio-
 nes scientiarum non pertinet ad*

21 Propugnaculum Probabilismi. Quæst. I.

omnes, sed ad solos Philosophos. Et paucis interiectis: quedam vero sunt, (intellige præcepta) quæ subtiliori consideratione rationis à sapientibus iudicantur esse observanda, & ita, sic sunt de lege natura, ut tamen indigeant disciplina, qua minores à sapientibus instruuntur. Et art. 3. eiusdem q. loquens in corp. art. de aliquibus præceptis naturalibus, sic ait: Et iterum illa, quæ per diligentem inquisitionem sapientum inveniuntur rationi convenire, hæc enim proveniunt à Deo ad populum mediante disciplina sapientum. Et art. 1. eiusdem q. in corp. hæc habet verba: quedam vero sunt, quorum ratio non est cuilibet manifesta, sed solum sapientibus. Et inter hæc præcepta Enumerat. S. D. præceptum prohibens maleficia, & incantationes, præceptum honorandi fenes, præceptum prohibens vsuras, & alia plurima.

2 Ex quibus verbis probatur nostra conclusio 1. Nam aliqua præcepta naturalia secundum D. Th. sunt, ad quorum cognitionem requiritur consideratio multarum circumstantiarum, quas considerare diligentèr non attinet ad quemlibet, sed ad sapientes: ergo dantur aliqua præcepta naturalia iuxta D. Th. quæ rudes

non possunt propria industria scire: ergo dantur aliqua præcepta naturalia, quæ rudes possunt sine culpa ignorare, saltem pro illo tempore, pro quo adeunt sapientes, ut ab illis instruuntur.

3 2. Iuxta D. Th. dantur aliqua præcepta, quæ ita sunt de lege nature, ut tamen indigeant disciplina, qua minores à sapientibus instruuntur, & quæ proveniant à Deo, non immediate, sed mediante disciplina sapientum: ergo deficientibus sapientibus, à quibus rudes instrui possint, ut contingit pueris in silvis nutritis, aut inter barbaros degentibus, illi sine culpa, & omninò involuntariè, talia præcepta ignorabunt. Patet consequèr: deficientibus sapientibus, deficit medium à Deo positum ad talia præcepta à rudibus scienda, scilicet, disciplina sapientum: media qua, & non alia via, iuxta communem, & ordinariam providentiam, notitia talium præceptorum à Deo ad populum provenit.

4 3. Aliqua præcepta, ut sciuntur, indigent disciplina sapientum: ergo si illi, qui habentur à populo, ut sapientes, & de quibus non potest præsumi prudenter, quod errent, de facto errent circa aliqua, vel aliquod præceptum,

ceptum, rudes ab eis instructi invincibiliter talia præcepta ignorabunt. Patet consequèr: nam ex vna parte rudes non tenentur ad inveniendum legem Dei proprio discursu, sed solum ad interrogandam veritatem à sapientibus, ac proinde hoc faciendo, ad implent id, ad quod tenentur: & ex alia parte, quod sapientes errent, non est eorum culpa. Explicatur hoc amplius; error rudis interrogantis à sapiente veritatem, omninò dependet ex errore sapientis; error sapientis est rudi omninò invincibilis, quia nec tenetur, nec potest illum vincere: ergo & error rudis est ipsi omnino invincibilis.

5 Urgetur adhuc hoc ipsum, & tacita præoccupatur evasio. Rudis adiens virum doctum, ut ab illo instruat, prudenter iudicat, virum doctum, scire veritatem: ergo prudenter iudicat, se posse acquiescere illius consilio: ergo prudenter iudicat, se posse de consilio talis viri deponere quemlibet scrupulum insurgentem, & non teneri ad faciendam ampliorem diligentiam: ergo etsi non faciat ampliorem diligentiam, erravit invincibiliter. Rursus; vel homo rudis dubitans circa legem naturalem potest li-

citè conformari cum dictamine viri docti, & sapientis ab ipso consulti, illique assentiri, sive affirmet, sive neget, vel non? Si non potest, ad quid illum adit? Si potest: ergo sive vir doctus affirmet, sive neget, non tenebitur ad ampliorem diligentiam faciendam pro capeienda veritate, & consequenter, si erraverit, invincibiliter errabit: quia fecit, quod debuit ad non errandum.

6 Probatur 2. conclusio ex quodlib. 3. q. 4. art. 10. ubi inquit: *Vtrum auditores diversorum magistrorum Theologie haberentur contrarias opiniones, excusentur à peccato, si sequantur falsas opiniones magistrorum suorum?* Ad quod quæsitum in corp. art. sic respondet. *Respondeo dicendum, quod diverse opiniones Doctorum Sacre Scripture siquidem non pertinent ad fidem, & bonos mores: absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt. Tunc enim habet locum, quod Apost. dicit ad Rom. 14. unusquisque in suo sensu abundet. In his vero, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicuius magistri, in talibus namque ignorantia non excusat, alioquin immunes à peccato*

Propugnaculum Probabilismi. Quæst. I.

4 to fuissent, qui secuti sunt opinionem Arrij, Nestorij, & aliorum hereticorum, nec potest excusatio- nem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus erroneam opinionem sequantur. In rebus enim dubijs, non est de facili prestandus assensus, quinimò, ut August. dicit lib. 3. de doctrina Christi: consulere debet quis regulam fidei, quam de scripturarum planioribus locis, & Ecclesie auctoritate percepit: qui ergo assentit opinioni alicuius magistri contra manifestum scripturæ testimonium, si- ve contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesie auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari. Suponit ergo D. Thom. quod potest excusari à vitio erroris, qui in rebus fidei; & morum, assentit opinioni alicuius magistri, quando non est contra manifestum scripturæ testimonium, aut contra id; quod publicè tenetur in Ecclesia.

7 Nec obstat quod in præcedentibus verbis absolute dicat, in pertinentibus ad fidem, & bonos mores nullum excusari, si sequatur erroneam opinionem alicuius magistri; hoc inquam non obstat: quia D. Thom. satis explicat solum loqui de his, quæ sunt contra testimonium mani-

festum scripturæ, aut contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesie auctoritatem, ponendo exemplum in his, qui secuti sunt opiniones Arrij, & Nestorij, aliorumque hereticorum. Tum etiam, quia si D. Thom. loqueretur de omnibus opinionibus pertinentibus ad mores, non solum non excusaret opinio probabilior re ipsa falsa contra ius naturale, sed nec contra ius positivum, cum opinio circa ius positivum sit etiam opinio circa mores. Tum denique: quia aliàs non posset dari ignorantia verè probabilis, & invincibilis circa sensum sacrae scripturæ, quod est falsum, & expressè contra D. Aug. lib. 3. de doctr. Christi, qui sic ait: *quisquis in scripturis aliud sentit, quam ille, qui scripsit, fallitur. Sed tamen, si ea sententia fallitur, que edificat charitatem, que finis precepti est, etiam fallitur, ac si quisquam errore deserens viam, eò tamè per agrum pergat, quò etiam via illa perducit. Et paulò antea dixerat, quod talis non perniciosè fallitur.* Quibus in verbis affirmat D. Aug. quod sententia falsa re ipsa circa sensum sacrae scripturæ non solum excusat, sed etiam quod conducere potest ad ædificandam charitatem.

Tum

8 Tum denique: quia aliàs D. Tho. sibi ipsi contradiceret, nam in 1. distinct. 38. q. 2. art. 5. in corp. postquam docuerat, non esse licitum opinari contra aliquem articulum ab Ecclesia propositum, ait: *vel contradictio est de illis, ad quæ consequitur aliquod inconueniens, & contrarium fidei, licet in fide expressum non sit, nec determinatum; & tunc ante pertrabitationem, per quam scitur; quod aliquod inconueniens fidei sequitur, potest utrumque sine peccato opinari.* Maneat ergo, D. Thom. nomine veritatum pertinentium ad fidem, & bonos mores, solum intelligere eas, de quibus constat ex scriptura, aut Ecclesie auctoritate: nam in eodem sensu, & eodem tenore verborum loquitur de rebus pertinentibus ad mores, ac de rebus pertinentibus ad fidem, & de istis certissimum est iuxta D. Thom. posse dari ignorantiam invincibilem, posseque vnam, vel alteram partem aliquem sine peccato opinari, quando oppositum non constat ex scriptura, aut Ecclesie auctoritate, aliàs dari non possent infideles negative, quod doctrinae D. Thom. adversatur.

(* *)

§. II.

Refertur sententia contraria.

9 **C**ontra nostram sententiam sentiunt auctores art. seq. citandi, & in eius favorem arguitur 1. Ex quodlib. 8. art. 13. vbi sic ait S. D. illud, quod agitur contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam: ergo iuxta D. Thom. contra legem naturalem non datur ignorantia excusabilis.

Ad hoc argumentum respondet pro nobis D. Antonin. qui abs dubio mentem. D. Th. præ omnibus contrarijs nostris calluit, his verbis: *quod autem dicit D. Th. quòdo dua sunt opiniones contrarie de eodem, oportet alteram esse veram, & alteram falsam. Si ergo ille, qui facit contra opinionem magistrorum, ut puta in habendo plures prebendas, facit contra veram opinionem; non excusatur à peccato, cum faciat contra legem Dei, quòvis non faciat contra conscientiam: hæc enim verba. D. Th. non possunt intelligi, nisi de his, ubi manifestè patet ex scriptura, & Ecclesie determinatione, quòd sint contra legem Dei, & non de illis*

intel-

intelligit, ubi non apparet: aliàs sibi contradiceret in eodem libro, quod non est dicendum. Et quod D. Th. sic interpretandus sit, constat ex inconvenientibus, quæ ex contrario sequuntur: nam in primis D. Tho. argueretur in consequentiæ, ut ait. D. Ant. Insuper sequeretur, non esse licitum agere contra legem naturalem cum opinione probabiliori, aut probabilissima, quia talis opinio, si est falsa, etsi sit probabilissima, non excusaret. Et quod magis est, non solum esset illicitum sequi opinionem probabiliolem, aut probabilissimam contra legem naturalem, sed etiam contra legem positivam: quia D. Th. non dicit præcisè: *illud, quod agitur contra legem naturalem, sed absolutè, illud, quod agitur, contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam.* Quod ab omnibus reputatur falsum. Quare D. Th. intelligendus est, quando conscientia est vincibiliter erronea. An autem semper, ac agitur contra legem, conscientia illud dictans, sit erronea vincibiliter, D. Th. non determinat, quin potius oppositum insinuat in arg. sed contra.

10 Arguitur 2. Ex quodlib. 9. q. 5. art. 15, ubi sic ait D. Th.

Omnis questio, in qua de peccato mortali queritur nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur, quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet fortè à tanto . . . Præcipuè autem periculosum est, ubi veritas ambigua est, quod in hac questione accidit.

Ad hoc arg. respondetur D. Th. afferere periculosè determinari questionem, in qua de peccato mortali agitur, nisi expressè veritas habeatur, & præcipuè, quando veritas ambigua est, sed non semper periculosè, periculo, quod quis teneatur vitare; aliàs ipse D. Th. resolvens illam questionem, in qua iuxta ipsum veritas est ambigua, & ob hoc resolutio est præcipuè periculosa, peccaret, illam resolvendo, quia se exponeret periculo, quod teneretur vitare, quod non est dicendum. Semper ergo ac quis resolvit questionem, in qua agitur de peccato mortali, periculosè illam resolvit, nisi expressè veritas habeatur, quod accidit semper, ac quis solum habet ad illam resolvendam principium probabile, & verosimile, sed non semper illam resolvit periculosè, periculo, quod teneatur vitare, sed solum, quando de facili resol-

vit.

vit questionem, non prius facta debita diligentia ad veritatem, verosimiliter saltè, & quoad videri, inveniendam.

II Nec facit contra hoc ratio, quam adducit D. Th. scilicet: *quia error, quo non creditur esse peccatū mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet fortasse à tanto.* Per hæc namque verba non intendit afferere S. D. quòd error, quo creditur esse mortale, quod non est peccatum mortale, nunquam excusat, sed solum, quòd error non hoc ipso, quòd error sit, excusat, sed tantum, quando quis errat post factam debitam diligentiam ad inveniendam veritatem. Sensus ergo genuinus verborum D. Th. est, quod in resolvenda questione in qua de peccato mortali agitur, imminet periculum peccandi, quia error non hoc ipso, quod error est, excusat operantem cum illo, sed solum post factam exactam diligentiam ad inveniendam veritatem: ob quam causam talis questio non de facili resolvenda est, sed solum post maturum examen, aliàs error sic resolventem non excusabit, si cum tali opinione operetur, quia error non excusat cum eo operantem, hoc ipso, quod error est, sed so-

lum, quando contingit post factam debitam diligentiam.

Et certè, si ex verbis D. Thom. convincitur, non posse dari errorem invincibilem, & excusantem contra ius naturale, æquali efficacia infertur, non posse dari errorem invincibilem circa ius positivum, humanum, aut divinum: nam D. Th. non loquitur præcisè de questione circa ius naturale, nec præcisè de errore, quo non creditur esse peccatum mortale contra ius naturale, quod est peccatum mortale; sed universaliter loquitur de omni questione, in qua agitur de peccato mortali, & de errore, quo non creditur, esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale: sub qua universalitate clauditur quest. de peccato mortali circa ius positivum, & similiter error circa ipsum ius. D. Th. namque comprehendere volens aliqua propositione questiones de peccato mortali circa quodcumque ius, qua alia aptiori propositione præstare posset hoc, quam ea, qua usus est? Scilicet: *omnis questio, in qua de peccato mortali agitur, periculosè determinatur, nisi expressè veritas habeatur.* Maneat ergo quòd ex verbis D. Th. vel non probatur, non posse dari erro-

rem

rem invincibilem circa ius naturale, vel æquali efficacia convincitur, non posse dari errorem invincibilem circa ius Divinum, aut humanum.

13 Arg. 3. ex D. Th. 1. 2. q. 94. art. 6. ubi sic ait: *Ad legem naturalem pertinent primo quedam præcepta communissima, que sunt omnibus nota. Quedam autem secundaria præcepta magis propria: que sunt quasi conclusiones propinque principijs. Quantum ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universali: deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem, ut supra dictum est. Quantum vero ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones (eo modo quo etiam in speculativi errores contingunt circa conclusiones necessarias) vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos: sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apost. dicit ad Rom. 1. Sentit ergo D. Th. quod*

lex naturalis quoad secundaria præcepta non potest deleri de cordibus hominum, nisi per peccata personalia; sed lex, quæ propter peccata personalia deletur de cordibus hominum, vincibiliter ignoratur: ergo iuxta D. Th. lex naturalis, quoad secundaria præcepta, non potest ignorari nisi vincibiliter.

14 Ad hoc argum. dico 1. quod satis se explicat Ang. Doct. Non enim loquitur S. Doct. de quibuscumque præceptis secundarijs, sed de illis, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principijs: in hoc ipso supponens quasi indubitatum, circa alia præcepta magis à primis principijs distantia dari posse ignorantiam invincibilem, & etiam circa ipsamet præcepta secundaria, ut particularizata. Quia stat, quod præcepta in communi, & secundum suas rationes formales sumpta, sint valde propinqua primis principijs, & ex illis facillimo negotio deducibilia, & quod nihilominus ipsamet, ut particularizata, valde distant, nec possint cognosci nisi cum magna difficultate, & post longam inquisitionem: quia licet non sit difficile cognoscere non esse faciendam iniustitiam, difficillimum tamen est multo-

ties

ties cognoscere, an hæc actio, aut illa varijs circumstantijs vestita, sit re ipsa iniusta, & claudatur sub obiecto formali legis.

15 Secundo dico, D. Th. loqui de præceptis secundarijs ex suppositione, quod menti occurrant. Quod autem menti non occurrant per aliquod temporis spatium, contingere potest citra omnem culpam. Tertio dico, quod ignorantia legis, quæ deletur de cordibus hominum propter malas persuasiones, solum est vincibilis, quando quis cognoscit, aut suspicatur aliquomodo, tales persuasiones esse malas, non vero quando prudenter iudicat, tales persuasiones esse rectas, quia qui persuadet, talis conditionis est, ut omnibus pensatis, non possit de illo prudenter iudicari, aut suspicari, quod erret in persuadendo, aut iudicando. Quarto dico: quod ut ignorantia legis sit voluntaria, non sufficit, quod sequatur utcumque ex peccato, sed insuper requiritur, quod tale peccatum cognoscatur in ratione causæ talis ignorantie, & insuper, quod prævideatur saltè sub dubio, scrupulo, aut suspitione, imminere ex positione peccati periculum proximum ignorandi legem. Quare ex eo, quod

D. Thom. dicat legem naturalem quoad secundaria præcepta deleri posse de cordibus hominum propter pravas consuetudines, aut habitus corruptos, omninò voluntariè inferitur, non posse dari iuxta D. Th. ignorantiam invincibilem iuris naturalis quoad aliqua præcepta.

ARTICULUS II.

Utrum absolutè loquendo, detur ignorantia invincibilis iuris naturalis?

§. I.

Notantur aliqua ante dubij decisionem.

15 **N**Otandum est 1. Legem naturalem nihil aliud esse iuxta D. Th. 1. 2. q. 91. art. 2. quam impressionem divini luminis in nobis, seu participationem legis æternæ in rationali creatura, qua discimus, quod faciendum, vel omittendum est. Notandum est secundo, quod ius naturale continet tria genera præceptorum: alia sunt omninò per se nota, quæ non tam sunt præcepta, quam prima principia practica, & semina om-

B

nium

nium præceptorum: *ut bonum est faciendum, malum est fugiendum. Quod tibi non vis, alteri ne facias.* Alia præcepta sunt, quæ ex dictis principijs facili negotio deducuntur, quia immediatè sub illis continentur, ut sunt præcepta decalogi: Inter quæ etiam datur sua latitudo, nam alia sunt, quæ non ità facillimè deducuntur, ut non requiratur aliquod temporis spatium ad illa inveniendâ. Alia tandem sunt, quæ sunt remota à primis principijs, & non nisi cum magno labore, & studio ex illis deduci possunt. Notandum est tertio, quòd ius naturale potest considerari secundum se, & in universali; & ut in particulari, seu ut contractum ad determinatam materiam, quo pacto, & non alio modo ius habet obligare actu.

16 Notandum est quarto, quòd in præfenti, nomine ignorantie invincibilis non intelligimus ignorantiam, quæ adhuc metaphysicè vinci non potest; sed illam, quam quis moraliter vincere nequit; vel quia non potuit facere aliquam diligentiam ad illam inveniendam; vel quia ad debitis diligentijs illam non valuit superare. Ac proinde nomine ignorantie invincibilis intelligimus

ignorantiam omninò involuntariam, & inculpabilem. Notandum est 5. quòd ignorantia, alia est iuris, alia facti, & ad hanc pertinet ignorare, non solum an hoc, vel illud factum sit; sed etiam an hoc, aut illud obiectum particulare cadat sub obiecto universalis prohibito per ius; seu an ratio universalis prohibita, vel præcepta, conveniat huic obiecto particulari.

17 Notandum est 6. cum communi Theologorum sententia, posse dari ignorantiam invincibilem facti; ex quo optimè infert Mag. Palanco num. 53. posse dari ignorantiam invincibilem iuris naturalis, ut particularizati: quia non potest cognosci ius ut particularizatum ad hanc, vel illam materiam; seu an ius naturale prohibeat hoc, aut illud obiectum particulare, quin cognoscatur, an ratio universalis prohibita, vel præcepta per tale ius conveniat illi particulari materię, aut obiecto: Quare cum ignorantia de hoc possit esse invincibilis, etiam ius naturale ut particularizatum, poterit invincibiliter ignorari.

18 Notandum est tandem, non posse dari ignorantiam invincibilem circa prima, & universa-

versalissima principia iuris naturalis, nec circa illa præcepta decalogi, quæ aded sunt manifesta, & tam clarè coniuncta primis principijs, ut ex illis nullo negotio à quovis rationis compote citò possint deduci, ut sunt, *Deus est colendus: parentes sunt honorandi.* Quare difficultas solum procedit de alijs præceptis iuris naturalis, quæ non ità facillimè ex primis principijs sunt deducibilia. His notatis.

§. II.

Statuitur nostra conclusio, & duplici ratione probatur.

19 **D**icendum est, dari ignorantiam invincibilem iuris naturalis. Nostram sententiam tenent D. Antonin. loco artic. præcedenti citato. N. N. Sapientissimi PP. Salmant. tract. 13. disp. 13. dub. 1. num. 15. Et N. Cursus moralis tract. de legibus, & est communis inter Theolog. Et probatur 1. ratione à priori: Ignorantia omninò involuntaria est ignorantia invincibilis: dabilis est ignorantia omninò involuntaria legis naturalis quoad aliqua præcepta: ergo dabilis est ignorantia invincibilis

legis naturalis quoad aliqua præcepta. Probatur min. ignorantia illius, quòd nullo modo occurrit menti saltè sub dubio, scrupulo, aut suspitione, est ignorantia omninò involuntaria; sed fieri potest, & multoties contingit, legem naturalem quoad aliqua præcepta nullo modo occurrere aliquorum menti, adhuc sub dubio, scrupulo, aut suspitione: ergo dabilis est ignorantia omninò involuntaria legis naturalis quoad aliqua præcepta. Conseq. est legitima; Min. experientia ipsa constat: plures namque, & maxime pueri, absque vlla malitię suspitione aliqua exequuntur, quę re ipsa sunt contra ius naturale. Et probatur min. quia ignorantia, quam quis non potest voluntariè expellere, est omninò involuntaria; sed non potest voluntariè expellere ignorantiam illius, quòd nullo modo occurrit menti: ergo ignorantia illius, quòd nullo modo occurrit menti, est omninò involuntaria. Conseq. est legitima, Mai. certa, & Min. videtur evidens.

20 Ad hanc rationem respondet Mag. Palanco q. 8. de conscientia, §. 3. num. 21. & sequentibus. & q. 9. à num. 24. quòd ignorantia iuris naturalis in casu

posito, licet non sit voluntaria in se, est tamen voluntaria in causa, & interpretative, ad quod non requiritur, quod ius naturale sit aliquomodo cognitum.

Sed contra: ut ignorantia iuris naturalis sit voluntaria, requiritur, quod sit præcognita: ergo ut sit voluntaria in causa, requiritur, quod sit præcognita in causa, & consequenter, quod sit cognita ipsa causa ignorantie reduplicative ut talis, quia de ratione voluntarij est, quod sit ab intrinseco cum cognitione.

21 Dices cum citato Mag. quod ad hoc, ut ignorantia iuris naturalis sit voluntaria in causa, & imputetur ad culpam, non requiritur illam aliquomodo prevedere, sed sufficit posse, & debere illam prevedere, ut de facto potest quicumque usu rationis utens: nam per prima, & universalissima principia, quæ omnibus sunt nota, constituitur sufficienter in actu, ut possit, si velit, per legitimum discursum descendere ad præcepta minus universalia cognoscenda; & per hæc minus universalia, etiam constituitur in actu, ut possit, si velit, cognoscere singularia, & suum omnino expellere errorem.

Sed in primis hæc doctrina est

expressè contra D. Th. nam iuxta doctrinam solutionis quilibet potest proprio discursu, & industria, cognoscere quælibet præcepta naturalia, quod adversatur D. Th. asserenti, dari aliqua præcepta naturalia, quorum iudicium petit multam considerationem diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cuiuslibet, sed sapientum, ac proinde iuxta D. Th. talia præcepta invenire proprio discursu, solum attinet ad sapientes. Rursus: si quilibet rationis compos sufficienter est constitutus in actu primo per prima, & universalissima principia ad inveniendum, si velit, per legitimum discursum quælibet præcepta naturalia, nulla darentur præcepta naturalia, quæ indigerent disciplina sapientum, ut à minoribus cognoscerentur; hoc est contra D. Th. ut vidimus supra: ergo, & doctrina Mag. Palanco.

22 Impugnatur solutio ratione 1. Non potest dari omisio voluntaria ediscendi aliquam legem sine actu positivo, & formali voluntatis, qui sit causa talis omissionis, sed non potest dari actus voluntatis, qui sit causa omittendi debitam notitiam legis absque aliqua cognitione legis,

&

& obligationis illam adiscendi: ergo non potest dari omisio voluntaria ediscendi legem naturalem absque aliqua cognitione legis, & obligationis illam ediscendi. Conseq. est legitima. Mai. continet doctrinam inter Thomistas plausibilem; & Min. est certissima: quia voluntas non tendit per suum actum in obiectum omnino incognitum, nec potest velle aliquid, in quantum causa est omissionis, si in quantum causa est omissionis, illi ab intellectu non proponitur.

23 Impugnatur 2. solutio: licet possit dari omisio voluntaria omnino absque omni actu voluntatis, qui sit causa omittendi, non tamen potest dari absque omni prorsus cognitione illius, quod omittitur, & obligationis illud non omittendi: ergo implicat in terminis, quod omisio ediscendi legem sit voluntaria absque omni prorsus notitia legis, & obligationis illam ediscendi. Probatur Añs: non potest dari omisio voluntaria, & libera ediscendi legem, quin detur potestas libera inveniendi talem legem; non potest dari potestas libera inveniendi legem absque omni prorsus cognitione illius: ergo non potest dari omisio

voluntaria ediscendi legem absque aliqua talis legis cognitione. Conseq. est legitima. Mai. certa; & Min. est evidens: quia potestas libera circa aliquod obiectum constituitur per cognitionem cum indifferentia talis obiecti.

24 Tertio: licet per prima, & universalissima principia constituitur homo sufficienter in actu primo ad hoc, quod possit, si velit, descendere ad investigandam legem hanc, vel illam particularem, ex suppositione, quod talis lex illius menti occurrat, non tamen si illi nullo modo venit in mentem: ergo quandiu nullo modo lex alicuius menti occurrat, non potest illam inquirere, consequenterque eam invincibiliter ignorabit. Probatur Añs: non potest velle inquisitionem talis legis: ergo non habet quidquid requiritur, ut possit, si velit, eam investigare. Prob. Añs: non potest velle inquirere id, quod omnino ignorat; omnino ignorat talem legem; ergo non potest velle eam inquirere. Conseq. est legitima. Min. supponitur, & Mai. certa est: quia nihil volitum, quin præcognitum. Quapropter non potest voluntas velle inquirere aliquam legem, si ipsa lex, ut inquirenda, vel inquisibilis, non

pro-

proponitur. Quomodo namque poterit quis se movere ad inquirendam aliquam rem, si talis res nullo prorsus modo illi venit in mentem, cum voluntas trahatur ab obiecto ipsi ab intellectu proposito?

25 Dices, quod ipsum non venisse illi in mentem legem sub dubio, &c. Seu ipsum non excitatum fuisse ad legem inquirendam, est voluntarium homini existenti in peccato mortali, quia per peccatum mortale se impedit sufficienter ad inquirendam notitiam cuiuscumque legis naturalis.

Sed contra: Carentia gratiae sanctificantis non est impedimentum ad cognoscendam quamlibet veritatem naturalem: ergo ruit solutio. Probatur Añs. 1. nam homo in statu naturae lapsae potest cognoscere, non solum sine gratia sanctificante, sed etiam sine speciali gratia, sive supernaturali, sive naturali, quamcumque veritatem practica naturalem, ut communiter docent Theologi: ergo carentia gratiae sanctificantis non impedit cognitionem cuiuscumque veritatis practicae naturalis. 2. homines peccatores, ut plures Philosophi Gentiles, excitati fuerunt à Deo ad cognoscendas

plures veritates practicas naturales, & proprio labore, & industria illas invenerunt: ergo idem, quod prius. 3. probatur Añs. Si carentia gratiae esset impedimentum grave ad cognoscendam veritatem quamlibet practica naturalem, omnis, qui in peccato mortali resolveret aliquod dubium circa legem naturalem, peccaret; hoc est prorsus falsum, aliàs requireretur status gratiae ad resolvenda dubia circa legem naturalem, sicut ad quodlibet sacramentum conficiendum: ergo carentia gratiae non est impedimentum grave ad cognoscendam quamlibet veritatem practica.

26 4. Impugnatur solutio: vel homo tenetur in primo instanti usus rationis ad cognoscenda omnia praeccepta naturalia pertinentia ad communem statum hominum, vel non? Si primum: ergo puer peccans mortaliter in primo instanti usus rationis, ignoraret vincibiliter, & peccaminose omnia praeccepta naturalia pertinentia ad communem statum hominum, & consequenter peccaret, non solum contra praecceptum charitatis, sed etiam contra omnia praeccepta naturalia dicta, cum per tale peccatum se impediret ad scienda praeccepta naturalia, quae tene-

tenetur scire. Hoc est absurdum: ergo carentia gratiae non est impedimentum ad sciendam legem naturalem.

Ex quo sequitur aliud grave inconviens, scilicet, quod puer peccans in primo instanti usus rationis, & ratione istius peccati ignorans vincibiliter, & culpabiliter aliquam legem naturalem, sit in continuo peccato mortali, quandiu non excludit tale peccatum. Quod sic facile probatur: nam talis puer, quandiu non excludit peccatum per gratiam sanctificantem, est in continua ignorantia vincibili legis, quam tenetur scire; esse in continua ignorantia vincibili legis, quam tenetur scire, est esse in continuo peccato actuali: ergo talis puer esset in continuo peccato actuali, & consequenter teneretur statim poenitere de tali peccato, & se convertere in Deum, vel medio Sacramento poenitentiae, vel medio actu contritionis, quod communiter negatur. Et quod dico de puero perveniente ad usum rationis, dico de quocumque homine peccante mortaliter, quia per peccatum mortale se impedit ad inveniendum legem naturalem, quam tenetur scire, & consequenter incurrit ignorantiam vincibili-

lem, & peccaminosam illius. Et dato, quod ante peccatum sciret omnes leges naturales communes omnibus, & etiam leges proprias sui status; saltem per peccatum mortale se impedit ad advertendum actualiter ad obligationem legis naturalis. Quare cum teneatur quis non se impedire, & tollere contractum impedimentum ad advertendum actualiter ad malitiam obiecti, & ad obligationem legis, si peccatum mortale esset impedimentum ad advertentiam actualem obligationis, homo peccaret actualiter, non solum quando excludit gratiam; sed etiam quandiu perseverat sine illa; consequenterque statim ac quis peccat, tenebitur ad poenitendum.

27 Si autem dicatur secundum, scilicet, quod homo perveniens ad usum rationis, non tenetur scire in illo instanti omnia praeccepta naturalia ad ipsum pertinentia: ergo per hoc, quod homo peccet in illo instanti, non incurrit ignorantiam vincibilem, & peccaminosam talium praecceptorum. Conseq. est legitima: quia non datur ignorantia vincibilis, & peccaminosa, deficiente debito sciendi.

Dices: puerum peccantem

mortaliter in primo instanti usus rationis, non incurrere tunc ignorantiam vincibilem, & peccaminosam omnium legum naturalium; sed incurrere ignorantiam vincibilem, & culpabilem cuiuscumque legis, quando urget præceptum illam sciendi, si tunc perseverat in suo peccato mortali.

Sed contra: ignorantia, quam homo existens in peccato mortali habet de notitia legis, urgente præcepto illam sciendi, nullo modo est voluntaria: ergo nullo modo est peccaminosa. Probatur Ans: nullo modo est cognita: ergo nullo modo est voluntaria. Ans. supponitur, & consequenter legitime infertur.

28 Dices: sufficere, ut ignorantia sit voluntaria, & peccaminosa, quod homo debuerit, & potuerit illam scire, seu excludere impedimentum ad illam sciendam, sive cognoscendam.

Sed contra est 1. Non potest quis liberè tollere peccatum re-duplicativè, ut est impedimentum ad cognoscendam hanc, aut illam legem, nisi aliquomodo cognoscat, ipsum peccatum esse impedimentum ad talem legem cognoscendam; sed qui existit in peccato mortali, non cognoscit aliquo modo, peccatum esse hic, & nunc

impedimentum ad obtinendam notitiam legis huius, vel illius particularis, cum talem legem prorsus ignoret, ut supponimus: ergo qui existit in peccato mortali, non potest liberè tollere peccatum re-duplicativè, ut est impedimentum ad cognoscendam hanc, vel illam legem. Consequenter est legitima. Maior: quia libertas circa aliquod obiectum non potest dari, quin tale obiectum ab intellectu voluntati proponatur cum indifferentia. Minor: etiam debet concedi ab adversariis: quia non potest cognosci, peccatum esse impedimentum hic, & nunc ad cognoscendam hanc, vel illam legem, quin talis lex aliquomodo saltè per modum conotati cognoscatur.

Contra 2. Non peccat existens in peccato mortali, non tollendo impedimentum ad sciendam legem, si prorsus ignorat, se teneri hic, & nunc ad tollendum tale impedimentum; prorsus ignorat iuxta adversarios, se teneri hic, & nunc ad tollendum tale impedimentum, cum prorsus ignoret hic, & nunc, se teneri ad sciendam legem: ergo existens in peccato mortali non peccat, non tollendo impedimentum ad sciendam legem, quam omninò ignorat.

norat. 3. Ut ignorantia legis sit alicui voluntaria actualiter, requiritur, quod ille possit, & debeat scire legem, & omitat, ita ut ipsa omisio sciendi sit actuale exercitium suæ voluntatis; omisio sciendi legem nequit esse actuale exercitium voluntatis, quin ipsa lex aliquo modo voluntati ab intellectu proponatur: ergo nequit ignorantia legis esse actualiter voluntaria, quin ipsa lex voluntati ab intellectu aliquo modo proponatur. Consequenter est legitima, maior, & minor videtur innegabilis: quia voluntas non potest se exercere circa prorsus incognitum.

29 Sed dato, quod carentia gratiæ sit impedimentum grave ad sciendam legem naturalem, adhuc ex hoc non sequitur, non posse dari ignorantiam invincibilem legis naturalis. Quod probatur 1. ut ignorantia legis naturalis sit vincibilis, & imputetur alicui ratione peccati, quod est impedimentum ad obtinendam notitiam talis legis, requiritur, quod cognoscat, peccatum mortale esse impedimentum grave ad obtinendam notitiam legis naturalis, tenerique ad non peccandum mortaliter in vi legis præcipientis scire legem naturalem; sed hoc vix ullus est, qui cognoscat; quin potius ferè om-

nes Theologi illud negant: ergo vix ullus erit, cui ignorantia iuris naturalis, aut legis, sit vincibilis, imputeturque ad culpam ratione carentiæ voluntariæ gratiæ. Consequenter est legitima, minor, certa: quia paucissimi sunt, qui sententiam contrariam defendant. Quare solum possunt respondere adversarij, quod omnes, qui non cognoscimus carentiam gratiæ sanctificantis esse impedimentum grave ad cognoscendam quamlibet veritatem naturalem, darique obligationem ad non peccandum mortaliter in vi legis præcipientis notitiam præceptorum naturalium; hoc ignoramus vincibiliter; vel quia omnes sumus in peccato mortali, vel quia, etsi non simus omnes in peccato mortali, nullus ex nostris fuit, qui faceret omnem diligentiam debitam ad invenendam talem obligationem, & consequenter peccamus saltem venialiter hanc sententiã defendendo. Quod an sit contemptu dignum, videant alij.

2. Ut ignorantia legis naturalis prohibentis v.g. tactus impudicos, imputetur puero peccanti in primo instanti usus rationis, requiritur, quod puer prævideat, carentiam gratiæ esse impedimentum ad acquirendam notitiam legis na-

turalis, & imminere illi periculum proximum ignorandi talem legem, si peccet; sed fieri potest, quod puer in primo instanti usus rationis prorsus ignoret se exponi, peccando, periculo proximo ignorandi talem legem naturalem: ergo fieri potest, quod puer peccet in primo instanti usus rationis, & quod ignorantia legis naturalis subsequata ex tali peccato, non imputetur illi ad culpam, & consequenter neque peccata ex illa sequuta. Conseq. est legitima, mai. certa. Quomodo namque poterit cognoscere se exponi, peccando, periculo proximo, & quod prudenter timeri debet, ignorandi in posterum aliquam legem, si prorsus ignorat illam, ut supponimus? Et quidem invincibiliter: quia ignorantia legis pro illo instanti primo, & periculi illam in posterum ignorandi, si peccet, antecedit ipsum peccatum; & est independens ab illo: ignorantia siquidem, qua quis ignorat omnino, quod aliqua actio, vel omisio est periculosa, præcedit ipsam positionem actionis, vel omisionis; & mai. est certa: Quia ut effectus subsequutus ex aliqua actione, vel omisione imputetur ad culpam, requiritur, quod aliquo modo prævideatur, & non sufficit,

quod prævideatur præcisè, ut possibilis, (ut ipsi adversarij debent concedere, aliàs non posset quis se exponere periculo minus probabilis peccati materialis, aut formalis, quod negant.) Sed requiritur, quod prævideatur imminere periculum proximum, & quod prudenter timeri debeat. Quibus omnibus addendum duxi, falsum esse, hominem constitui sufficienter in actu primo ad cognoscendum hunc contractum in particulari non esse faciendum per illud principium; *non est faciendus contractus usurarius*: quia illa conclusio dependet ex duplici præmissa, una est de iure, & est, quam iam diximus; alia est de facto, scilicet, *hic contractus est usurarius*; circa quã propositionem, cum sit de facto, potest dari ignorantia invincibilis, quia fieri potest, quod ad eius iudicium requiratur consideratio tot circumstantiarum quod non sit omnium illas considerare; ut recte vidit *D. Tho. loco cit. art. præc. n. 1.*

30 2. Probatur nostra conclusio alia ratione, quæ est mihi evidens demonstratio: qui prorsus ignorat legem naturalem prohibentem v. g. tactus impudicos, ita, ut nunquam illi venerit in mentem, prorsus ignorat legem præcipien-

ipientem scire legem naturalem; ut particularizatam ad legem naturalem prohibentem tactus impudicos, ita ut talis lex præcipiens scire legem naturalem, ut particularizatam, nunquam illi venerit in mentem, qui prorsus ignorat legem præipientem scire legem naturalem, ut particularizatam ad legem particularem prohibentem tactus impudicos, ita ut nunquam ipsius occurrerit menti, non peccat, ignorando legem naturalem prohibentem tactus impudicos: ergo qui prorsus ignorat legem naturalem prohibentem tactus impudicos, non peccat ignorando talem legem, & consequenter ignorat invincibiliter. Conseq. est legitima, mai. certa, à nemineque negabitur: quia notitia legis, ut particularizatæ ad hanc determinatam materiam, omnino dependet ex notitia talis particularis materiæ: Quare prorsus ignota hac particulari materia, ignorari omnino necesse est legem præipientem, aut prohibentem, ut particularizatam ad illam materiam. Et probatur min. qui prorsus ignorat legem præipientem scire legem naturalem ut particularizatam ad legem particularem naturalem prohibentem tactus impudicos, ita ut illa lex, ut particu-

larizata nunquam illi venerit in mentem, nec est, nec fuit aliquando obligatus ad sciendam legem prohibentem tactus impudicos, qui nunquam fuit obligatus ad sciendam legem prohibentem tactus impudicos, non peccat, ignorando talem legem: ergo qui prorsus ignorat legem præipientem scire legem naturalem, ut particularizatam ad legem naturalem prohibentem tactus impudicos, ita ut talis lex, ut particularizata, nunquam illi venerit in mentem, non peccat ignorando legem naturalem prohibentem tactus impudicos. Conseq. est legitima, mai. certa: quia licet, ut lex præcipiat, & habeat vim obligandi aliquem, non sit necessarium, quod talis lex aliquando fuerit ab illo cognita, tamen ut lex actu obliget aliquem, requiritur, quod talis lex aliquomodo ab illo cognoscatur, & ut actu obliget, ut particularizata, cognoscatur aliquo modo: quia lex non obligat, nec regulat actu, nisi ut applicata regulato, quæ applicatio fit per cognitionem. Et ob hanc rationem lex prohibens accessum ad non suam, non obligavit actu Jacob accedentem ad Liam: quia licet Jacob cognoverit talem legem in communi; ig-

noravit tamen talem legem omnino ut particularizatam. Minor etiam est certissima: quia qui nunquam fuit obligatus ad sciendam aliquam legem, ignorando illam, non omittit adimpletionem alicuius obligationis, aliàs Jacob non obligatus ad non accedendum ad Liam, peccaret formaliter, ad illam accedendo.

Si autem dicant adversarij, quod qui ignorat prorsus legem præcipientem scire legem prohibentem tactus impudicos, ut particularizatam, illam ignorat vincibiliter; cum teneatur illam non ignorare, ac proinde ratione talis ignorantiae, non excusari à peccato ignorantiam legis prohibentis tactus impudicos. Si hoc dicant, ab eis peto, in vi cuius legis teneatur quis, & sit obligatus ad sciendam legem præcipientem scire legem naturalem, ut particularizatam, quam ut particularizatam, prorsus ignorat? Si dicant, quod teneatur in vi ipsius legis, ut particularizatæ omnino incognitæ prorsus falluntur quia lex, ut dixi, & apud omnes est in confesso non obligat nisi ut aliquomodo cognita, & per cognitionem applicata regulato. Si autem dicant, quod est obligatus in vi alterius legis reflexæ præcipientis scire le-

gem præcipientem scire legem naturalem ut particularizatam: sic instauro totam rationem. Qui ignorat prorsus legem præcipientem scire legem naturalem, ut particularizatam, ignorat prorsus legem, præcipientem scire legem naturalem, ut particularizatam; qui ignorat prorsus legem præcipientem scire legem naturalem, ut particularizatam; qui ignorat prorsus legem præcipientem scire legem naturalem, ut particularizatam: ergo qui prorsus ignorat legem præcipientem scire legem naturalem particularem, ut particularizatam ad talem legem particularem, non peccat in tali ignorantia. Consequenter legitime infertur, & præmissæ constant ex iam dictis. Quare vel dandus est processus in infinitum, vel deveniendum est ad cognitionem alicuius legis habentis connexionem cum lege naturali directa, & consequenter ad cognitionem aliqualem talis legis particularis directæ, quæ actu obliget ad legem naturalem particularem cognoscendam, & in vi cuius sit

peccatum illam igno-

rare.

* * *

§. III.

§. III.

Ab inconvenientibus probatur nostra conclusio.

31 **T**ertio probatur nostra conclusio ab inconvenienti: Nam ex contraria sententia sequitur, neminem posse tuto resolvere dubia circa ius naturale, etiamsi habeat opinionem probabilior, aut probabilissimam; sed esse necessarium ad resolvenda talis dubia, quod quis habeat principium omnino infalibiter connexum cum veritate; hoc est prorsus absurdum: ergo, & id, ex quo sequitur. Probatur seq. Nam qui solum cum opinione probabiliori resolveret talia dubia, se exponeret periculo minus probabili errandi contra ius naturale, & consequenter peccandi formaliter, cum non possit dari error inculpabilis circa ius naturale; sed nemo potest tuto se exponere periculo minus probabili peccandi formaliter: ergo nemo poterit tuto resolvere dubia circa ius naturale, etiamsi habeat opinionem probabilior.

Ad hoc inconveniens respondet Illustriss. Palanco nu. 40. his verbis: *Ad tertium respondeo, quod*

dum non apparet evidentè veritas in dubijs moralibus, si decisio sit secundum partem, que facta humana diligentia iuxta exigentiam materie apparet probabilior, non est periculum proximum errandi, sed solum remotum ex quo solum sequitur, quod sit remotum periculum peccandi, inevitabile quidem in vita humana civili: nemo autem tenetur ad evitanda pericula remota peccandi, unde nec proinde tenentur Theologi, & iudices abstinere à similibus decisionibus. Hucusque Illustriss. Palanco.

Sed contra est 1. Nam illa opinio probabilior concepta post factam humanam diligentiam iuxta exigentiam materiae, vel est verè probabilior, vel solum est probabilior ex errore circa veram probabilioritatem? Si dicatur primum: ergo qui tali opinioni à se conceptæ assensum præstat, non se exponit periculo errandi voluntariè. Probatur consequenter. Qui habet opinionem verè probabilior de existentia legis, habet opinionem de eo, quod non errat, iudicando, dari talem legem, qui habet opinionem probabilior de eo, quod non errat, iudicando dari legem, non se exponit periculo errandi voluntariè, & imputabiliter; præstando assensum tali opinioni: ergo qui assentitur

D

opinio-

opinionem verè probabiliorem, non se exponit periculo errandi voluntarie, & imputabiliter. Conseq. est legitima, mai. certa: quia si est probabilius, dari legem, etiam est probabilius, iudicium iudicans dari legem, esse re ipsa verum, cum veritas realis assensus dependeat omnino ex veritate reali obiecti. Et min. facile probatur: Si se exponeret periculo errandi voluntarie, & imputabiliter, si erraret, voluntarie, & imputabiliter erraret; hoc est falsum, cum opinio verè probabilis excuset à peccato cum illa operatè ergo. Tum etiam: Nam qui operatur cum opinione probabiliore de eo, quod aliqua actio non est peccaminosa, non se exponit periculo peccandi voluntarie, & imputabiliter; sed solum periculo peccandi materialiter: ergo similiter, qui elicit aliquem assensum cum opinione probabiliore de eo, quod non errat, non se exponit periculo errandi voluntarie, & imputabiliter, sed solum materialiter, & omnino involuntarie, consequenterque dabilis est error omnino involuntarius circa legem naturalem.

Si dicatur secundum: vel talis error est vincibilis, vel omnino invincibilis? Si vincibilis non poterit, qui sic errat, tutò assentiri tali opi-

nioni: quia illicitum est iuxta adversarios, assentiri opinioni, quæ solum apparet probabilior ex errore vincibili, sicut etiam est illicitum agere iuxta illam, si talis error est invincibilis: ergo dari potest error invincibilis circa probabilitatem, & verisimilitudinem legis naturalis: ergo etiam dari poterit circa veritatem illius. Probatur hæc conseq. Tum quia facilior est inventio verisimilitudinis legis naturalis, quam illius veritatis realis: ergo si dari potest error invincibilis circa illius verisimilitudinem, dari etiam poterit circa illius veritatem. Tum etiam: Nam qui errat invincibiliter, iudicando aliquam opinionem esse probabiliorem, non peccat præstando illi assensum, etiam si errat, quia illi assentitur post factam omnem diligentiam debitam ad non errandum: ergo si dabilis est error invincibilis circa veritatem probabilitatem legis naturalis, dabilis est etiam error invincibilis circa veritatem realem talis legis.

32. 2. Impugnatur solutio: Implicatorium est, quod qui assentitur opinioni probabiliore circa ius naturale post factam humanam diligentiam iuxta exigentiam materiæ, ad non errandum, se exponat in tali assensu periculo errandi volun-

voluntarie: ergo implicat in terminis Illustriss. Palanco, supponendo ex vna parte, assentientem opinioni probabiliore fecisse humanam diligentiam iuxta exigentiam materiæ ad non errandum, & asserendo ex alia parte, se exponere periculo minus probabili errandi voluntarie, & imputabiliter. Probatur antecedens: implicatorium est, quod erret voluntarie, & peccaminose: ergo implicatorium est, quod se exponat periculo minus probabili errandi voluntarie, & peccaminose. Conseq. patet: quia si error voluntarius est repugnans, non est minus probabilis, & consequenter nec periculum illius, cum periculum minus probabile errandi voluntarie fundetur in opinione minus probabili talis erroris voluntarij. Probatur ant. primò. Quia qui facit humanam diligentiam iuxta exigentiam materiæ ad evitandum errorem, facit omne, quod debet, ad non errandum, implicatorium est, quod ille, qui facit omne, quod debet, ad non errandum, erret errore sibi voluntario, & imputabili: ergo. Conseq. est legitima, mai. certa, alias non posset tutò elicere assensum, & min. est certissima: quia si quis facit omne, quod debet, ad evitandum errorem, non

vult directè errorem, quin potius vult efficaciter illum evitare; & minus vult illum indirectè, & interpretativè, quia non datur fundamentum ad interpretandum velle errorem, qui fecit omne quod debuit, ad evitandum illum. Rursum: quia si talis error esset voluntarius, & peccaminosus formaliter, esset, quia per illum frangeret formaliter præceptum evitandi errorem; implicat, quod frangat, formaliter, & voluntarie præceptum vitandi errorem, qui fecit omne id, quod debet ad illum evitandum: ergo.

3. Impugnatur solutio: Non potest quis tutò sequi opinionem, neque in operando, neque in iudicando, quæ si est falsa, non excusat; opinio probabilior afferens secum periculum minus probabile erroris formaliter peccaminosi, si est falsa, non excusat: ergo non potest quis tutò sequi in iudicando opinionem probabiliorem afferentem secum periculum minus probabile erroris formalis. Conseq. est legitima, mai. certa: Quia in tantum potest quis sequi opinionem probabilem, in quantum excusat, si forte est falsa. Et min. est evidens: quia si talis opinio probabilior est falsa, assensus illi præstitus est erroneus voluntarie:

tariè, inciditurque in periculum, quod secum affert talis opinio.

33 Impugnatur tandem solutio: ergo stat, quod quis faciat humanam diligentiam iuxta exigentiam materiæ, & consequenter omnem diligentiam debitam ad inveniendam veritatem realem practicam alicuius propositionis practicæ naturalis, & quod solum cognoscat probabilitatem, & verisimilitudinem illius. Conseq. legitime inferitur ex doctrina Illustriss. Palanco, & certè, si non staret, sequeretur, quod omnes Doctores, qui solum obtinuerunt probabilitatem, aut verisimilitudinem alicuius propositionis practicæ naturalis, qui sunt ferè omnes cum vix nullus, qui dubia moralia resolvat evidentè, & omninò infallibiliter; non fecerunt diligentiam debitam ad illam inveniendam, & consequenter peccarunt resolvendo dubia circa ius naturale, quod nefas est dicere: ergo stat, quod quis faciat omnem diligentiam debitam ad inveniendam veritatem realem alicuius propositionis practicæ naturalis, & quod adhuc illam ignoret, consequenterque dabilis est ignorantia invincibilis iuris naturalis. Probatur hæc conseq. 1. Qui solum cognoscit probabilitatem propo-

sitionis, adhuc non invenit veritatem realem illius; probabilitas namque, aut verisimilitudo non est ipsa veritas realis, neque habet infalibilem connexionem cum illa, cum stet, quod opinio sit verè probabilis, & quod sit falsa: ergo stat, quod quis faciat omnem diligentiam debitam ad inveniendam veritatem realem alicuius propositionis practicæ naturalis, & quod adhuc illam ignoret. Probatur 2. eadem conseq. ignorantia veritatis realis non excluditur per opinionem probabiliorem: ergo qui solum habet opinionem probabilem de aliqua propositione, adhuc ignorat illius veritatem realem. Prob. ant. Tum quia opinio probabilis permittit secum errorem, cum stet, quod opinio sit verè probabilis, & quod sit falsa, ut potè in ixa principio fallibili: ergo ignorantia veritatis non excluditur per opinionem probabilem error namque essentialiter includit ignorantiam, neque potest quis errare circa id, quod non ignorat. Tum etiam: Quia iuxta D. Tho. assensus opinativus non excludit dubitationem, quin potius illam secum affert: *Et si quidem hoc sit verba sunt D. Tho. cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio: ergo nec excludit*

cludit ignorantiam, cum dubitatio illam essentialiter includat. Non enim dubitat quis de eo, quod scit.

34 Tum denique nam assensus opinativus ad summum habet excludere incertitudinem moralem: ergo adhuc relinquit in intellectu incertitudinem metaphysicam veritatis. Quare est aliqua propositio re ipsa sit vera, qui solum habet opinionem probabilem de illa, adhuc ignorat illius veritatem realem. Rursus: qui solum probabiliter iudicat dari legem, non cognoscit, neque affirmat absolute dari legem, sed solum cum restrictione, & suo videri tantum: ergo adhuc ignorat absolute dari talem legem. Conseq. est legitima, & ant. est D. Tho. adde: qui solum cognoscit, aliquam propositionem esse probabiliorem, solum cognoscit assensum illi præstabilem esse probabiliorem: ergo adhuc ignorat esse in re verum: ergo assentitur tali opinioni, ignorando, an talis assensus sit in re verus, & consequenter ignorando semper, an talis propositio sit in re vera.

35 Probatur tandem nostra conclusio alio inconvenienti: nam ex contraria sententia sequitur, non esse licitum sequi opinio-

nem probabiliolem, aut probabilissimam contra ius naturale; hoc est absurdum: ergo, & id, ex quo sequitur. Conseq. est legitima, minor certa, quia hoc est obligare nos ad tutius in materia legis naturalis; & mai. prob. non est licitum sequi opinionem, quæ si est falsa, non excusat à peccato operantem cum illa, opinio probabilissima contra ius naturale, si est falsa iuxta contrarios non excusat: ergo non est licitum sequi opinionem probabilissimam contra ius naturale, si sententia contraria est vera.

Ad hoc respondet Mag. Contenson lib. 6. discep. 3. cap. 1. quod opinio legi naturali adversa, nō est probabilissima, nisi ex errore, ac proinde quid mirum, quod à peccato nō excuset? Sed contra est primò fieri potest, quod opinio in materia iuris naturalis sit verè probabilis, & quod sit falsa: ergo dari potest opinio verè probabilis contra legem naturalem veram. Prob. ant. Tum, quia vera probabilitas in quacumque materia non affert infalibilem connexionem cum veritate, cum nitatur principio fallibili: ergo opinio verè probabilis in quacumque materia potest esse falsa. Tum etiam quia verè probabile est, quod plerumque

contingit, & raro fallit, seu in plurimum est, verum: ergo non est contra rationem verè probabilitatis, quod aliquando fit falsum id, quod est verè probabile. Tum denique, opinio verè probabilior in quacumque materia affert se cum periculum minus probabile falsitatis: ergo in quacumque materia opinio verè probabilior potest esse falsa. Adde, quod si in materia legis naturalis non potest dari opinio verè probabilis falsa, qui cognoverit evidenter, aliquam opinionem esse verè probabiliorem, cognoscet evidenter, esse veram in re; & qui non cognoverit evidenter veritatem realem alicuius opinionis, neque poterit evidenter cognoscere veram probabilitatem illius, quod est falsum.

36 Secundo impugnatur solutio; sed, ut hæc impugnatio melius precipiatur, est notandum 1, quod non semper opinio favens libertati est re ipsa falsa: quia non semper lex naturalis, de cuius existentia dubitatur, re ipsa datur in Deo; consequenterque non semper opinio probabilior pro libertate, & contra legem, est probabilior ex errore; sed aliquando erit verè probabilior, saltem quando fuerit re ipsa vera. Quare dato, quod non possit dari opinio verè proba-

bilis contra legem naturalem veram; potest tamen dari opinio verè probabilis in favorem libertatis, & contra legem, quando, scilicet, lex, de qua erat dubium, non est vera, nec re ipsa datur in Deo, & in hoc casu procedit impugnatio. 2. Est notandum, quod qui solum probabiliter iudicat, non dari legem naturalem prohibentem aliquam actionem, & consequenter talem actionem esse licitam, taliter iudicat, non dari legem naturalem prohibentem talem actionem, quod simul habet dubium, & timorem, ne forte datur lex, & actio sit re ipsa, & materialiter fractio illius: & ad minus cognoscit, quod potest falli in suo iudicio, cum suum iudicium nitatur principio fallibili: ob idque operando iuxta talem opinionem, se exponit ex vi modi operandi, scilicet sine infallibilitate de honestate obiectiva actionis, & solum cum iudicio probabiliori, periculo minus probabili peccandi materialiter, quod ab adversariis dicitur remotum.

37 His notatis: impugnatur 2. solutio: iuxta adversarios non est possibilis poni fractio materialis legis naturalis ab homine ratione vtente, quæ ipsi non imputeretur ad culpam; non est imputabilis ad

cul-

culpam fractio materialis, quam quis non tenetur vitare: ergo non potest poni ab homine ratione vtente fractio materialis legis, quæ non teneatur vitate. Conseq. est legitima, mai. est doctrina adversariorum, qui dicunt, non posse dari fractionem materialem legis naturalis omnino inculpabilem. Sed qui solum habet opinionem probabiliorem de eo, quod aliqua actio non est contra legem, ad minus cognoscit, quod operando iuxta talem opinionem, potest frangere materialiter legem: ergo tenetur vitare talem fractionem, non operando iuxta illam opinionem probabiliorem. Min. subsumpta est evidens, & conseq. facile convincitur ex dictis: nam qui cognoscit, quod operando iuxta opinionem probabiliorem, potest frangere materialiter legem, cognoscit, quod operando iuxta talem opinionem probabiliorem, potest talis operatio illi imputari ad culpam, cum iuxta adversarios non sit possibilis fractio materialis legis naturalis ab homine ratione vtente, quæ illi non imputeretur ad culpam, & si hoc ignorat, ignorat vincibiliter, & consequenter peccat; sed non potest alicui imputari ad culpam operatio, quam vitare non tenetur: ergo si ille, qui

operatur cum opinione verè probabiliore, cognoscit, quod talis operatio potest illi imputari ad culpam cognoscit, quod tenetur ad non operandum cum tali opinione probabiliore, cum solum possit illi imputari ad culpam operari cum opinione probabiliore ratione debiti non operandi cum tali opinione: consequenterque erit illicitum agere iuxta opinionem verè probabiliorem de licito in materia legis naturalis.

Alijs terminis hoc ipsum explicatur. Qui operatur contra legem naturalem cum opinione verè probabiliore, se exponit periculo frangendi talem legem naturalem, non frangendo illam inculpabiliter: ergo culpabiliter, & imputabiliter. Mai. est certa, cum operetur ductus iudicio fallibili. Min. etiam est certa iuxta adversarios. Tum, quia non est dabilis fractio materialis inculpabilis ab homine ratione vtente. Tum etiam, quia si solum se exponeret periculo frangendi legem naturalem inculpabiliter; & si incideret in periculum, cui se exponit, operando cum tali opinione, & consequenter frangeret legem Dei re ipsa, non peccaret formaliter, quod non admittunt adversarij. Et nunc subsumimus; sed non se exponit periculo frangendi

gendi legem Dei imputabiliter per aliquam actionem, seu peccandi formaliter, qui non tenetur vitare talem actionem: quia nemo per actionem licitam, in illis circumstantiis, in quibus est licita, se exponit periculo peccandi formaliter, seu frangendi legem Dei imputabiliter, implicat siquidem, quod actio licita in circumstantiis, in quibus est licita sit formaliter illicita: ergo si ille, qui operatur cum opinione verè probabiliori contra legem naturalem se exponit periculo frangendi imputabiliter legem naturalem, signum est, quod tenetur non operari cum tali opinione. Vide infra dicenda quæst. 4. art. 8. §. 3. nu. 67.

§. IV.

Fit obviam argumentis sententiae contrarie.

38 **C**ontra nostram sententiam sentiunt Contenson, Palanco, & alij, in quorum favorem arg. 1. ex Illustr. Palanco: vel homo perveniens ad usum rationis, seu ad primum instans usus rationis, se convertit in Deum tanquam in ultimum finem, vel peccat mortaliter, non se convertendo? Si dicatur pri-

imum: vel talis homo quærit sincerè, & cum omni diligentia media necessaria ad serviendum Deo, aut circa hoc habet aliquam negligentiam? Si adhibet omnem diligentiam ad invenienda media minimè errabit circa illa: nam lex naturalis naturaliter intimatur etiã quoad secundaria præcepta non apponenti obstaculum. Si autem habet aliquam negligentiam in inquirendis medijs, peccabit saltem venialiter, & consequenter ignorantia non erit omnino involuntaria, & invincibilis. Si verò dicatur secundum: sufficienter se impedit per tale peccatum mortale ad cognoscendam legem naturalem etiam quoad secundaria præcepta, & consequenter, si in posterum errat circa illam, sua culpa, & vincibiliter errat. Tum, quia assumit indebitum principium iudicandi practice de moribus, & qui assumit indebitam regulam iudicandi practice de moribus, si in posterum errat, sua culpa errat. Tum etiam quia non quærit super omnia scire legem Dei, & qui non quærit super omnia scire legem Dei, sed temporalia, si errat circa illam, culpabiliter errat: ergo in omni eventu ignorantia legis naturalis est vincibilis, & peccaminosa.

Adhoc

Adhoc arg. sufficienter constat solutio ex iam dictis pro nostra conclusione: quia in primis falsum est, peccatum mortale esse impedimentum, & obicem ad cognoscendam legem naturalem, ut constat ex dictis. Et dato, quod esset impedimentum, adhuc falsum est peccantem mortaliter non posse ignorare invincibiliter legem naturalem quoad aliqua præcepta: quia ut damnum sequutum ex aliqua causa imputetur ponenti illam, requiritur in primis, quod quis illam cognoscat in esse causæ; nec hoc sufficit, sed insuper requiritur, quod quis cognoscat causam, & illam ponat cum prævisione damni, non præcisè ut possibilis, sed ut futuri, saltem sub dubio, scrupulo, &c. Quare si puer in primo instanti usus rationis non prævideat, peccatum mortale esse impedimentum ad cognoscendam legem naturalem, imminereque periculum proximum hanc, vel illam legem particularem ignorandi, legem v.g. honorandi senes, aut legem prohibentem tactus impudicos, quia tales leges neque ipsi veniunt in mentem in tali instanti; etiam si peccet, & in posterum illas ignoret, non ob hoc ignorabit illos vincibiliter. Per quod patet ad proba-

tiones in contrarium.

Et insuper ad primum respondeo, quod existens in peccato mortali, adhuc habet principium, seu finem, à quo moveatur ad media inquirenda conducentia ad honestè vivendum, scilicet, bonum honestum. Licet enim quis peccans mortaliter, se avertat à Deo tanquam ab ultimo fine, habet tamen pro fine adæquato, quamdiù in peccato mortale perseverat, non præcisè bonum in honestū, aut bonum delectabile, sed bonum proprium sub ratione proprii boni, sub quo fine clauditur bonum honestum, ut tale, à quo potest moveri, & quod assumere potest, ut principium ad inveniendam legem naturalem, & media conducentia ad honestè vivendum. Nam existens in peccato mortali semper cognoscit evidentè, illud universalissimum principium: *bonum est faciendum, malum est fugiendum*. Ex quo principio potest descendere, si vult, ad cognoscendum, quid hic, & nunc secundum rectam rationem debeat fieri; vel omitti.

Ad secundum dico, aliud esse, quod quis per ipsum actuale peccatum non quærat legem Dei super omnia incompatibilia cum ipsa inquisitione sincera legis Dei; aliud esse, quod existens habitualiter

ter in peccato mortali non possit quærere legem Dei super omnia. Primum est verum, secundum falsum quia existens in peccato mortali potest quærere legem Dei super omnia, & eo modo, quo debet aliàs plus requireretur ad quærendum legem Dei, quam ad honeste vivendum, quod est falsum.

39 Sed dato, quod ille, qui peccat mortalitèr, ignoret vincibilitèr legem Dei naturalem, adhuc ex hoc non infertur, non posse dari ignorantiam invincibilem illius in homine existente in gratia, ut factis manet probatū. Nec obstat cōtra hoc illud axioma: *facienti quod est in se Deus nō denegat gratiam.* Licet enim facienti, quod est in se viribus gratiæ, Deus non denegat gratiam ad obtinendam notitiam eorum, quæ necessaria sunt ad salutem, necessitate mediæ; non vero eorum, quæ solum sunt necessaria, necessitate præcepti, & sine quorum notitia salus æterna absolute obtineri potest: aliàs faciens, quod est in se, viribus gratiæ, non solum non potest habere ignorantiam invincibilem iuris naturalis secundum se, sed nec iuris naturalis, ut particularizati, iuris divini, aut humani: cum eorum observatio sit necessaria necessitate præcepti ad consequendam salutem,

quod non concedit Illustriss. Palanco. Et quod faciens, quod est in se, possit invincibilitèr ignorare legem naturalem quoad aliqua præcepta, facile convincitur ex concessis ab adversarijs: quia iuxta illos stat, quod faciat quis, quod est in se ad inveniendam evidentèr, & infallibilitèr, legem naturalem particularem, & quod evidentiam illius non obtineat. Rursum stat, quod quis faciat, quod est in se ad inveniendum principium necessario connexum immediate cum aliqua veritate practica, & quod illud non inveniatur, sed solum principium probabiliter connexum cum illa, sed principium necessario cōnexum cum veritate practica tanquam cum conclusione, est quædam propositio practica necessaria: ergo stat, quod quis faciat, quod est in se ad inveniendam aliquam propositionem necessariam practicam naturalem, & quod illam non inveniatur.

40 Arg. 2. Homo in statu naturæ lapsæ potest quamlibet veritatem practicam naturalem cognoscere: ergo non potest aliquam invincibilitèr ignorare, & consequenter nec aliquam legem naturalem. Conseq. videtur legitima quia ignorantia, quæ potest

vinci, non est invincibilis. Et antecedens docetur communiter à Theologis, qui asserunt, hominem in statu naturæ lapsæ posse sine speciali gratiâ quamlibet veritatem practicam cognoscere: quia quælibet continetur intra obiectum proportionatum nostri intellectus.

Hoc arg. optimum est ad probandum, peccatum mortale non esse impedimentum ad cognoscendam quamcumque veritatem practicam naturalem, & consequenter ignorantiam illius non semper fieri vincibilem per peccatum. Nā iuxta adversarios, & iuxta veritatē, homo in statu naturæ lapsæ potest absque speciali gratiâ tam ordinis naturalis, quam supernaturalis, quamlibet veritatem practicam cognoscere: ergo carentia gratiæ non est impedimentum ad quamlibet veritatem practicam naturalem cognoscendam. Rursum malè infertur ex eo, quod possit homo quamlibet veritatem practicam divisivè cognoscere, quod non possit aliquam invincibilitèr ignorare, sed solum infertur, quod non possit ignorare invincibilitèr aliquam seorsim ab alijs occurrentem. Quare si nullo modo occurrat, vel occurrat simul cum alijs, non probatur, quod non possit

ignorare, invincibilitèr. Deficit etiam in probando: nam ex eo solum sequitur, quod non possit quis ignorare quamlibet legem pertinentem ad suum statum divisivè sumptam; non verò, quod non possit ignorare invincibilitèr aliquam ex legibus, quas tenetur scire, cum teneatur scire absolute omnes leges pertinentes ad suum statum, & non præcisè quamlibet divisivè sumptam.

Et tandem malè infertur ex eo, quod quis possit cognoscere quamlibet veritatem practicam naturalem: quod non possit aliquam invincibilitèr ignorare. Nam homo potest, & tenetur scire quamlibet veritatem practicam naturalem in particulari, seu legem naturalem, ut particularizatam; potest etiam, & tenetur scire legem positivam, quæ ad ipsum attinet, quin ex hoc sequatur, quod non possit illas invincibilitèr ignorare. Rursum: homo sine speciali gratiâ potest quamlibet veritatem practicam naturalem scientificè, & infallibilitèr cognoscere, & nihilominus iuxta adversarios potest invincibilitèr carere tali scientiâ, & cognitione infallibili: ergo ex eo, quod possit absolute quamlibet veritatem practicam cognoscere, non sequitur, quod non possit

fit illam invincibiliter ignorare.

41 Ad hoc ergo arg. dicimus, plus requiri, ut homo non possit invincibiliter ignorare legem naturalem, quam ad hoc ut possit absolute illam invenire potentia radicali: ad hoc enim sufficit, quod talis lex possit in illius mentem venire; ad illud autem desideratur, quod illi de facto aliquo modo occurrat. Quare ex eo, quod quis possit aliquam veritatem invenire potentia radicali, seu remota, & mediata, non sequitur, quod non possit illam invincibiliter ignorare. Et dato, quod lex in mentem veniat sub dubio, scrupulo, &c. Non sequitur quod non possit dari circa illam error invincibilis: quia solum tenetur quis illam invenire probabiliter, & quoad videri; seu solum tenetur invenire principium verosimile, & vere probabile de existentia legis, ut ipsi adversarii fatentur: cum quo componitur, quod quis erret circa illam: quia stat, quod lex sit vere apparens, & verosimilis, & quod non sit vera, seu quod quis utens principio vere probabiliter, fallatur, cum tale principium sua natura sit fallibile. Nec utenti principio fallibili, ut tali, debetur necessarium, & infallibiliter concursus Dei, ut non fallatur quia Deus

solum debet concurrere cum principio iuxta exigentiam illius: cum autem principium fallibile non petat nunquam fallere, nec utens tali principio petat nunquam falli, nec Deus tenetur infallibiliter concurrere cum utente principio fallibili, ut tali, ut nunquam fallatur.

42 3. Arguitur: homo potest, & tenetur observare omnia precepta naturalia ad ipsum pertinentia: ergo potest, & tenetur illa invenire. Ant. est certum, & consequ. legitime infertur: quia in debito observandi legem, clauditur posse, & debitum illam inveniendi; sed qui potest, & tenetur scire legem, si illam ignorat, vincibiliter ignorat: ergo si homo potest, & tenetur scire omnia precepta naturalia ad ipsum pertinentia, si ea ignorat, utique vincibiliter ignorat, & consequenter non poterit dari ignorantia invincibilis iuris naturalis ad unumquemque pertinentis.

Argumentum hoc debile est, & innumeras patitur instantias: quia homo potest, & tenetur observare omnia precepta naturalia ad ipsum pertinentia; potest, & tenetur observare precepta naturalia, ut particularizata, potest, & tenetur observare omnia precepta

ta divina, & supernaturalia, & quod magis est, potest, & tenetur scire fidem; quin ex hoc sequatur non posse supradicta invincibiliter ignorare. Quare ad arg. respondr. disting. antec. potest, & tenetur observare omnia precepta naturalia, excusabiliter, vel inexcusabiliter, concedo ant. inexcusabiliter precise, nego ant. & consequ. in eodem sensu. Quia dupliciter potest quis teneri ad observantiam alicuius precepti; vel excusabiliter, & in actu primo precise, vel inexcusabiliter, & in actu secundo. Tenetur excusabiliter, & in actu primo, quando cadit sub lege, quam prorsus ignorat: quia qua ratione cadit sub lege habente vim illum obligandi, tenetur ad illam observandam, & qua ratione illam omnino ignorat, solum tenetur ad illam observandam excusabiliter, & in actu primo: lex namque non obligat positive, & in actu secundo, nisi ut cognita; quare qui illam prorsus ignorat, liberatur ab actuali obligatione, & solum tenetur ad illam observandam in actu primo. Quo pacto non solum tenentur observare legem naturalem homines rationis compotes, sed etiam amentes: omnes siquidem cadunt sub lege naturali, & peccant materia-

liter, quando ea exequuntur quae legi naturali sunt contraria per quod patet ad minorem subsumptam.

43 Arg. tandem Deus concedendo legem naturalem, vult omnes homines obligare ad illius observantiam, & quod talis lex ab omnibus sciatur: ergo facienti quod est in se ad illam sciendam, debet per se, vel per alium communicare notitiam talis legis: ergo si homo ignorat legem naturalem, non stat penes Deum, sed penes hominem, & consequenter talis ignorantia erit homini imputabilis.

Ad hoc arg. respdr. 1. quod licet facienti, quod est in se ad sciendam legem naturalem, debeat Deus communicare notitiam legis, fieri adhuc post, quod quis non faciat, quod est in se ab sciendam legem, & quod non peccet, sed excusetur ratione ignorantiae obligationis faciendi, quod est in se ad obtinendam notitiam legis: sicut facienti, quod est in se ad obtinendam notitiam fidei, Deus non denegat gratiam, & nihilominus fieri potest, quod quis non faciat, quod est in se ad obtinendam notitiam fidei, & quod illam invincibiliter ignoret.

2. Responde quod Deus concedendo legem naturalem, vult vo-

luntate consequenti, quod talis lex habeat vim legis, & consequenter, quod communicati, hominum intimetur in communi, & quoad suam rationem formalem, non verò vult voluntate consequenti, sed solum antecedenti, quod ab omnibus, & singulis hominibus componentibus communitatem sciatur adhuc in communi, & minus ut particularizata; sicut non vult voluntate consequenti, quod omnes, & singuli habeant usum rationis; quare sicut ex eo, quod Deus vult voluntate antecedenti, quod lex naturalis ab omnibus sciatur, non sequitur, quod aliqui non possint sine aliqua sua culpa carere usu rationis; sic non sequitur, quod non possint aliqui rationis compotes legem naturalem invincibiliter ignorare, etiam si faciant quod est in se: nam multoties facientibus, quod est in se, non potest Deus communicare notitiam legis naturalis quoad aliqua præcepta absque miraculo, aut providentia extraordinaria, qua Deus non tenetur uti ad communicandam notitiam præceptorum naturalium, cum hæc notitia non sit necessaria necessitate mediæ ad salutem æternam consequendam. Instantiæ sunt manifestæ: nam Deus vult

syncerè obligare homines ad observantiam legis naturalis, ut particularizata, & quod talis lex ut particularizata sciatur: vult etiam syncerè, quod homines sciant, & observent leges humanas ad ipsos pertinentes: vult tandem syncerè, quod omnes homines sciant, & habeant notitiam fidei, quæ non minus necessaria est ad salutem, quam notitia præceptorum moralium: quin ex hoc sequatur, non posse hominem dicta invincibiliter ignorare. Quare dicendum est, quod præcepta naturalia, quoad suas rationes formales non possunt ignorari invincibiliter à communitate hominum; possunt tamen ignorari invincibiliter eorum aliqua magis remota à primis principijs ab aliquibus hominibus; & ut particularizata, & quoad aliquos casus particulares, qui, & si re ipsa contineantur intra rationem formalem prohibitionis, eorum tamen malitia est adeò recondita, cognituque difficilis, ut doctissimos impulerit in varias sententias abire, possunt ignorari invincibiliter tam à singulis hominibus, quam à communitate.

* *

ARTI-

ARTICULUS III.

In vi cuius Legis obliget conscientia erronea?

IN hoc dubio vnum supponimus, & aliud ad examen revocamus. Supponimus, conscientiam erroneam obligare: quia agere contra conscientiam erroneam est agere affectivè contra veram legem Dei, & habere malam voluntatem, ut optimè vidit D. Tho. quæst. 17. de verit. art. 4. Et hoc supposito, inquirimus, in vi cuius legis dicta conscientia obliget? Quod triplici conclusione resolvemus.

§. I.

Statuitur prima conclusio.

44 **D**icendum est primo, conscientiam erroneam non obligare in vi legis falsò existimatæ. Hanc sententiam tenent N. Sapientissimi P.P. Salmant. super art. 5. quæst. 57. 1. 2. D. Tho. Et tract. 13. disp. 7. dub. 1. præcipue num. 8. & tract. 17. disp. 2. dub. 2. num. 48. Curs. Moral. tract. 20. cap. 2. punct. 2. & communiter proba-

bilitatæ. Et probatur ratione: lex falsò existimata non est vera regula moralitatis: ergo conscientia erronea non potest verè obligare in vi illius. Ant. est doctrina Illustriss. Palanco tract. de conf. quæst. 5. num. 50. Conseq. legitimè infertur: conscientia namque non potest verè regulare in vi regulæ, quæ non est vera, sed falsa. Et si conscientia non regulat verè in vi legis falsò existimatæ, nec verè obligat in vi illius: conscientia namque non alio modo obligat, quam regulando, & dictando, quid agendum, vel omittendum sit.

45 Si dicat, legem falsò existimatam non regulare verè, verè tamen obligare; posseque proinde conscientiam erroneam verè obligare in vi illius. Si hoc inquam, dicat, prorsus fallitur lex namque, ut dictum est non alio modo obligat, quam regulando. Rursus: quia si lex falsò existimata non est vera regula moralitatis, sed solum in apparentia, non facere actum ab ipsa præceptum, aut illum non facere, ut illa præscribit, non erit verum peccatum in vi talis legis, sed solum in apparentia; si non est verum peccatum non agere iuxta legem falsò existimatam in vi illius, lex falsò existimata nõ obligat verè:

verè: ergo si lex falsò existimata non regulat verè, non obliget verè. Mai. probatur: non est verus defectus, neque peccatum in arte non conformare opus cum illa regula artis, quæ vera non est, sed solum apparens: ergo non potest esse verus defectus, nec peccatum in linea morali, non conformari cum regula, quæ non est vera regula moralitatis, sed solum apparens.

46 *Secundo probatur ratione conclusio:* Conscientia erronea non potest obligare verè in vi legis non obligantis verè; sed lex falsò existimata non obligat verè: ergo Min. prob. Lex falsò existimata non habet veram vim legis: ergo non obligat verè. Prob. ant. eo modo lex habet vim obligandi, quo est lex: ergo lex, quæ non est verè lex, sed solum in falsa existimatione, non habet vim obligandi verè, sed solum in falsa existimatione.

Ad hanc rationem respondet Illustriss. Palanco, quod licet lex falsò existimata non habeat veram vim obligandi subiectivè; habet tamen veram vim obligandi obiectivè, & intentionaliter: sicut licet obiectum sit falsò existimatum bonum, vis movendi, quam habet ut falsò existimatum bonum,

non est falsò existimata, sed vera. Et ratio est eadè utrobiquè: nam sicut bonum non habet movere voluntatem, nisi ut apprehensum, ita lex non habet obligare nisi ut cognita.

Sed contra est implicat lex naturalis verè obligans, & quod Deus non obliget verè per talem legem, sed Deus non obligat verè per legem falsò existimatam: ergo lex falsò existimata non obligat verè. Min. probatur: si Deus verè nos obligaret per legem falsò existimatam, lex falsò existimata verè esset tamquam à Legislatore, à Deo; hoc est falsum: ergo Deus non obligat verè per legem falsò existimatam. Conseq. est legitimi. min. certa, & mai. videtur evidens: quia Deus non obligat nos nisi per suam legem, seu per legem, quæ est ab ipso.

47 *Respondebis cum Illustriss. Palanco,* quod in lege divina falsò existimata reperitur obligatio obediendi legi æternæ in universalis, & contractio talis obligationis. Prima obligatio verè est à Deo: quia lex æterna ex conceptu talis obligat ad sui obedientiam. Contractio tamen falsa talis obligationis vnicè est ab homine, qui est author sui erroris. Quare per legem divinam falsò existimatam,

matam, & Deus verè obligat, & homo. Per illam secundum conceptum communem legis divinæ obligat Deus: quia secundum talem conceptum verè est à Deo. Per illam secundum conceptum differentialem, & falsam contractionem obligat homo: quia talis differentia vnicè est ab homine.

Solutio hæc quo ad utramque partem est falsa, & quo ad primam multipliciter impugnatur: primò, Deus in rei veritate, & iuxta Illustriss. Palanco num. 82. non obligat ad obediendum legi falsò existimatæ secundum conceptum obiectivum legis divinæ in communi, per accidens, & præter suam intentionem, sed per se, & ex intentione: seu obligatione orta ex intentione obligandi; sed Deus non obligat re ipsa ex intentione, ad obediendum legi falsò existimatæ secundum conceptum obiectivum legis divinæ, per ipsummet conceptum obiectivum legis divinæ: ergo per legem divinam subiectivè, & exercitè existentem in suo intellectu. Prob. min. Deus obligat re ipsa, & exercitè ex intentione obligandi, per intentionem obligandi, quam re ipsa, & exercitè habet; lex falsò existimata secundum conceptum obiectivum, &

signatum legis divinæ, non importat intentionem obligandi, quam Deus re ipsa habet; sed solum conceptum obiectivum, & signatum intentionis obligandi: ergo.

48 *Secundò impugnatur solutio:* licet obligare per accidens in sententia Illustriss. Palanco, non sit idem ac præcipere, possitque Deus obligare per accidens ad id, quod re ipsa non præcipit; obligare tamen per se, idem est, ac præcipere, sed Deus non præcipit re ipsa, & exercitè, obedire legi falsò existimatæ secundum conceptum obiectivum legis divinæ, per ipsum conceptum obiectivum, & signatum legis divinæ: ergo per legem divinam subiectivè, & exercitè existentem in suo intellectu. Prob. min. Deus præcipit re ipsa, & exercitè per imperium, quod re ipsa, & exercitè est in ipso cum intentione obligandi: ergo licet Deus re ipsa, & exercitè præcipiat obedire legi falsò existimatæ secundum conceptum obiectivum legis divinæ; non tamen præcipit hoc re ipsa, & exercitè, per ipsum conceptum obiectivum, & signatum legis divinæ, seu imperij divini; sed per imperium re ipsa, & exercitè existens in ipso.

Tertio impugnatur solutio: quādo Deus in rei veritate, & exercite præcipit, & obligat per se, ad aliquid, in rei veritate exercet suā vim activam imperandi, & regulādis; sed Deus non exercet suam vim activam imperandi, & regulandi per legem existimative tantum talem, secundum conceptum obiectivum legis divinæ: ergo prob. min. illam exercet per exercitium exercitè, & subiective tale; sed lex divina existimative tantum talis nō est exercitium virtutis præceptivæ, & regulativæ divinæ exercitè, & subiective tale, sed solum signatè, & obiective: ergo.

49 Quartò impugnatur eadem solutio: intellectus practicus non regulat activè media conscientia, nisi cum subordinatione ad Deum, ut exercitè regulantem, & in vi illius legis, per quam Deus activè regulat in exercitio; quia cum sit secundus regulans, nequit regulare, & præcipere nisi cū subordinatione ad Deum ut ad primū regulantem, & in vi illius, legis per quam Deus activè regulat in exercitio; sed Deus non regulat activè in exercitio per legem falsò existimatam secundum conceptum obiectivum, & signatum legis divinæ, sed per legem divinam subiective, & exercitè existentem in ip-

so: ergo intellectus practicus non regulat activè in vi legis falsò existimatæ secundum cōceptum obiectivum, & signatum legis divinæ, sed in vi legis subiective existentis in Deo.

Quare aliud est, quod Deus in rei veritate obliget ad obediendum cuicumque legi divinæ, aliud est, quod ad hoc obliget per ipsam legem divinam, ad cuius obedientiam obligat. Quādo lex existit re ipsa, obligat Deus ad eius obedientiam per ipsam legem, & etiā per aliam reflexam, aut quasi reflexam; at quādo lex re ipsa non datur, & si falsò existimetur existere, non obligat Deus ad illius obedientiam per ipsammet legem falsò existimatam, sed per illam universalissimam legem: *Malum est fugiendum*: quia facere id, quod existimatur esse malum, est malum: est enim contemnere affective veram legem Dei. Quā obrem duplex in hoc casu necessario intercedit lex alia subiective existens in Deo, per quam Deus re ipsa, & exercitè obligat: alia obiective solum existens in nostra falsa existimatione, ad cuius obedientiam Deus verè nos obligat. Et retorquetur paritas in adversariam: lex falsò existimata non verè regulat iuxta Illustriss. Palanco; & ta-

men

men lex regulat secundum esse, quod habet in apprehensione: ergo ex eo, quod lex obliget secundum esse, quod habet in apprehensione, non sequitur, quod lex falsò apprehensa verè obliget.

50 Vidimus iam, Deum non obligare per legem falsò existimatam secundum conceptum communem obiectivum legis divinæ. Videamus nunc, hominem non posse obligare per ipsam legem falsò existimatam secundum suum conceptum differentialem, & falsam contractionem. Impugnatur: ergo 1. lex divina falsò existimata non est vera lex divina in specie: ergo non obligat verè in specie, & consequenter nec homo per illam. Ant. est certum, & probatur consequ. non datur vera obligatio in genere, nisi detur vera lex in genere, saltem obiective: ergo non datur vera obligatio in specie, nisi detur vera lex divina in specie.

Impugnatur 2. eadem solutio: implicat vera obligatio, quæ non sit à Deo: ergo si obligatio mentiendi ut talis non est à Deo, ut vult Palanco, sed ab homine, obligatio mentiendi ut talis non est vera. Prob. ant. implicat vera obligatio, quæ verè non procedat à primo principio verè obligandi; pri-

mo principium verè obligandi est Deus: ergo.

3. Lex mentiendi secundum suam ultimam differentiam, secundum quam non est à Deo, est iniqua, quia in quantum iusta est, à Deo est; obligatio procedens à lege iniqua, ut iniqua, non est vera: ergo prob. min. obligatio procedens à lege iniqua, ut iniqua, est iniqua, cum sit obligatio ad iniquum, ut tale; obligatio iniqua, ut iniqua non est vera: ergo.

4. Nequit dari vera lex mentiendi absolute: ergo nequit dari lex verè obligans ad mentiendum absolute. Probatur consequ. idèd nequit dari vera lex mentiendi, quia nequit dari vera lex ad iniquum; sed nec dari potest lex verè obligans ad iniquum: ergo si nequit dari vera lex mentiendi, nec potest dari lex verè obligans ad mentiendum. Quod ut melius percipiatur, advertere libet, quod lex mentiendi, quæ falsò apprehenditur, est lex directa; lex autem directa obligat ad rem absolute, & in se sumptam. Quare si lex mentiendi falsò existimata verè obligaret, obligaret ad mendacium absolute sumptum, quod est obligare ad iniquum, ut tale.

51 5. Si lex mentiendi secundum suam ultimam differentiam

tiam

tiam obligat præter, immò contra intentionem Dei, vt vult Illustriff. Palanco num. 85. Deus vult, quod talis lex non obligat, & quod obligatio illius sit nulla; implicat, quod Deus vult, quod obligatio illius sit nulla, & quod sit vera obligatio: ergo implicat, quod lex mentien- di secundum suam vltimam dif- ferentiam obliget contra inten- tionem Dei, & quod talis obliga- tio sit vera.

6. Impugnatur solutio ad hominem contra Illustriffi. Pa- lanco vera obligatio obediendi legi divinæ in genere falsò con- trahitur per obligationem men- tiendi; non falsò contrahitur per obligationem veram: ergo obliga- tio ad mentiendum vt talis, non est vera.

52 7. Etiam ad hominem: si lex mentien- di, vt talis, verè obli- garet ad sui obedientiam, homo in casu conscientiaë erroneæ non solum peccaret, non mentiendo, quia discordaret à lege mentien- di secundum conceptum commu- nem obiectivum legis æternæ, seu à conscientia erronea, vt intiman- te obligationem legis divinæ in communi, sed etiam quia discor- daret ab illa vt intimante obliga- tionem legis mentien- di vt talis; hoc est falsum iuxta Illustriff. Pa-

lanco nu. 94. vbi ait: quod qui agit contra conscientiam erroneam non peccat, quia agit contra con- scientiam erroneam, vt erroneam, seu contra illam, vt intimantem obligationem legis mentien- di vt talis; sed quia agit contra illam, vt intimantem obligationem legis divinæ in communi, seu obliga- tionem in genere: ergo lex men- tiendi, vt talis, non obligat verè. Prob. mai: homo verè peccat, agendo contra id, ad quod verè obligatur: ergo si homo verè obli- gatur ad obediendum legi men- tiendi falsò existimatæ non solum secundum conceptum commu- nem legis divinæ, sed etiam secun- dum conceptum specificum legis mentien- di, non mentiendo, non solum peccat, quia agit contra le- gem mentien- di, secundum quod lex divina est, sed etiam quia agit contra illam, vt lex mentien- di est.

Impugnatur tandem solu- tio, & exemplum ab Illustriff. Pa- lanco in prima solutione adduc- tum in ipsum retorquetur impli- cat vera vis movendi obiectivè vo- luntatem, quin detur vera bonitas obiectiva: ergo implicat vera vis specifica obligandi obiectivè, quin detur vera lex specifica obiectivè, seu verus conceptus obiectivus legis. Ant. est certum nam si bo-
nitas,

bonitas, quæ falsò applicatur ob- iecto, non esset vera bonitas ob- iectivè, nullo modo, verè moveret; & idè verè movet, quia, etsi ap- plicatio sit falsa, bonitas tamen, quæ applicatur, est vera bonitas obiectiva. Conseq. constat ex pari- tate. Et nunc sub summo: sed lex mentien- di non est vera lex divina in specie, nec subiectivè, nec obiec- tivè; seu non est verus conceptus obiectivus specificus legis divinæ, cum sit conceptus chimæricus, & repugnans: ergo non habet veram vim specificam, nec subiectivè, nec obiectivè.

53 Datur ergo æquivocatio in exemplo adducto; ad quam æquivocationem tollendam, ani- madvertere oportet, dari dupli- cem contractionem, seu applica- tionem, aliam essentialem, acci- dentalem aliàm. Contractio, seu applicatio essentialis, est contrac- tio conceptus obiectivi generici per differentiã specificã, quæ con- tractio, si fuerit vera, species ex illa resultans, erit obiectivè vera: si fuerit falsa, species resultans erit obiectivè falsa, & chimærica. Con- tractio accidentalis, est contrac- tio, seu applicatio formæ specifi- cæ subiecto: quæ contractio erit falsa, si forma applicetur per intel- lectum subiecto, in quo non est;

& erit vera, si applicetur subiecto, in quo re ipsa est. Si applicatio fue- rit falsa concretum resultans erit obiectivè falsum, si autem vera, erit verum: inter quas applicationes hoc datur discrimen, quod appli- catio accidentalis, stat, quod sit fal- sa, & quod vis influendi obiectivè, & intentionalitè sit vera. Et ratio est quia applicatio accidentalis si- cut supponit totã essentiã formæ, quæ applicatur, sic supponit to- tam vim influendi, & sicut quod applicatio sit falsa, nõ tollit, quod forma, quæ applicatur, sit obiecti- vè vera in specie, sic nec tollit, quod vis specifica influendi inten- tionalitè sit vera, cum hæc ab illa necessario oriatur: E contra verò vis specifica movendi sequitur ad applicationem essentialem, quia sequitur ad formam secundum conceptum specificum obiecti- vum sumptam; ac proinde impli- cat quod vis specifica influendi obiectivè sit vera, & quod con- tractio essentialis sit obiectivè fal- sa: quia vis vera specifica influen- di intentionalitè, & obiectivè, non sequitur ex conceptu obiecti- vo specifico falso, sed verò.

54 Equivocatio ergo in eo stat, quod à bonitate falsò applica- ta accidentalitè arguit ad legem divinam falsò applicatam essentia-
liter,

liter, seu contractam per differentiam specificam falsam mentiendi v.g. & vult, quod sicut vera bonitas falsò applicata accidentaliter habet veram vim specificam movendi obiective, etiam vera lex divina falsò applicata essentialiter habeat veram vim specificam obligandi obiective, in quo aperte fallitur propter rationem iam tactam. Vide de paritate radicali §. 3. & art. 4. huius quæst. in solut. ad ult. arg.

§. II.

*Duplici alia conclusione absolvi-
tur difficultas.*

55 **D**icendum est secundo, conscientiam erroneam non obligare ad obediendum legi falsò existimatæ in vi legis præcipientis præcisè obedire verè legi Dei. Hanc sententiam tenent Authores pro sequenti conclusione citandi. Et probatur ratione: conscientia erronea non obligat ad obediendum legi falsò existimatæ in vi legis ad hoc non obligantis, sed lex præcipiens præcisè obedire veræ legi Dei, non obligat ad obediendum legi falsò existimatæ: ergo conscientia erronea non obligat

ad obediendum legi falsò existimatæ in vi legis præcipientis præcisè obedire veræ legi Dei. Prob. min. obligat ad id, quod præcipit: ergo si non præcipit obedire legi Dei, five verè, five falsò existimatæ, sed solum legi veræ, nec obligat ad obediendum legi falsò existimatæ sed solum verè.

Ad hanc rationem respondet Illustriss. Palanco, quod vera Dei lex non potest obligare per se ad id, quod non prohibet, aut præcipit; potest tamen obligare per accidens, quia lex Dei præcipit tantum, & obligat per se ad obediendum veræ legi Dei; si tamen conceptus veræ legis Dei per accidens, & præter intentionem, tam Dei, quam hominis, applicetur falsò ad aliquam materiam, iam illa lex universalis obligat, licet per accidens, & præter intentionem, aut contra intentionem Dei, ad faciendum quod illa lex falsò existimatæ præcipit.

Sed contra est primo: lex universalis Dei præcipientis obedire veræ legi Dei, nec per accidens præcipit iuxta hunc Authorem obedire legi falsò existimatæ: ergo nec per accidens ad id obligat. Probatur conseq. si obligaret ad id, quod nullo modo præcipit, aut prohibet, daretur aliquod peccatum,

tum, quin aliquo modo esset à Deo prohibitum, hoc est falsum: ergo. Prob. min. ex D. August. lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 16. vbi ait: *Sed neque peccatum erit, si quid erit, nisi divinitus iubeatur, ut non sit.* Idem docet Angel. Doctor 1. 2. quæst. 71, art. 6. ad 4. vbi ait: *Omne peccatum est malum, quia prohibitum:* ergo non potest dari peccatum, quin aliquo modo sit à Deo prohibitum.

Impugnatur 2. solutio: si Deus sua lege naturali nullo modo prohibet, agere contra legem falsò existimatam, hoc sua lege naturali permittit; si sua lege naturali permittit agere contra legem falsò existimatam, non obligat sua lege naturali ad non faciendum contra legem falsò existimatam: ergo si Deus per suam legem naturalem nullo modo prohibet agere contra legem falsò existimatam, nec per suam legem naturalem obligat ad non faciendum contra legem falsò existimatam. Conseq. est legitima, maior, & minor innegabilis.

56 3. Impugnatur demonstrative solutio, & præcedens impugnatio magis explicatur: nam vel agere contra legem Dei falsò existimatam, & solum apparenter

veram est ab intrinseco malum, vel non, sed indifferens, aut bonum? Si est ab intrinseco indifferens, aut determinatè bonum, Deus nec per accidens obligabit sua lege naturali ad non faciendum contra legem falsò existimatam, & solum apparenter veram; cum Deus non possit sua lege naturali obligare per se, aut per accidens ad non faciendum id, quod est ab intrinseco indifferens, aut bonum, in illis circumstantiis, in quibus est bonum, aut indifferens. Si dicatur, quod re ipsa est dicendum, quod est ab intrinseco malum: ergo Deus non solum per accidens, & præter, aut contra suam intentionem, sed etiam per se obligat, & præcipit agere iuxta legem falsò existimatam. Probat. conseq. quod est ab intrinseco malum, petit naturaliter à Deo prohiberi, Deus prohibet sua legi naturali, quod naturaliter petit ab ipso prohiberi: ergo si agere contra legem falsò existimatam est ab intrinseco malum, Deus naturali sua lege prohibet agere contra legem falsò existimatam. Quam rationem tetigit Angel. Doct. loco proxime citato. his verbis: *Omne peccatum est malum, quia prohibitum: ex hoc enim ipso, quod est inordinatum, iuri naturali repugnat.*

57 Impugnatur tandem solutio: si lex existens in Deo solum obligaret per accidens ad obediendum legi falsò existimatæ, agere contra legem Dei falsò existimatam per se loquendo non esset malum, & peccatum, sed solum per accidens; hoc est omnino absurdum: cum agere contra legem falsò existimatam sit contemnere veram legem Dei in affectu, & habere malam voluntatem, quod per se est malū, & nullo modo honestabile: ergo lex reflexa existens in Deo non obligat per se præcisè ad obediendum veræ legi Dei.

Urgetur hoc amplius: nam in principijs Illustriss. Palanco, ad id obligat lex per se, ad quod obligat secundum iudicium rectum, & independentèr à nostra falsa applicatione talis legis ad obligandum; sed lex existens, in Deo obligat ad obediendum legi falsò existimatæ secundum iudicium rectum, & independentèr à nostra falsa applicatione talis legis ad obligandum, aliàs error esset, dari subiectivè talem obligationem obediendi legi falsò existimatæ, & solum daretur obiectivè, supposito nostro iudicio erroneo, de eo, quod daretur subiectivè: ergo lex existens in Deo obligat per se ad obediendum legi falsò existimatæ.

Quare sicut non est error iudicare, esse malum agere contra legem falsò existimatam, sic non est error iudicare, dari in Deo legem prohibentem, & consequentèr obligantem per se, & subiectivè ad non agendum contra legem falsò existimatam: nam aliud est, quod conceptus legis divinæ falsò applicetur ad materiam v.g. mentiendi; aliud est, quod lex reflexa, aut quasi reflexa, subiectivè existens in Deo falsò applicetur ad præcipiendū, & obligandū obedire legi divinæ falsò applicatæ: ad hoc enim nō falsò applicatur, sed independentèr à nostra falsa applicatione, & secundum iudicium rectum præcipit, & obligat, consequentèrque per se. Quamobrem licet per accidens sit, quod non mentiri sit malum, hoc enim habet ratione iudicij erronei; supposito tamen, quod sit malū, & in circumstantia legis falsò existimatæ Deus non per accidens, sed per se, & ex intentione, independentèrque à nostra falsa applicatione, obligat nos ad mentiendum: quia per se nos obligat ad non habendam malam voluntatem, & ad non faciendum malum, ut malum: sicut licet sit per accidens, quod Prælati ratione opinionis probabilis, præcipiat, id quod in re est malum, & contra legem Dei, suppo-

supposito tamen, quod illud præcipiat, non per accidens, sed per se obligat Deus, & præcipit subdito illud facere, dummodo de illius malitia certo ipsi non constet, etsi illi constet probabiliter.

58 Dicendum est 3. dari re ipsa in Deo legem præcipientem, & obligantem per se ad non transgrediendam legem Dei, sive veram, sive falsò existimatam, & consequentèr conscientiam erroneam in vi huius legis obligare. Hanc sententiam tenet cursus scolast. locis supra in prima conclus. cit. & Moralis tract. 20. cap. 5. punct. 1. §. 1. nu. 4. in resp. ad 3. & 4. arg. estque communis inter probabilistas, asserentes actum elicatum cum conscientia erronea invincibili esse positivè rectum. Conclusio satis constat ex dictis, & probatur in super primo hac demonstrativa ratione: Deus obligat per se, & ex intentione ad non faciendum id, quod est ab intrinseco malum; est ab intrinseco malum agere contra legem sive veram, sive falsò existimatam: ergo Deus obligat per se in vi illius legis malum est fugiendum ad non faciendum contra legem, sive veram, sive falsò existimatam.

59 Probatur 2. conclusio datur in Deo lex obligans per se ad

sequendam conscientiam rectam: ergo datur in Deo lex obligans per se ad obediendum legi falsò existimatæ. Probatur consequ. conscientia recta dicitur, obediendum esse legi falsò existimatæ: ergo si datur in Deo lex obligans ad sequendam conscientiam rectam, datur in Deo lex obligans per se ad obediendum legi falsò existimatæ. Probatur ant. Tum, quia iudicium dictans obediendum esse legi falsò existimatæ non est iudicium erroneum, sed verum, & rectum; nō est enim falsum, sed verum, illi esse obediendum: ergo conscientia recta dicitur, obediendum esse legi falsò existimatæ. Tum etiā prob. in hoc syllogismo: *Malum est fugiendum; sed non obedire legi falsò existimatæ est verè malum, & peccaminosum: ergo est fugiendum.* In hoc syllogismo pratico conclusio intimat obligationem faciendi, quod lex falsò existimatæ præcipit, & tamen talis conclusio non est conscientia erronea, sed recta: ergo. Consequ. est legit. mai. certa, & min. etiam est certa apud Illustriss. Palanco: quia iuxta ipsum conscientia erronea non consistit in iudicio vero, sed in erroneo; sed conclusio dicta non est iudicium erroneum, sed verum, cum sit conclusio legitime illata ex præ-

missis veris: ergo.

§. III.

Aliquibus notatis explicantur, & corroborantur amplius huc usque dicta.

60 **S**ed hucusque dicta ut melius percipiantur, nota primò, quod datur duplex regula moralitatis, alia formalis, obiectiva alia. Regula formalis, est dictamen rationis; regula obiectiva, est lex, seu principia practica vera. Secùdò est notandù, quod utraque regula dividitur in univèrsalem, & mediatam; & in particularem, & immediatam. Regula formalis univèrsalis, & mediata, est dictamen synderefsis; regula univèrsalis obiectiva, est lex æterna, per tale dictamen intimata, seu prima principia practica sumpta secundum se; ut *bonum est faciendum, malum est fugiendum*; regula formalis proxima, est dictamen conscientie: regula proxima obiectiva est lex æterna secundum esse obiectivum, vel prima principia contracta, & determinata ad particularem materiam hic, & nunc exercendam. 3. est notandum, quod regula obiectiva non regulat immediate actum, sed mediante re-

gula formali, dictamine scilicet rationis, regula obiectiva univèrsalis mediante dictamine synderefsis; regula obiectiva particularis modo dicto, mediante dictamine conscientie.

61 Quartò est notandum, quod lex potest dupliciter à nobis cognosci, practice, scilicet, & exercite, vel signate, & speculative. Cognoscitur practice, & exercite per iudicium practicum, per quod intimatur: cognoscitur speculative, & signate per iudicium, speculative, quo quis reflectitur supra talem legem, cognoscendo verè dari à parte rei. Lex ergo, ut practice cognita exercet munus regule obiective; ut signate cognita non exercet munus regule obiective, sed habet se per modum materie, & obiecti legis reflexe, quia sicut datur lex directa versans circa obiecta, sic etiam datur reflexa versans circa legem directam, precipiendo illi obedire.

Quinto est notandum, quod sicut non datur aliquod primum principium speculative, circa quod non versetur lumen primum principiorum speculative, sic non datur aliquod primum principium practicum, circa quod non versetur lumen primum principiorum practico-

tum,

rum, scilicet synderefsis, & consequenter lumen practicum divinum, illud dictando. Quare cum dictamen practicum divinum habeat rationem legis, implicat, quod detur aliquod primum principium practicum verum, & quod non detur in Deo lex versans circa illud.

Sextò est notandum, quod tam lumen synderefsis, quæ est regula univèrsalis creata, quam lumen prudentie, quæ est regula creata particularis, sunt regule formales secundæ moralitatis, & regula prima formalis est lumen practicum divinũ, seu divini intellectus, cuius sunt physice participationes, tam lumen synderefsis, quam prudentie. Quare sicut nulla causa secunda influat in effectum, nisi cum subordinatione physica ad causam primam, & in virtute illius, magisque dependet effectus à causa prima, quam à secunda; sic nulla regula formalis secunda regulat, nisi in virtute regule formalis primæ, & cum subordinatione physica ad illam, magisque dependet bonitas moralis actus à regula prima, quam à secunda. Quam doctrinam accipi ab Angelico Præcep. 1. 2. quæst. 19. art. 4.

62 Ex qua doctrina infertur

1. quod conscientia erronea, in quantum recta, non obligat in vi conceptus obiectivi legis divinæ, sed in vi legis divinæ subiective existentis in Deo. Et ratio est quia conscientia recta in quantum talis, & lumen practicum intellectus media illa regulat, & obligat cum subordinatione physica, ad dictamen synderefsis, & in vi illius tamquam conclusio legitime illata ex illo, dictamen synderefsis non regulat nisi cum subordinatione physica ad dictamen divinum, ut habet rationem primæ regule formalis, & cuius est physica participatio: ergo conscientia erronea, in quantum recta, & lumen prudentie media illa, non regulat, & obligat nisi cum subordinatione physica ad dictamen divinum, ut habet rationem primæ regule formalis, & cuius est physica participatio tam lumen synderefsis, quam prudentie. Sed dictamen divinũ nõ est prima regula formalis ut obiective existens in intellectu nostro, sed ut subiective existens in intellectu divino non enim dictat Deus, & imperat formaliter exercite per conceptum signatum, & obiectivum dictaminis divini, sed per dictamen divinum subiective existens in ipso; nec similiter lumen synderefsis, aut

pro-

prudentiæ est physica participatio exercitè dictaminis divini, ut obiectivè existentis in intellectu nostro; sed dictaminis divini, ut subiectivè existentis in ipso Deo: ergo conscientia erronea, in quantum recta non obligat in vi conceptus obiectivi, & signati legis divinæ existentis in intellectu nostro, sed in vi legis divinæ subiectivè existentis in Deo.

63 Secundo infertur ex doctrina data, dari in Deo legem præcipientem obedire legi Dei, sive veræ, sive falsò existimatæ. Et ratio est perspicua: nam hoc principium, *obediendum est legi Dei, sive veræ, sive falsò existimatæ*, est principium practicū verum; circa omne principium practicū verū datur in Deo lex: ergo circa dictum principium datur in Deo lex. Conseq. est legitima, mai. certa, aliàs nõ erit verum, obediendum esse legi Dei, sive veræ, sive falsò existimatæ: quod est falsum: minor etiam ex dictis est certa: nam in Deo datur dictamen practicū versans, habensque pro obiecto omne, & quodcumque principium practicū verum; dictamen practicū divinum est lex: ergo circa omne principium practicū verum datur in Deo lex.

Ex quo per legitimam conse-

quentiam infertur 3. dictamen, in quo consistit conscientia erronea, esse dictamē omninò rectum formalitèr. Et ratio est: nam dictamen dictum intimans legem quæ verè datur in Deo, est dictamen rectum; sed dictamen dictum intimat legem, verè existentem in Deo: ergo. Prob. min. intimat legem obediendi legi Dei, quæ apparet vera; hæc lex datur in Deo: ergo.

64 Infertur tandem ex doctrina data differentia, quæ datur inter bonum ut cognitum in ordine ad movendam voluntatē, & legem ut cognitam in ordine ad obligandum, & regulandum: nam bonum, ut cognitum, per se immediate movet, & apprehensio solum se habet ut conditio; at lex ut cognita non obligat immediate per se, sed tantum mediatè, & per modum obiecti dictaminis obligantis, & regulantis formalitèr. Quare bonum, hoc ipso, quod apprehendatur, verè movet; at lex non regulat, & obligat verè ut cognita, si ipsamet cognitio non est dictamen verè obligans, & regulans formalitèr: quod non habet cognitio speculativa, sed cognitio practica verè obligans, & regulans cum subordinatione ad legem subiectivè existentem in Deo,

illam.

illamque habendo exercitè pro obiecto per modum intimationis illius. Vnde lex, quæ nõ existit subiectivè in Deo, non potest ut cognita verè obligare, aut regulare obiectivè, etsi bonitas, quæ subiectivè non est in obiecto, verè moveat ad amorem illius, ut falsò ipsi applicata.

Sed inquires, quod munus exercet lex falsò apprehensa speculativè, si non exercet munus legis? Ad hoc dico, legem falsò existimatam speculativè, & signatè, non exercere munus legis, sed munus obiecti, seu materiæ, circa quam versatur lex reflexa, præcipièdo illi obedire. Movet ergo bonum falsò apprehensum, & movet lex falsò cognita, sed diverso modo: nam bonum movet voluntatem, lex falso apprehensa movet Deum per modum circumstantiæ se tenentis ex parte obiecti; exigendo legem prohibentem tendentiam voluntariam ad obiectum apprehensum ut prohibitum; nam pro ut sic, est verè malum moralitèr obiectivè. Vide art. sequent.

in solutione ultimit
argumenti.

(?)

✱ ✱

§. IV.

Contraria sententia cum suis
fundamentis proponitur.

65 **C**ontra nostram sententiã quoad omnes suas partes sentit Illustriss. Palanco tract. de consci. quæst. 6. per totam, alios Probabilioristas secutus: Et contra primam conclusionem arguitur primò: etsi omnis lex subiectivè existens in Deo invincibiliter ignoraretur, conscientia erronea obligaret: ergo conscientia erronea non obligat in vi alicuius legis subiectivè existentis in Deo, sed in vi legis falsò existimatæ. Prob. ant. qui erroneè iudicaret; Deum hic, & nunc verè præcipere mendacium, etsi invincibiliter ignoraret omnem legem subiectivè existentem in Deo, peccaret, non proferendo mendacium: ergo conscientia erronea verè illum obligaret ad mentiendum. Prob. ant. contemneret veram legem Dei in affectu: ergo peccaret: quia peccare quid aliud est, quam veram legem Dei contemnere.

Ad hoc argum. respondetur, negando suppositum mai. supponit namque hic author, posse dari cõ-

L

ciën-

cientiam in suppositione, quod omnis lex divina subiectivè existēs in Deo invincibiliter ignoraretur, quod est profus falsum: tum, quia omni lege invincibiliter ignorata, deficeret lumen syndereſis, cuius muneris est intimare, & proponere principia vniuersalissima, ut *malum est fugiendum, exhibendus est parentibus honor*, quo lumine deficientē, implicat conscientia, quæ est talis luminis applicatio. Tum etiā: quia de ratione cuiuscumque conscientia, est intimare obligationem legis æternæ à nobis cognita; lex namque, quæ invincibiliter ignoratur, sic se habet ad actualiter obligandum, ac si non esset. Quare implicatoriū est, quod omnis lex divina subiectivè existēs in Deo invincibiliter ignoretur, & quod homo in sensu composito huius ignorantia habeat verè conscientiam, siue rectam, siue erroneā, & consequenter, quod verè obligetur ad aliquid faciendum, vel omitendum, verèque committat peccatum. Haberet ergo homo in tali casu iudicium enuntians, & manifestans, non mentiri esse malum; non tamen haberet verè conscientiam, de cuius ratione est manifestare convenientiam, vel disconvenientiam operationis hic, & nunc, illam verè præcipiendo, aut prohi-

bendo in vi dictaminis syndereſis, & legis æternæ à nobis cognita.

66 Nec facit contra hoc probatio in argumento adducta: omne namque peccatum est malum morale, quia prohibitum per legē æternam, vt tradit Angel. Doct. 1. 2. quæst. 71. art. 6. ad 1. his verbis: *Ad quarum dicendum, quod cum dicitur, quod non omne peccatum idè est malum, quia prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per ius positivum, si autem referatur ad ius naturale, quod continetur primò quidem in lege æterna, secundo verò in naturali iudicatorio rationis humanae, tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum.* Quare cum in casu dicto contemptus veræ legis Dei non esset prohibitus quoad nos per legem æternam, si quidem invincibiliter ignoraretur, neque esset peccatum, aut malum morale formaliter, esset tamen initiativè, & fundamentaliter, vt esset etiā odium Dei in simili casu ignorantia invincibilis legis æternæ illud prohibentis ratione repugnantia, quā haberet cum aliqua ex perfectionibus divinis, ratione cuius repugnantia peteret naturaliter à Deo prohiberi, subterfugeretque causalitatem divinam quoad expressionem contemptus veræ legis Dei. Totam huius solutionis specio-

ciosissimam doctrinam libavi ex N. Sapient. PP. Salmant. tract. 13. disput. 7. dub. 1. per totum.

67 Sed replicabis contra solutionem: sed in casu dicto contemptus veræ legis Dei, esset prohibitus quoad nos: ergo esset formaliter peccatum. Probatur min. in tali casu esset nobis *intimata* lex obligans v. g. ad mentiendum vt vera lex Dei: ergo contemptus veræ legis divinæ esset verè prohibitus quoad nos. Probatur consequ. lex mentiendi ex conceptu obiectivo veræ legis divinæ in communi prohibet contemptum veræ legis divinæ: ergo in tali casu contemptus veræ legis divinæ esset verè prohibitus quoad nos, si lex mentiendi esset nobis *intimata* vt vera lex Dei.

Ad hanc replicam respond. negando min. & ad eius probationem conc. anteced. negatur consequ. Cuius probatio non vrget: conceptus namque obiectivus, & signatus legis divinæ nihil prohibet re ipsa, & exercite: quia implicat, quod lex divina re ipsa, & exercite prohibeat, & quod Deus re ipsa, & exercite non prohibeat per talem legem. Quare cum Deus per conceptum obiectivum, & signatum legis divinæ in communi nihil re ipsa, & exercite pro-

hibeat, nec ipse conceptus obiectivus legis divinæ in communi aliquid re ipsa, & exercite prohibere valet. Lex ergo falsò existimata secundum nullum sui conceptum aliquid re ipsa prohibet, sed solum se tenet ex parte obiecti per modum circumstantia redidentis obiectum, circa quod versatur, initiativè, & fundamentaliter malum dignumque proinde prohiberi à Deo, vt stat sub tali circumstantia, per legem subiectivè in ipso existentem. Quandiu verò talis lex nobis non intimatur, agere contra legem falsò existimatam, sicque contemnere legem Dei, non erit formaliter peccatum, quia nobis prohibitum non erit.

68 Contra 2. conclusionem nullum argumentum adducit Illustriss. Palanco solutione dignū. Contra 3. sic arguit: si daretur in Deo lex obligans per se ad obediendum legi Dei, siue veræ, siue falsò existimate, consequenterque conscientia erronea in vi huius legis obligaret, non esset nobis necessaria sollicitudo pro investiganda vera lege Dei, siue enim lex esset vera, siue falsa, semper ageremus iuxta veram legem Dei, hoc est falsum: ergo non datur in Deo lex obligans ad obediendum legi Dei,

26 Dei, siue veræ, siue falsò existimata.

Ab hoc argument. resp. negando maiorem, contra quam non facit inferta probatio: licet enim semper agamus secundum veram legem Dei universalem prohibentem facere malum; non tamen agimus iuxta legem particularem directam, nisi cum agimus ex conscientia recta. Deus autem non solum præcipit nobis agere iuxta legem universalem, sed etiã iuxta legem particularem directam: idèdque necessaria nobis est sollicitudo pro inquitenda vera lege Dei. Nec quis operabitur honestè, sequendo legem Dei universalem, nisi post factam debitam diligentiam ad inquirendam legem Dei particularem directam. Instatur argumentum, nam Deus præcipit nobis obedire Prælato legitime præcipienti, siue id, quod præcipit, sit re ipsa iuxta veram legem Dei, siue non: ergo poterit etiam præcipere, sequi dictamen conscientia, siue id quod conscientia dictat, sit contra legem Dei, siue non.

Sed dices: Deus præcipit obedire absolutè vere legi Dei, & non obedire falsæ: ergo non præcipit obedire legi Dei, siue veræ, siue falsæ. :: Ad hoc resp. Deum pro-

hibere obedire legi falsæ, cognitæ, vt tali, cum quo tamen stat, quod præcipiat obedire legi falsæ, vt existimativè, & apparentèr veræ. Sed hic est notandum, nos non ponere necessario aliquam legem formalitèr reflexam, quæ determinatè obliget ad obediendum legi, siue veræ, siue falsò existimata; sed dicimus dari talem obligationem, vel in vi huius legis, vel in vi illius legis universalissimæ directæ antecedentis omnes leges particulares, *malum est fugiendum*: quia cum sit verè malum non obedire legi, siue veræ, siue falsò existimata, adhuc tenemur in vi illius universalissimæ legis.

69 Arguitur 2. contra eandem conclusionem: si Deus præciperet agere secundum legem, siue veram, siue falsò existimatam, Deus simul præciperet contraria, & opposita, hoc est impossibile: ergo Probr. mai. præciperet v. g. numquam mentiri, & aliquando mentiri: ergo simul præciperet opposita. Probr. ant. Deus per suã legem particularem directam præcipit numquam mentiri: ergo si per suam legem universalem præciperet aliquando mentiri, Deus præciperet numquam mentiri, & aliquando mentiri.

Ad hoc arg. resp. cum Castro

tro Palao disp. 1. punt. 2. & Cursu moral. tract. 20. cap. 5. punt. 2. §. 1. in respons. ad 1. & 3. quod Deus non præcipit non mentiri semper, & pro semper, tam per se, quã per accidens; sed solum per se, & quando mendacium cognoscitur provt est in se; ac proinde Deus non præcipit non mentiri pro casu conscientia erronea; sed solum pro illo casu præcipit mentiri; & consequentèr non datur contrarietas in legibus divinis, quia pro casu conscientia recte præcipit non mentiri, & non præcipit mentiri, & pro casu conscientia erronea pro quo præcipit mentiri, nõ præcipit non mentiri. Hæc solutio veritate continet; sed sunt contra illam ingentes difficultates, quas diluemus infra quæst. 4. art. 8. §. 8. à num. 227. vbi veritatem illius etiam ex professo firmabimus.

70 Arguitur 3. Si Deus pro casu conscientia erronea præciperet ponere mendatium, præciperet ponere aliquid intrinsecè malum; hoc est falsum, aliàs aliquid intrinsecè malum tribueretur Deo: ergo Deus pro casu conscientia erronea non potest præcipere mendatium.

Ad hoc argumentum respond. Deum in casu conscientia erro-

neæ non præcipere mendatium vt tale; sed prolationem verborum, vt rectam, & conformem rectæ rationi, ad quod per accidens se habet, quod talis prolatio verborum sit re ipsa mendatium. Verum est, quod non potest poni rectitudo, quæ est in mendatio, nisi posito mendatio, quod est in compatibile cum carentia mendatij: sed ex hoc non sequitur, quod Deus præcipiat mendatium reduplicativè vt tale: quia licet qui præcipit finem, præcipiat medium per se necessarium ad talem finem non tamen medium solum necessarium per accidens, quale est mendacium vt tale: ad prolationem namque verborum necessariam adtuendam famam proximi, vt obiectivè rectam, omnino per accidens se habet, quod talis prolatio verborum sit mendatium. Exemplum habemus manifestum in accessu Jacob. ad Liam, qui re ipsa erat malus, & materialitèr peccaminosus, cum re ipsa esset accessus ad non suam; quem accessum, quantum ad rectitudinem approbavit Deus; quin ex hoc sequatur, quod approbaret Deus ipsummet accessum ad non suam vt talem, aut talis accessus ad non suam secundum suam substantiã sumptus caderet sub lege Dei. Sic

N. Sapientissimi PP. Salmant. tract. 17. disp. 2. dub. 2. à num. 47. vsque ad 51.

71 Sed contra hanc doctrinam obijcies primò: Stat, quod adimpleatur lex præcipiens obedire legi falsò existimatæ mentiendi, quin ponatur mendatium vt rectum: ergo quod per talem legem præcipitur, non est mendatium, quantum ad rectitudinem, sed solum quantum ad substantiam. Patet conseq. quia si quod per talem legem præcipitur, esset mendatium, vt rectum, etiã si poneretur mendatium, dummodo non poneretur vt rectum, frangeretur talis lex. Et probat. ant. qui in tali casu legis falsò existimatæ mentitur adtuendam famam proximi ob vanam gloriam aut aliquod motivum pravum, adimplet legem reflexam præipientem obedire legi falsò existimatæ, & nihilominus non ponit mendatium, vt rectum, cum talis actus vitietur à motivo vanæ gloriæ, & idem actus nequeat esse bonus, & malus simul: ergo stat, quod adimpleatur lex præcipiens obedire legi falsò existimatæ mentiendi, quin ponatur mendatium vt rectum.

Adhanc obiectionem respond. quod id quod præcipitur per le-

gem reflexam obediendi legi falsò existimatæ, non est positio mendatij, vt formaliter recta, sed solum, vt recta fundamentalitèr, nõ quidem vt fundamentalitèr recta formalitèr, & vt infert rectitudinem formalitèr, sed fundamentalitèr materialitèr quæ rectitudo fundamētalis materialitèr sumpta sèper invenitur in positione mendatij, siuè talis positio sit peccaminosa ratione alicuius malæ circumstantiæ, siue non.

Sed replicabis contra hanc solutionem rectitudo fundamētalis non distinguitur ab ipsa substantia mēdatij, vt conducentis adtuendam famam proximi, quia rectitudo obiectiva est ipsa substantia obiecti, vt connotantis legem: ergo si Deus præcipit rectitudinem fundamentalem mendatij, præcipit substantiam mendatij vt conducentis adtuendam famam proximi.

Adhanc replicam resp. quod quando res non est per se, & ratione sui recta, sed ratione finis, aut alterius circumstantiæ, rectitudo obiectiva non reperitur intrinsecè in ipsa re, sed in ipsa circumstantia, ratione cuius est obiectivè recta. Quare cum mendatium adhuc vt conducens adtuendam famam proximi, non sit obiec-

obiectivè rectum per se, & ratione sui, sed solum ptove stat sub lege obiectivè vera, rectitudo obiectiva non reperitur intrinsecè in ipso mendatio, sed in ipsa lege vt apparenter vera. Adimplet ergo homo legē reflexam obediendi legi apparenter veræ Ponēdo mendatium, secundum quod est prolatio verborum recta, non ponendo mendatium reduplicativè vt tale, hoc enim non præcipitur à lege reflexa, cum hæc solum præcipiat obedire legi apparenter veræ, secundum id, quod dicit de formali, non secundum id, quod dicit de materiali. Benè verum est, quod qui non poneret mendatium, vt tale, peccaret in illis circumstantijs; sed hoc idèd esset, quia non ponendo mendatium vt tale, ex consequenti desineret ponere prolationem verborum rectam, ad quam ponendam homo tenebatur in vi legis reflexe.

Obijcies 2. mendatium vt tale saltem per accidens est rectū: ergo saltem per accidens præcipitur à Deo, & cadit sub divina lege subiectivè existente in Deo: quod videtur inconueniens.

Adhanc obiectionem respōdetur: Quod mendatium vt tale non est per accidens rectum, ita vt rectitudo per accidens afficiat im-

mediate ipsum mendatium vt tale, & ratione suæ ultimæ differentiæ, sed dicitur per accidens rectū, quia rectitudo afficit prolationē verborum conducentem ad tuendam famam Proximi, & ipsa prolatio verborum vt recta, per accidens reperitur in mēdatio. Quare sicut nec per accidens est mendatium vt tale rectum ratione sui sed ratione prolationis verborum, vt rectæ, nec per accidens præcipitur à Deo ratione sui, sed solum ratione prolationis verborum vt rectæ, quod est præcipi per accidens omninò materialitèr, non formalitèr.

73 Retorquetur nunc argumentum in Illustriss. Palanco: vel Deus solum prohibet mentiri ex suppositione, quod conscientia non dicit oppositum; vel prohibet mentiri, siue conscientia dicit oppositum siue non? Si dicat primum: ergo Deus non prohibet mentiri pro casu conscientiæ erroneæ dictantis oppositum; poteritque proinde conscientia erronea dictare esse mentiendum in vi legis subiectivè existentis in Deo præipientis obedire tali conscientiæ. Si secundum: ergo Deus præcipit non mentiri, etiam pro casu, pro quo est peccatum formale non mentiri.

Resp.

74 Resp. Illustriss. Palanco num. 53. & 54. legem Dei, nec prohibere mendatum, nisi conscientia dicat oppositum, nec illud prohibet etiam pro casu, pro quo conscientia dicat oppositum. Non prohibet primo modo, quia aliàs talis lex esset conditionata. Non secundo modo, quia mentiri, etsi conscientia dicat oppositum, est obiectum ab intrinseco malum, & peccaminosum, consequenterque nequit præcipi à Deo; præcipit ergo Deus absolutè, & nulla apposita conditione, non mentiri; quæ lex, quia omninò immobilis, & indeterminabilis, fixè, & immobilitèr idem præcipit, sive ipsum, sive oppositum dicat conscientia nostra.

75 Sed contra: ergo lex præcipiens fixè, & immobilitèr non mentiri; id ipsum præcipit etiam pro casu, pro quo videt, quod conscientia dicat oppositum. Deum præcipere non mentiri, etiam pro casu, pro quo videt, quod conscientia dicat oppositum, est præcipere non mentiri etiam pro casu, pro quo videt, quod non mentiri est peccatum formale: ergo Deus præcipiens fixè, & immobilitèr, nullaque apposita conditione, non mentiri, eo ipso præcipit, vel signatè, vel saltem exercitè; &

ex ipso modo præcipiendi immobilitèr, non mentiri, etsi conscientia dicat oppositum: ergo vel debet concedere Illustriss. Palanco, Deum præcipere non mentiri conditionatè, & nisi conscientia dicat oppositum, vel cogitur concedere Deum signatè, vel saltem exercitè, & ex ipso modo immobilitèr præcipiendi, præcipere non mentiri, etsi conscientia dicat oppositum.

Explicatur hoc amplius: non frangitur in rei veritate lex præcipiens non mentiri, per hoc, quod ponatur mendatum in casu nullo modo incluso in lege, frangitur in rei veritate iuxta illum, lex prohibens mendatum, ponendo mendatum pro casu conscientie erronee: ergo lex prohibens mendatum, includit aliquo modo casum conscientie erronee, consequenterque Deus præcipiens fixè, & omninò immobilitèr non mentiri, præcipit, vel signatè, vel exercitè, & ex ipso modo immobilitèr præcipiendi, vel in particulari, vel in communi, non mentiri etiam pro casu conscientie erronee.

76 Sed inquieres: vtrum ex suppositione, quod non possit dari simul in Deo lex directæ præcipiens absolutè non mentiri, & lex reflexa præcipiens obedire legi falsè

sò

sò existimatè mentiendi, neganda sit pro casu conscientie erronee lex directæ, vel potius reflexa? Ad quod respond. quod, tali suppositione facta, neganda esset pro casu conscientie erronee invincibilis lex directæ, & adstruenda reflexa. Et ratio est: quia in casu conscientie erronee invincibilis tam mentiri, quam non mentiri, est malum, & dignum prohibitione; aliàs non mentiri est maius malum, quam mentiri: ergo maior ratio est, ut detur pro illo casu lex reflexa præcipiens agere iuxta legem falsè existimatam mentiendi, quam ut detur lex directæ prohibens mentiri. Consequentia patet: quia quando ex duplici modo vnum tantum prohiberi potest, illud prohibendum est, quod est maius malum, & ex quo sequitur maius inconveniens. Et minor probatur: nam in casu conscientie erronee invincibilis mentiri est malum omnino materiale, & incognitum, non mentiri est malum cognitum ut tale: mentiri componitur cum reverentia debita legi Dei, immo affert secum talem reverentiam: non mentiri est contemnere voluntariè veram legem Dei, & consequenter peccatum formale, quia est agere contra conscientiam; sed maius malum est agere malum redu-

plicative vt cognitum, quam agere malum ut invincibiliter ignotum, agere malum, contemnendo voluntariè veram legem, quam malum, cum quo componitur reverentia debita legi divinæ: ergo in casu conscientie erronee maius malum est non agere iuxta conscientiam erroneam dictantem, obediendum esse legi falsè existimatæ mentiendi, quam mentiri, obediendo conscientie erronee. Quibus adde quod mentiri solum est obiectivè malum levitèr; at non agere iuxta conscientiam invincibiliter erroneam intimantem obligationem gravem mentiendi est peccatum formale grave.

Et certè mihi videtur absurdum intolerabile, negare in Deo legem prohibentem agere contra legem Dei, quæ apparet vera, sive in re sit vera, sive non. Quia cum agere contra legem, quæ apparet vera, sit peccatum formale, negare in Deo legem prohibentem agere contra legem, quæ apparet vera, sive in re sit vera, sive non, est negare in Deo legem prohibentem omnne peccatum formale. Et si ipsi negant, quod in aliquo casu Deus prohibet peccatum formale, aut non præcipit non peccare formalitèr; quid mirum, quod nos dica-

N

mus,

mus, Deum in aliquo casu non prohibere peccatum materiale, quando scilicet non potest vitari peccatum materiale, nisi peccando formaliter.

§. V.

Ultimo argumento sit satis.

77 **A**Rguitur tandē contra tandē cōclusionem: si Deus haberet legem reflexam verā præcipientem sequi conscientiam, sive verā, sive falsam, hoc est, sive rectā, sive erroneā, divina lex subordinaretur nostro dictamini, & consequenter non esset prima, sed secunda regula moralitatis, nostrumque dictamē esset prima, hoc est absurdū: ergo Deus non habet legem reflexam veram, præcipientem sequi conscientiam, sive rectam, sive erroneam. Prob. sequela prædicta lex, ut pote reflexa, supponeret omnem legem Dei directam, & consequenter esset ultimum dictamē Dei: ergo si per dictam legem dicitur illud esse faciendum, quod conscientia hominis dictaverit, sive talis conscientia sit conformis, sive disconformis veræ legi Dei, subordinat suam legem dictamini nostro, facitque illud primam re-

gulam moralitatis. Prob. consequ. si Rex post leges particulares latas, ultima tandem lege præciperet facere illud, quod determinatus Minister dictaverit, esse faciendum, & illud ommittere, quod dictus Minister prohibuerit, sive illud re ipsa esset contra leges à se latas, sive non; Rex omnem suam legem subordinaret dictamini talis Ministri, illumque faceret primam regulam operandi in suo Regno: ergo similiter.

Explicatur hoc amplius: si per impossibile voluntas divina post omnē suam voluntatem particularem, vellet tandem reflexione facta, illa tantum fieri, quæ voluntas humana vellet, & illa non fieri, quæ voluntas humana nollet, sive voluntas humana discordaret à voluntate divina, sive non abs dubio subordinaret suam voluntatem voluntati humanæ, faceretque voluntatem humanam primam voluntatem circa omnia particularia volibilia: ergo similiter, si Deus haberet legem reflexam veram præcipientem sequi conscientiam, sive rectam, sive erroneam, divina lex subordinaretur nostro dictamini, nostrumque dictamē esse prima regula moralitatis.

Confirmatur: posita prædicta lege reflexa, tam ipsa lex reflexa

xa quàm cæteræ leges directæ manent subordinatæ dictamini nostræ conscientiæ; hoc ipso tale dictamen constituitur simpliciter prima regula moralitatis: ergo nequit dari talis lex reflexa. Prob. mai. quoad primam partem: Lex reflexa solum præcipit faciendum, quod nostra conscientia dictaverit, ex suppositione, quod illud dicitur, & consequenter præcipit mentiri, si conscientia dicitur esse mentium, sed hoc ipso in præcipiendo vnum præalio subordinatur dictamini nostræ conscientiæ: ergo.

Probatur eadem mai. quoad 2. partem: illa lex reflexa reflectitur supra omnes leges directas, & præcipit tunc solum esse faciendum, quod legibus directis præcipitur, quando illud conscientia dictaverit ut prohibitum; sed eo ipso omnes leges directas facit conditionatas, dependentes, & subordinatas dictamini nostræ conscientiæ: ergo Prob. 2. eadem mai. posita illa lege reflexa, lex divina præcipientis non mentiri, tantum manet in esse legis conditionatæ præcipientis non mentiri, si nimirum conscientia dictaverit esse prohibitum mendatum; sed lex directa sic præcipientis, & sic conditionata, manifestè præcipit non mentiri

cum subordinatiōe ad dictamen nostræ conscientiæ: ergo.

78 Hoc argum. plura supponit falsa, habetque manifestam instantiam. Supponit namque dari legem formaliter reflexam præcipientem obedire conscientiæ, sive rectæ sive erroneæ, quod nos non dicimus. Supponit etiam, nos asserere, conscientiam erroneam obligare in vi illius legis, admissio, quod datur, quod est falsum: quia conscientia erronea obligat in vi illius legis, quam intimat, & illa lex non intimatur per conscientiam erroneam dictantem obediendum esse legi falsò existimatæ; sed per aliam conscientiam reflexam habentem pro obiecto ipsam conscientiam erroneam, dictantemque conscientiæ erroneæ esse obediendum. Duplex ergo dictamen, seu conscientia intercedit supposita tali lege: prima, quæ dicitur, obediendum esse legi falsò existimatæ, & hæc conscientia, quæ est erronea, obligat in vi illius universalissimæ legis: *malum est fugiendum*: vel si velis in vi alterius legis reflexæ præcipientis obedire legi Dei, sive veræ, sive falsò existimatæ quæ lex antecedit ipsam conscientiam erroneam, & per illam intimatur. Aliud dictamen, seu conscientia est,

est, conscientia reflectens supra ipsam conscientiam, dictansque illi esse obediendum, & hoc dictamen est, quod supponit legem præcipientem obedire conscientie erronee illam intimat, obligatque consequenter in vi illius, non ipsa conscientia erronea.

Supponit in super, conscientiam erroneam esse disconformem veræ legi Dei, quod etiam est prorsus à veritate alienum: quia conscientia erronea dicitur v. g. esse mentiendam in hijs circumstantijs legis falsè existimatæ præcipientis mentiri, quod non est contra legem Dei, sed iuxta illam: quia non mentiri in illis circumstantijs est malum, & lex divina præcipit nobis fugere malum.

Supponit tandem, conscientiam erroneam esse conscientiam falsam, in quo egregiè decipitur: quia conscientia erronea consistit in illo dictamine pratico, per quod intimatur obligatio obediendi legi falsè existimatæ veræ, seu legi in apprehensione veræ, quæ obligatio est vera, & iudicium intimans obligationem veram, nequit non esse verum. Dicitur ergo dictamen talem obligationem intimans conscientia erronea, non quia ipsum iudicium, seu dictamen, sit formalitèr falsum; (si enim

non fallitur quis, asserens dari obligationem obediendi legi falso existimatæ, quia re ipsa datur talis obligatio, cur meus intellectus hoc ipsum iudicans, & intimans, fallitur?) sed quia versatur, et si verè circa obiectum ut erronee apprehensum ab eodem intellectu, erroremque immediatè supponit.

Ex quo per immediatam consequentiam infertur, nullum inconveniens sequi in nostra sententia, quod eodem modo non militet in sententia Illustriss. Palanco, & ratio est: nã conscientia, quæ à nobis dicitur erronea, ab Illustriss. Palanco habetur pro recta, & re ipsa est recta formalitèr: ergo vel datur inconveniens in eo, quod detur lex obligans per se ad obediendum conscientie rectæ, vel non datur in eo, quod detur lex præcipientis obedire per se conscientie erronee, ut à nobis ponitur. Quare instatur argumentum 1. nullum datur inconveniens in eo, quod detur lex præcipientis obedire conscientie recte: ergo nec datur inconveniens in eo, quod detur lex præcipientis obedire conscientie erronee. Probat. consequ. eadem obligatio obediendi legi falsè existimatæ, quæ intimatur per conscientiam erroneam, quam

quam ponit Illustriss. Palanco, potest intimari per conscientiam, quæ à nobis appellatur erronea, in sensu dicto, & ab Illustriss. Palanco appellatur recta: ergo si non datur inconveniens in eo, quod detur lex præcipientis obedire conscientie recte, nec dabitur inconveniens in eo, quod detur lex præcipientis obedire conscientie erronee instatur 2. in præcepto Prælati, quia nō datur inconveniens in eo, quod detur in Deo lex præcipientis obedire præcepto Prælati, sive id, quod Prælati præcipit, sit re ipsa iuxta legem Dei, sive non: ergo nullū datur inconveniens in eo, quod detur in Deo lex præcipientis obedire dictamini nostre conscientie, sive id, quod conscientia dicitur, sit re ipsa iuxta legem Dei, sive non.

79 Veniamus iam ad argumenti solutionem. Respondetur ergo ad argum. negando mai. quæ supponit falsum. Et ad eius probationem dico, quod si Rex post omnes leges latas tandem præciperet obedire alicui Ministro præcipienti, et si illud, quod præciperet, non esset iuxta suam legem, sed contra suam legem ab omnibus cognitam, ita ut suæ leges nullam haberent vim nisi essent iuxta legem dicti Ministri subordinaret absque dubio suas leges particula-

res legibus Ministri. Sed non subordinaret leges suas particulares legi Ministri, si tantum præciperet obedire in omnibus suo Ministro, quandiu eius lex circa illam rem non innotescit, & res illa sub illis circumstantijs, sub quibus præcipitur à Ministro, prius præciperetur à Rege, & solum ut præcepta à Rege, præciperetur à Ministro, perseverantibus sæper legibus particularibus Regis in sua vi, non obstante lege in contra sui Ministri; sicut non subordinat Deus suam legem legi Prælati per hoc, quod præcipiat obedire Prælati legitime præcipienti, sive id, quod præcipit, sit re ipsa contra suam legem, sive non.

Quare dicimus, quod Deus non subordinat suas leges dictamini nostro per hoc, quod præcipiat obedire conscientie sive recte sive erronee: quia Deus semper prohibet mentiri, ut oppositum veritati divinæ, & ratione huius oppositionis, nec conscientia aliquando dicitur esse proferendum mendacium, ut oppositum veritati divinæ, sed solum dicitur esse ponendam entitatem physicam mendacii, in quantum stat sub aliquibus circumstantijs, ratione quarum non mentiri redditur malum, & oppositum, vel iustitiæ, vel charitati, &

hoc dicitur in vi illius universalissimæ legis divinæ *Malum est fugiendum*, sive aliàs ipsa entitas physica mendatij sit mala, sive non, quod conscientiam latet: Conscientia ergo semper dicitur iuxta veram legem Dei, quidquid sit, an id, quod dicitur, sit aliàs contra legem Dei, sive non.

Ad explicationem argumenti negatur consequens quia conscientia sive recta, sive erronea, non est discors formis veræ legi Dei, cum in vi illius obliget. Ad confirmationem respond. negando mai. & ad illius probationem, quoad primam partem dico, quod cum conscientia quæcumque illa sit, sit à Deo, obligetque in vi legis divinæ antecedentis talem legem reflexam idem est, talem legem reflexam subordinari dicitur nostræ conscientia, ac subordinari Deo. Dicimus etiàm talem legem non subordinari dicitur nostræ conscientia per modum dictaminis à quo accipiat, & dirivetur ei aliqua vis obligandi, sed per modum circumstantiæ se tenentis ex parte obiecti, reddentisque illud dignum prohibitione, aut præcepto. Quare præcipere mendatum pro casu, pro quo conscientia dicitur, esse mentiendum; idem est, ac præcipere mendatum pro circums-

stantiis, pro quibus est bonum, & præcepto dignum; in quo neque apparet datur repugnantia. Ad probationes eiusdem maioris quoad secundam partem, respondeatur, illam conditionem esse transcendentem, idemque esse ac præcipere non mentiri cognitum ut malum, in quo nullum datur inconveniens.

ARTICVL. IV.

Utrum actus regulatus conscientia erronea invincibili non solum excusetur à culpa, sed etiam sit positivè honestus?

§. I.

Statuitur nostra conclusio.

80 **D**icendum est, conscientiam invincibiliter erroneam reddere actum à se regulatum positivè honestum. Hanc sententiam expressè tradit D. Tho. 1. 2. q. 19. art. 6. ubi inquit: *utrum voluntas concordans rationi erranti sit bona?* Et in corp. art. ait, quod hæc quæstio eadem est cum ea, quæ inquit: *utrum conscientia erronea excuset.* Quia apud D. Tho. cum non detur actus liber indifferens in

in individuo, idem est, actum non esse formaliter peccaminosum, ac esse positivè honestum, & bonum. Et distinguit D. Tho. duplicem errorem, vincibilem, scilicet, & invincibilem, asseritque voluntatem concordantem rationi vincibiliter erranti non excusari, & consequenter esse malam: voluntatem verò concordantem rationi invincibiliter erranti excusari à peccato, & consequenter esse positivè bonam moraliter, cum eadem quæstio sit, an excusetur, ac an sit bona.

81 Nec proficit dicere cum Mag. Ferre D. Tho. non loqui de bonitate morali positiva, sed negativa: in quo sensu idem est, actum esse bonum, ac non esse malum. Hoc inquam, non refert: tum quia D. Tho. in eodem sensu inquit, utrum voluntas concordans rationi erranti sit bona, in quo art. præced. inquiserat, utrum voluntas discordans à ratione errante sit mala; hic loquitur de malitia positiva: ergo & præsent. art. loquitur de bonitate positiva. Tum etiam: quia apud D. Tho. idem est actum liberum non esse positivè malum moraliter in individuo, ac esse positivè bonum, cum apud ipsū nequeat dari actus liber indifferens in individuo: ergo non loquitur

D. Tho. de bonitate negativa, sed de positiva: D. Tho. sequuntur NN. Sapientissimi PP. Salmant. locis art. seq. referendis, estque sententia communis inter Theologos.

82 Et probatur primo ratione fundata in doctrina D. Tho. actus elicitus cum conscientia erronea invincibili non est positivè malus moraliter: ergo est positivè bonus, & honestus moraliter. Probatur consequens talis actus est actus humanus; actus humanus in individuo, qui non est positivè malus, est positivè bonus, cum non possit dari actus humanus indifferens in individuo: ergo actus elicitus cum conscientia erronea invincibili est positivè bonus, & honestus cum non sit positivè malus.

Adhanc ad eam efficacem rationem respondet Illustriss. Palanco quæst. 5. §. 7. nu. 108. cum Mag. Ferre. q. 3. §. 3. nu. 26. negando, quod actus procedens ex errore invincibili, sit actus humanus; quia non est voluntarius nisi ad summum secundum quid, in quantum concordat aliquibus regulis rectis.

Sed incipiendo ab hoc ultimo fallitur Illustriss. Palanco constituendo voluntarietatem actus per concordantiam cum regulis rectis.

tis, cum voluntarietas actus præcedat omnem, tam concordantiã, quam discordantiã cum regulis morum, sive rectis, sive erroneis. Voluntarietas ergo actus cum pertineat ad lineam physicam, non consistit in concordantia cum regulis rectis, sed in esse ab intrinseco cum cognitione, & super hanc, quando est libera, fundatur concordantia cum regulis rationis, in qua consistit bonitas moralis, vel discordantia ab illis, in qua stat malitia. Quare voluntarietas actus non desumenda est ex concordantia cum regulis rectis, sed potius capacitas, tam ad concordantiã, quam ad discordantiã cum regulis rationis, venanda est ex voluntarietate, cum solum actus humanus, & voluntarius in quantum talis, sit per rationem regulabilis.

83 Detecta iam hac æquivocatione, impugnatur primo solutio: actus, quo quis amat obiectum, ut erroneè apprehensum, est actus voluntatis, actus voluntatis est actus voluntarius, actus namque involuntarius in quantum talis, non procedit à voluntate: ergo actus, quo quis amat obiectum, ut erroneè apprehensum est actus voluntarius. Conseq. est leg. mai. certa, & min. probatur: est ab intrinseco cum cognitione, in hoc

stat essentia voluntarietatis: ergo.

Dices cum Illustriss. Palanco, essentiam voluntarij non consistere ut cumque in esse ab intrinseco cum cognitione, sed cum cognitione vera: actus namque voluntatis procedens ex errore, tam longè ab est, quod sit voluntarius, quod potius est contra intentionem voluntatis, cum ita tendat in obiectũ ut erroneè apprehensum, quod in illud minimè tenderet, si prout est in se, ipsi proponeretur: & instantia est manifesta in cõsensu in Matrimonium: nam si quis credat per errorem invincibilem feminam esse nobilem, & cum hac falsa fide consentiat in Matrimonium, ita ut non consentiret, si sciret esse ignobilem, omnes fatentur, quod talis consensus est simpliciter in voluntarius, reddens que Matrimonium invalidũ, non obstante, quod talis consensus sit actus voluntatis.

84 Sed incipiendo ab instantia, falsum omnino est, quod omnes fatentur, Matrimonium procedens ex errore antecedenti, danteque causam contractui, esse nullum. Licet enim Matrimonium procedens ex errore circa personam, sit nullum; non tamen semper est nullum, quando procedit ex errore circa qualitatem personæ,

næ, ita ut non contraheret, si non daretur talis error, aliàs passim fierint Matrimonia nulla, maxime ob defectum virginitatis, nam qui contrahunt cum feminis, quas iudicant per errorem virgines, communiter loquendo, ita contrahunt cum illis, quod minimè contraherent si scirent, esse extra Matrimonium corruptas, & nihilominus Matrimonium est validum, & oppositum esset viam aperire innumeris inconvenientibus, & litibus: Solum ergo error circa qualitatem personæ reddit Matrimonium nullum, quando error qualitatis personæ redundat in ipsam personam, & oppositum tam longè ab est, ut sit omnium doctrina, ut sit expresè contra D. Tho. in 4. dist. 30. q. 1. art. 2. & in addit. quæst. 51. art. 2. in corp. quem sequuntur plures, & gravissimi Auctores, qui videri possunt apud cursum moralem tract. 9. cap. 9. punto 1. dub. 2. & hac doctrina D. Tho. supposita, retorqueo argumentum, seu instantiam: consensus in Matrimonium procedens ex errore circa qualitatem personæ, quando qualitas personæ non redundat in personam, reddit Matrimonium validum: ergo est simpliciter voluntarius, non obstante quod, qui ita consentit in Matri-

monium non consentiret, si illum errorem non haberet.

85 Sed replicabis: ergo quando consensus in Matrimonium procedit ex errore circa personam, Matrimonium evadit nullum ob defectum voluntarietatis consensus, & nihilominus talis consensus est actus voluntatis: ergo dari potest actus voluntatis involuntarius.

Ad hanc replicam respondetur, quod quando consensus in Matrimonium, procedit ex errore circa personam, Matrimonium evadit nullum, non quia consensus in illo sensu, in quo est consensus, non sit voluntarius, sed quia non est consensus cum illa persona, quæ re ipsa ponit alterum consensus, quod essentialiter requiritur ad valorem Matrimonij. Quare ratio, ob quam in tali casu Matrimonium est involuntarium, & consequenter nullũ, non est, quia deficiat voluntarietas consensui, qui ponitur, sed quia deficit consensus essentialiter requisitus.

86 Secundo impugnatur solutio: qui adorat hostiam, quam falsò existimat, esse ritè consecratam, illam adorat ex errore, & ita illam adorat, quod non adoraret, si sciret, non esse consecratã; & nihilominus illam voluntariè

adorat, & meritorie iuxta Illustriss. Palanco, & Ferre: ergo ex eo quod voluntas ita tendat in obiectum, ut erroneè apprehensum, quod in illud non tenderet, si pro- ut est in se ipsi proponeretur, non sequitur, quod voluntas non tendat voluntarie in obiectum ut erroneè apprehensum. Idem cernitur in Subdito, qui obedit Prælati præcipienti cum opinione probabilis id, quod re ipsa est malum. Nam Subditus in tali casu ita obedit, quod non obediret, si sciret rem præceptam esse malam, & contra legem Dei, & nihilo minus voluntarie obedit.

Tertio: quod actus procedat ex errore invincibili, non tollit quod sit liber: voluntas namque liberè amat obiectum erroneè apprehensum, ut bonum: ergo non tollit, quod sit voluntarius. Patet consequenter quia actus liber est species actus voluntarij. Quod autem voluntas liberè amet obiectum erroneè apprehensum ut bonum, est certissimum, quia ita illud amat, quod potest non amare.

Quarto: quod actus procedat ex errore invincibili, non tollit, quod sit capax malitiæ, & de facto est malus, si fiat ad malum finem: ergo non tollit, quod sit voluntarius, solum namque actus

voluntarius, in quantum talis, est capax malitiæ.

Impugnatur tandem solutio contra Illustriss. Palanco actus procedens ex errore invincibili est capax alicuius rectitudinis moralis, & conformitatis cum aliquibus regulis; non est capax alicuius rectitudinis actus, qui non est humanus, & voluntarius: ergo actus procedens errore invincibili, est actus humanus, & voluntarius. Consequenter est legem certissima, & mai. doctrina citati Auct. Quibus omnibus addi potest, quod iuxta adversarios licet actus procedens ex errore invincibili non sit regulabilis regula rationis recta, est tandem regulabilis regula rationis tuta, & liberante talem actum à malitiis; non est regulabilis aliqua rationis regula actus, qui non est humanus, voluntarius, & liber: ergo.

87. N. R. P. Fr. Christ. à San Joseph nostri Collegij Abulens. Sal manticensis, & Burgensis quondam Rector Provinciæ Castellæ Provincialis, & tandem apud Curiam Romanam Procurator Generalis, vir sanè Religiosissimus, & in moralibus controversiis apprimè versatus, in suo libro de Regulis morum p. 1. q. 4. art. 12. §. 4. n. 239. duplici alia via nititur infringere vim nostre rationis. Primò, dicendo, actum proce-

procedentem ex errore invincibili non esse moraliter liberum. Secundo, quod licet actus procedens ex errore invincibili non sit ratione sui bonus, est tamen concomitantè: quia alij actus, quibus associatur, sunt moraliter boni: quod sufficit, ut verificetur, non posse dari actum humanum indifferenter in individuo.

Sed in primis falsum est, dari duplicem libertatem aliam physicam, & aliam moralem; libertas namque actuum humanorum pertinet ad lineam physicam, ut est communis doctrina Theologorum, & super illam fundatur eorum moralitas. Et dato, quod sit duplex illa libertas, falsum est, quod actus conformis conscientie erronee invincibili non sit moraliter liber: quia qui operatur iuxta conscientiam erroneam invincibilem, ita operatur iuxta illam, ut possit moraliter iuxta illam non operari, quia potest non operari iuxta illam, peccando, & de facto peccat, qui non operatur iuxta conscientiam erroneam: ergo liberè moraliter operatur iuxta illam; consequenterque actus voluntatis procedens ex conscientia erronea invincibili, est moraliter humanus, & liber; proindeque bonus, vel malus moraliter in individuo.

Licet enim possint per accidens ratione in advertentia ad moralitatem obiecti, aut ignorantia invincibilis legis præcipientis ponere actibus humanis honestum finem, dari actus humani, indifferentes in individuo; tamen ex suppositione, quod obiectum cognoscatur ut morale, aut detur cognitio legis præcipientis ponere actibus humanis honestum finem, impossibile est, quod detur actus humanus indifferens in individuo. Cum enim rationis sit ordinare, (verba sunt D. Tho. 1. 2. q. 18. art. 9.) actus à ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali, si verò ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni: necesse est autem, quod ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem. Unde necesse est, omnem actum hominis à deliberativa ratione procedentem, esse bonum, vel malum. Ex quibus verbis constat, quam falsa sit prima solutio.

Secunda nullo impellente ruit: quia non solum actus concomitantes electionem obiecti, ut apparenter boni, sed etiam ipsa electio est in se libera, & voluntaria. Vel ergo illa electio obiecti, ut apparenter

renter boni ordinatur ad bonum finem, vel non? Si non ordinatur, est peccaminosa, cum debito fine careat; si ordinatur, est iuxta D. Tho. positivè honesta: ergo necesse est per se loquendo, quod ipsa in se sit peccaminosa, vel positivè honesta.

§. 2.

Expenditur alia ratio in favorem nostræ conclusionis.

88 **P**robatur secundò conclusio hac ratione: conscientia erronea est formaliter recta, licet præsupositivè sit erronea: ergo actus conformis conscientie erronee est formaliter rectus. Conseq. patet, ant. probatur primò: conscientia erronea est dictamen dictans, obediendum esse legi apparenter veræ, legi v. g. mentiendi; hoc dictamen, est dictamen rectum: ergo conscientia erronea est formaliter recta. Probatur minor: tale dictamen est dictamen verum: ergo rectum quia rectitudo intellectus consistit in veritate. Quod autem sit dictamen verum, est evidens: quia non est falsum, sed verissimum, nos debere obedire legi, quæ apparet vera, sive in re sit ve-

ra, sive non. Probatur secundo idè ant. actus elicited contra conscientiam erroneam est contra regulam rectam: ergo conscientia erronea est regula recta. Probatur ant. actus elicited contra conscientiam erroneam importat carentiam conformitatis cum regula recta: ergo est contra regulam rectam. Probatur anteced. importat carentiam rectitudinis: hæc enim in omni peccato commissionis reperitur: ergo importat carentiam conformitatis cum regula recta, quia rectitudo in conformitate cum regula recta consistit.

80 Hæc ratio in sententia asserentium, eundem numero actum non posse esse simul bonum, & malum, vix solvi potest. Sed in sententia aliorum respondebis, talem actum esse contra regulam rectam, non in quantum est contra conscientiam erroneam, sed in quantum est contra dictamen synderefsis dictantis, obediendum esse veræ legi Dei.

Sed contra actus contra conscientiam erroneam, non solum est peccaminosus, quia est contra dictamen synderefsis dictantis in communi obediendum esse veræ legi Dei, sed etiam in quantum est contra dictamen conscientie dictantis obediendum esse legi. V. g. men-

mentiendi, vt apparenter veræ; in quantum peccaminosus, est contra regulam rectam, quia in quantum peccaminosus, dicit carentiam rectitudinis: ergo in quantum est contra conscientiam erroneam est contra regulam rectam. Conseq. est leg. min. certa, & maior innegabilis: quia conscientia erronea secundum id, quod addit supradictam synderefsis, verè ligat, & idè in casu conscientie erronee dictantis obediendum esse legi falsè existimate mentiendi, debeo in vi talis conscientie obedire legi falsè existimate mentiendi, & consequenter pecco, agendo contra talem conscientiam, quia ago contra id, quod debeo; & quia conscientia dictat non mentiri esse contra charitatem, non pecco vt cumque, sed pecco contra charitatem.

Ex quo amplius roboratur impugnatio facta: Nam quando conscientia erronea dictat, omitendum esse aliquem actum ex iustitia; ponere talem actum non est peccatum vt cumque, sed contra iustitiam, & consequenter non importat vt cumque carentiam rectitudinis, sed determinate carentiam rectitudinis, & conformitatis, cum regula recta iustitie, seu cum regula dictante, talem actum esse hic, & nunc, inspectis omni-

bus circumstantiis, contra iustitiam; hæc regula non est alia, quàm conscientia erronea: quia verè talis actus non est re ipsa, & obiectivè contra iustitiam: ergo. Quod totum negari nequit ab Illustriss. Palanco, ipse enim ait, vt vidimus art. præced. quod lex falsè existimata secundum suam ultimam differentiam verè obligat, licet non sit vera lex; agereque proinde contra conscientiam intimantem talem obligationem, vt talem, quod est idem, ac vt erroneam, erit verum peccatum, quia est omittere ad impletionem veræ obligationis.

89 Alijs terminis proponitur eadem ratio: si conscientia erronea non esset regula recta, sed curva, vt volunt adversarij, non esset verum peccatum agere contra conscientiam erroneam: hoc est falsum: ergo conscientia erronea est regula recta, non curva. Conseq. est legitima, min. certa: quia licet obligatio obediendi veræ legi Dei intimetur per dictamen synderefsis; contractio tamen talis obligationis, seu obligatio in specie obediendi, scilicet, legi falsè existimate mentiendi, intimatur per conscientiam erroneam, consequenterque peccatum non obediendi legi falsè existimate mentiendi, secundum suam speciem

ciem, acceptum consistit in carentia conformitatis cum conscientia erronea illam obligationem secundam suam ultimam differentiam intimante. Et probatur mai. si conscientia erronea esset regula curva, & non recta, agere contra conscientiam erroneam esset agere contra regulam curvam; agere contra regulam curvam non est verum peccatum: ergo si conscientia erronea non esset regula recta, sed curva, agere contra conscientiam erroneam non esset verum peccatum. Mai. cum consequatur, & probatur minor. Primum à paritate: nam in artificialibus artefactum non esse conformem regulæ curvæ artis non est esse veræ defectuosum in linea artificiali: ergo actum non esse conformem regulæ curvæ moralitatis non est esse verè defectuosum, & peccaminosum in linea morali. Probatur secundò eadem min. actum non evadere conformem regulæ curvæ moralitatis est actum carere curvitate morali; actum carere curvitate morali, non est actum esse peccaminosum, & defectuosum moraliter, quin. potius est carere defectu, & curvitate morali: ergo actum esse contra regulam curvam, non est esse peccaminosum, & defectuosum moraliter. Conseq. est leg.

mai. certa: quia curvitas actus consistit in eo, quod fiat iuxta regulam curvam, consequenterque carere curvitate morali, est esse contra regulam curvam, sicut carere rectitudine, est, esse contra regulam rectam. Et min. etiam est evidens: quia peccatum non consistit in carentia curvitatibus, sed in carentia rectitudinis.

90 Dices, quod licet conscientia erronea sit re ipsa regula curva, est tamen apparenter regula recta, & hoc sufficit, ut actus ipsi disconformis sit verè peccaminosus; quia datur obligatio obediendi regulæ apparenter rectæ.

Sed contra: ergo actus disformis conscientiæ erroneæ, est re ipsa contra regulam curvam, & solum in appariencia contra regulam verè rectam: ergo re ipsa caret curvitate morali, seu conformitate cum regula curva, & solum in appariencia caret vera rectitudine, seu conformitate cum regula verè recta: ergo re ipsa non est curvus, & defectuosus moraliter, sed solum in appariencia. Omnes istæ consequentiæ sunt clarissimæ.

Secundo: vel dictamen intimans hanc obligationem veram obediendi conscientiæ solum in appariencia rectæ, est dictamen verè

re rectum, vel solum est rectum in appariencia, & consequenter solum in appariencia est regula recta? Si tale dictamen est verè curvum, & solum in appariencia rectum, de operatione facta contra hoc dictamen facio idem argumentum, ac de operatione facta contra dictamen præcedens solum in appariencia rectum: quia non potest esse verum peccatum actus contra regulam verè curvam, & solum in appariencia rectam. Si autem tale dictamen est dictamen conscientiæ verè rectæ: ergo ultimum dictamen conscientiæ, quod devemus sequi, & contra quod agere, est verum peccatum, semper est dictamen conscientiæ rectæ in rei veritate.

§. III.

Refertur sententia contraria.

91 **C**ontra nostram sententiam sentiunt Mag. Ferre. Illustriss. Palanco. Et N. Chris. locis citatis, & est communis inter Probabilioristas, & in eorum favorem arg. ex D. Tho. quæst. & art. à nobis initio huius art. cit. in respons. ad primum ubi sic ait: *ad primum dicendum, quod sicut D. Dionysius*

dicat cap. 4. de divinis nominibus, bonum causatur ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus; & idè ad hoc, quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit, si ve quod secundum suam naturam sit malum, si ve quod apprehendatur ut malum, sed ad hoc quod sit bonum, requiritur, quod viroque modo sit bonum: ergo iuxta D. Tho. ut actus sit bonus, requiritur, quod eius obiectum sit bonum tam in re, quam in apprehensione. Sed actus elicitus cum conscientia, erronea non habet pro obiecto bonum morale tam in re, quam in apprehensione: ergo talis actus non est moraliter bonus.

Ad hoc arg. respondetur, neg. consequentiam: Nam D. Tho. non asserit, quod ad hoc ut actus voluntatis sit bonus, requiritur, quod eius obiectum sit bonum tam in re, quam in apprehensione; sed solum asserit, plura requiri ad rationem boni, quam ad rationem mali, & apponit exemplum in obiecto voluntatis, quod ut sit bonum, requiritur, quod sit bonum tam in re, quam in apprehensione, & ut sit malum, sufficit, quod sit malum in apprehensione: & cum hac differentia inter bonum, & malum, confirmata exemplo obiecti voluntatis, solvit virtualiter

liter argumentum, neg. conseq. non curando de veritate, aut falsitate consequentis: quia si plura requiruntur ad hoc ut aliquid sit bonum, quam ut sit malum, ex eo quod voluntas discordans à ratione errante, sit mala, non sequitur, quod voluntas concordans rationi erranti, sit bona, quia ut voluntas discordans à ratione errante sit mala sufficit, quod ut eumque discordet; sed ut voluntas concordans sit bona, non sufficit, quod ut eumque concordet, sed requiritur, quod ratio sit inculpabiliter errans, & quod voluntas cum conscientia inculpabiliter errante omnino concordet.

92 Secundo respondetur, concessa prima conseq. neg. min. quia licet actus elicited cum conscientia erronea invincibili non habeat pro obiecto obiectum bonum bonitate morali directa tam in re, quam in apprehensione; habet tamen bonum morale tam in re, quam in apprehensione, bonitate morali reflexa: quia obiectum erroneè invincibiliter apprehensum ut bonum bonitate morali directa, prout stat sub tali apprehensione est in rei veritate conforme legi divinæ reflexæ, & cognoscitur cum hac conformitate, in qua conformitate bonitas morali re-

flexa sita est; ac proinde quid mirum, quod actus ad illud terminatus sit positivè bonus, & honestus. Vide solutionem ultimi argumenti in fine.

93 Ex quibus verbis nunc libet magis roborare nostram conclusionem, ut videant adversarij quam debilia sint eorum arma. Nam D. Tho. arguens contra suam doctrinam, eam bonitatem impugnat in argumento, quam in corpore articuli ad scribit actui procedenti ex errore invincibili; sed bonitas, quam impugnat in argumento auctoritate D. Dionysij, est bonitas moralis positiva, ut constat ex argumento, & ex eius solutione: ergo bonitas, quam D. Tho. in corp. art. tribuit actui concordanti conscientia invincibiliter erroneæ, est bonitas positiva, & non solum negativa. Minor. cum conseq. patet, & mai. est certa, alias argumentum non probaret contra conclusionem, essetque extraneum.

Et certe si hoc argumentum aliquid probat, probat, quod actus terminatus ad obiectum solum bonum in apprehensione, non potest esse formaliter bonus, nec simpliciter actus amoris: quia bonum ex integra causa. Probat etiã contra Mag. Ferre, actum elicited cum opinio-

opinionem probabili re ipsa falsa non posse esse positivè honestum; cum obiectum talis actus solum sit moraliter bonum in apprehensione. Probat in super contra Illustriss. Palanco: actum adorationis hostia, quam quis falsè existimat ritè consecratam non posse esse positivè honestum. Et tandem probat, Subditum obedientem Prælato præcipienti cum opinione probabiliori de licito re ipsa falsa, non posse mereri, aut honestè positivè operari, quod est prorsus falsum: ex quibus omnibus constat debilitas argumenti facti.

94 Arg. secundò ex eodem D. Thomæ quæst. & art. citat. in corp. ubi sic ait: *manifestum est, quod illa ignorantia, quæ causat involuntarium tollit rationem boni, & mali morali;* sed conscientia invincibiliter erronea dicit ignorantiam, quæ causat involuntarium: ergo tollit rationem boni, & mali morali.

Ad hoc arg. resp. quod in mendatio, v. g. procedente ex errore invincibili turpitudinis in ipso reperiatur, datur duplex ratio, alia quæ ignoratur, & est ipsa turpitudine: alia, quæ cognoscitur per erroneum iudicium, scilicet, bonitas morali: mendatium secundum suam turpitudinem, quæ ignora-

tur, est involuntarium, non verò secundum quod apprehenditur, ut bonum; quia licet ignorantia reddat actum involuntarium circa illam rationem, quæ ignoratur; non verò circa illam rationem, quæ cognoscitur.

Sed replicabis: actus qui est contra voluntatem, est involuntarius; sed electio mendatij, ut iudicati boni, & honesti ad tuendam famam proximi est contra voluntatem: ergo est actus involuntarius. Probatur min. ita quis elegit mendatium erroneè iudicatum bonum; quod illud non eligeret, si illud cognosceret, ut est in se: ergo illud involuntariè eligit.

Ad hanc replicam resp. neg. min. & ad eius probationem concessio ant. dist. conseq. illud involuntariè eligit secundum illam rationem, quam in se habet, concedo conseq. prout inculpabiliter apprehensum ut bonum, nego conseq. verissimum quidem est, quod si mendatium proponeretur voluntati, prout est in se, illud voluntas benè affecta circa ultimum finem non eligeret, non enim tenderet in obiectum malum cognitum ut tale: sed quia de facto mendatium non cognoscitur prout est in se, sed apprehenditur sub ratione boni, illud prout sic apprehensum voluntas eligit volunta-

luntariè, licèt illud, prout est in se, semper sit contra intentionē voluntatis, quæ intendit quod intellectus non fallatur in cognitione medijs; licèt semper intendit eligere medium post factam debitam diligentiam cognitum vt conduens. Ex quo solum sequitur, quod electio talis medijs sit præsuppositivè involuntaria, quatenus est involuntarius error, quo medium ex se malum, proponitur vt bonum; non verò, quod sit involuntaria formalitèr, & in se.

Quod alijs terminis explicari potest, dicendo, quod electio medijs re ipsa morali in ordine ad finē charitatis, per se loquendo est contra intentionem voluntatis, non verò per accidens: quia voluntas intendit eligere medium omnibus inspectis conforme rectæ rationi, & ad finem charitatis conduens, & quia hæc conformitas, & conduentia, per se loquendo non invenitur in obiecto ex se malo, sed solum per accidens, seu facta aliqua suppositione, quæ per accidens se habet respectu talis obiecti, idèd voluntas per se loquendo non intendit electionē talis obiecti, sed solum facta illa suppositione per accidens, quod iudicetur inculpabilitèr bonum, & honestum: licèt facta hac suppositione

voluntas in illud per se feratur. Quod est idem, ac dicere, quod obiectum ex se malum, solum per accidens potest esse cōforme rectæ rationi; sed pro illo casu, pro quo est conforme rectæ rationi, & conduens ad finem charitatis, illud voluntas verè intendit: quia voluntas intendit id, quod est cōduens ad finem charitatis pro illis circumstantijs, pro quibus est conduens.

96 Replicabis iterum cum N. Christ. loco citato, vrgendo paritatem consensu in Matrimonio ex errore invincibili: nam si Petrus haberet intentionem non contrahendi Matrimonium nisi cum femina nobili, & non retractata hac intentione, contraheret cum femina erroneè invincibilitèr iudicata nobili, talis contractus esset nullus defectu voluntatis ex parte consensus, non obstante, quod talis consensus sit actus voluntatis: ergo si quis habeat propositum nunquam iurandi falsum, aut peccandi gravitèr, & data occasione, iurat id, quod re ipsa est falsum, quia illud existimat verum, & peccatum non iurare, involuntariè consistit in tale iuramentum, non eritque talis consensus liber moralitèr, licèt fuerit liber physicè.

Ad

Adhanc replicam respondetur, neg. antec. quia in casu posito non evadit Matrimonium nullum, quia deficiat voluntarietas consensus, perseverante consensu; sed quia deficit consensus, & consequentèr voluntarietas. Qui enim habens intentionem non contrahendi, nisi cum femina nobili, non retractata hac intentione, contrahit cum femina per errorem iudicata nobili, ita consentit, quod actu virtualitèr non vult consentire, nisi sit nobilis, ac proinde consentit subtacita conditione si sit nobilis re ipsa, vt iudicat: quare non purificata conditione Matrimonium evadit nullum, non ob defectum voluntarietatis ex parte consensus, sed ob defectum consensus.

Ad id, quod tangitur in consequ. dico, quod ille, qui habet propositum nunquam iurandi falsū, non habet propositum nunquam iurandi, quod re ipsa est falsum, sive cognoscatur esse falsum, sive non; sed habet propositum, nunquam iurandi, quod est falsum, cognitum vt tale: falsitas namque iuramenti non consistit in disconformitate verborū cum rebus, sed in disconformitate verborum cum mente. Quare, qui habens propositum nūquam iurandi falsum, data

occasione iurat, quod re ipsa est falsum, quia iudicat esse verum, non iurat involuntariè, & contra suam intentionem, seu propositum, sed potius iuxta suum propositum, & intentionem, cum tale iuramentum non sit falsum, sed verum, & consequenter omnino voluntariè iurat, non obstante, quod non iuraret, si res, prout sunt in se, cognosceret, quia tunc iuramentum esset falsum.

97 Arguitur tertio: actus bonus, & honestus non indiget excusari à culpa: actus cum conscientia erronea elicitus indiget excusari à culpa, & idèd Recurrimus ad ignoratiam invincibilem: ergo non est positivè bonus, & honestus.

Ad hoc arg. resp. dicendo, actum voluntatis factum cum conscientia erronea invincibili, indige re excusatione apud homines, qui non attendunt ad bonitatem intrinsecam, qua actus fit, sed ad id, quod ipsa res de se dicit; non verò indigere excusatione apud Deum, qui intuetur cor. Quare voluntas mentiendi, supposito, quod cognoscatur, procedere ex errore invincibili, non indiget excusatione apud homines, quia prout sic, est recta; sed quia homines ignorant, an procedat ex errore invincibili, indi-

indiget, ut liberetur à culpa, quam haberet, si non procederet ex errore invincibili; excusatione ignorantiae invincibilis. Talis tamen voluntas ex errore invincibili procedens, nec obiectivè, nec formalitèr est mala: non formalitèr ut suppono: non obiectivè, quia non terminatur ad obiectum reduplicativè, ut malum, cum talis malitia omnino ignoretur; sed ad obiectum, ut hic, & nunc bonum, & honestum. Qua propter dictamè dictans invincibilitèr id, quod re ipsa est in se contra legem Dei, excusat actum exteriorem à peccato, auferendo ab eo malitiam formalem; at actum voluntatis excusat, auferendo ab eo malitiam etiam obiectivam, quam actus voluntatis circa tale obiectum aliàs haberet, si ad illud, prout est in se terminaretur, confertque illi rectitudinem moralem. Vel dic actum bonum, vel honestum tam formalitèr, quam obiectivè non indigere excusari à culpa; indigere tamen tali excusatione actum formalitèr bonum circa obiectum re ipsa malum; non qua parte est formalitèr bonus, sed qua parte est circa obiectum re ipsa malum.

98 Arguitur quartò: actus positivè bonus, & honestus moralitèr, regulatur doctrina sana;

actus regulatus conscientia erronea, non regulatur doctrina sana: ergo actus regulatus conscientia erronea non est moralitèr bonus, & honestus positivè. Prob. min. Conscientia erronea non est doctrina vera: ergo non est doctrina sana; nam iuxta Philoso. bonitas, & sanitas intellectus est veritas.

Ad hoc arg. resp. concessa mai. neg. min. ad cuius probationem, nego ant. nam dictamen, in quo consistit conscientia erronea, est verum, ut sæpe est iam dictum, quod dictamen conscientiae erroneae aliquando est naturale, & elicatum à prudentia acquisita; aliquando est super naturale, & elicatum à prudentia infusa, ut optimè docent N. Salmant. super art. 5. q. 57. 1. 2. D. Tho.

99 Arguitur quinto: actus regulatus à regula curva, non est moralitèr rectus, & bonus; actus regulatus conscientia erronea, regulatur regula curva: ergo non est moralitèr rectus, & bonus. Probatur min. conscientia erronea non est regula recta, sed curva, aliàs conscientia non rectè divideretur in rectam, & erroneam: ergo actus regulatus conscientia erronea, regulatur regula curva.

Ad hoc arguit. resp. min. & ad eius probationem neg. ant. ut satis

tis constat ex dictis, tam in hoc, quam in articulo præced. Quare si conscientia sumatur pro ultimo dictamine conscientiae non rectè dividitur in rectam, & erroneam formalitèr: ultimum namque dictamen conscientiae semper est formalitèr rectum, cum sit dictamen prudentiae. Si autem nomine conscientiae intelligantur, & includantur omnes actus intellectus ad formandum ultimum dictamen concurrentes, ut communiter intelligi solet, divisio optima est, quia ultimum dictamen aliquando supponit iudicium erroneum, & aliquando non. Nisi velimus dicere, ultimum dictamen aliquando dici conscientiam erroneam, non quia in se sit formalitèr erroneum, sed quia versatur circa obiectum, ut erroneè apprehensum.

100 Arguitur 6. actus circa obiectum falsò apprehensum, ut supernaturale, non evadit supernaturalis: ergo nec actus circa obiectum falsò apprehensum, ut honestum, erit formalitèr honestus. Conseq. patet quia si supernaturalitas falsò apprehensa, non potest tribuere actui formalè supernaturalitatem, non est cur honestas falsò apprehensa conferre valeat actui formalem honestatem. Et

ant. proba. nam alias, qui erroneè iudicaret, aliquid obiectum esse de fide, & illi ut de fide assensum præstaret, eliceret actum fidei, quod est falsum.

Ad hoc arg. resp. dist. ant. actus circa obiectum falsò apprehensum, ut supernaturale, non evadit supernaturalis formalitèr, si falsò apprehendatur supernaturale supernaturalitate practica, de linea morali, nego ant. si apprehendatur supernaturale supernaturalitate quasi speculativa, & de linea physica concedo ant. Nam datur duplex supernaturalitas, alia physica, & quasi speculativa, & alia moralis, & practica. Supernaturalitas speculativa, & physica sumitur per connexionem cum aliquo principio physico supernaturali, estque omnino independentèr à nostra apprehensione, & dictamine. Quare obiectum, quod in se non est physice supernaturale, etsi apprehendatur à nobis, ut supernaturale, non est verè supernaturale, adhuc prout stat sub nostra falsa apprehensione, quia adhuc prout stat sub nostra falsa apprehensione, non dicit verè, sed solum fictè, connexionem cum aliquo principio physico supernaturali: & sic non est verè supernaturale obiectivè, adhuc prout stat

sub nostra falsa apprehensione, quid mirum, quod actus ab ipso specificatus, non evadat supernaturalis formaliter?

At supernaturalitas practica, & de linea morali, consistit in conformitate cum lege divina supernaturali, quæ conformitas verè potest competere obiecto, quod in se non est verè conforme: nam obiectum, quod falsò apprehenditur conforme legi divinæ supernaturali directæ, ut falsò apprehensum conforme legi divinæ supernaturali directæ, & prout stat sub hac apprehensione, est verè conforme obiectivè legi divinæ supernaturali reflexæ; ut cernere licet in hostia, quæ non est re ipsa consecrata, nam hostia, quæ non est ritè consecrata, re ipsa non est adorabilis, nec obiectivè conformis legi divinæ supernaturali directæ, & tamen ut falsò apprehensa, ut ritè consecrata, & prout stat sub hac falsa apprehensione, est verè conformis, & actus, quo ipsa adoratur est verè supernaturalis, quia actus respiciens obiectum verè supernaturale, ut tale, nequit non esse verè supernaturalis. Quare actus voluntatis non est supernaturalis in linea morali per ordinem ad obiectum, ut falsò apprehensum supernaturale moraliter, ita

ut specificetur ab ipsa bonitate morali supernaturali falsò apprehensa, sed specificatur à bonitate morali supernaturali obiectiva vera, quæ in ipso obiecto, ut falsò apprehenso, invenitur. Licet enim bonitas physica falsò apprehensa verè specificet actum, quia specificat, & influit in actum movendo, & attrahendo, & bonitas physica falsò apprehensa verè moveat, tamen bonitas, ut exercet munus bonitatis moralis, cum non sit de linea amabilis, aut volibilis, ut optime docent N. Sapientissimi PP. Salmant. tract. de bonitat. & malit. disp. 1. à nu. 47. & tract. de peccat. disp. 6. dub. 4. nu. 68. non specificat attrahendo, & movendo, sed ut quodlibet aliud obiectum, ac proinde non specificat verè ut falsò apprehensa, & applicata obiecto, sed solum prout verè ipsi in est.

ARTIC. V.

Virum obiectum prudentie sit verum practicum sive in re, sive in apprehensione tali?

§. I.

Notantur aliqua ante dubij decisionem.

NOtandum est primò: prudentiam esse habitum intel-

lectualem de linea practica, qui sic definitur: *est recta ratio agibilium.* Notandum est secundò: dari duplicem veritatem, practicam, scilicet, & speculativam. Veritas speculativa, est illa, quæ desumitur ab eo, quod res est, vel non est; veritas practica est illa, quæ desumitur per conformitatem ad appetitum rectum, seu ad rectam intentionem finis. Ex quo sequitur, iudiciū non dici practicum, quia versetur circa res practicas, etsi namque versetur circa res practicas, erit speculativum, si mensuratur eius veritas à rebus ipsis, & sumat suam veritatē ab eo, quod res est, vel non est. Quare iudicium, quo quis iudicat aliquid esse in re licitum, non est iudicium practicum, sed speculativum; quia licet versetur circa rem practicam, non versatur circa illam modo practico, sed modo speculativo.

102. Ex quo notandum tertio est discrimen inter intellectū practicum, & speculativum: nam intellectus speculativus mensuratur à rebus cognitis, & tunc dicitur verus, quando rebus, prout sunt in se, conformatur; intellectus autem practicus non mensuratur à rebus, sed potius ipse est mensura rerum, operationumque practicarum, &

ideò istæ dicuntur veræ, quia sunt conformes illi ratione formæ per quam agit. Quare sicut veritas intellectus speculativi consistit in eo, quod intellectus ex se fallibilis, conformetur rebus necessarijs, & infallilibus; sic res habere veritatē practicam, in eo consistit, quod res, seu actiones ex se fallibiles, & contingentes, conformentur formæ infallibili, per quam intellectus practicus in illas influit. Hæc forma infallibilis, per quam intellectus practicus regulat actiones humanas, est lex æterna à nobis participata per lumen synderesis, & explicatur in recta intentione finis. Quam ob rem quod est conforme rectæ intentioni finis, est conforme divinæ regulæ.

103. Notandum est quarto: non esse idem, iudicium esse verum, & esse certum nam veritas iudicij consistit, vel in conformitate cum rebus, si est speculativum, vel in conformitate cum regulis morum, si est practicum: certitudo autem consistit in firma adhesionem intellectus ad verum. Notandum est quinto: idem esse obiectum prudentiæ, ac virtutum moralium, obiectum, scilicet, conforme appetitui recto, sed à prudentia inspicitur, ut considerabile, ordinabile, & imperabile, quæ sunt

sunt ipsius munia, à virtutibus autem moralibus inspicitur, ut acceptabile, & prosequibile. Vnde eadem conformitas, quæ ut prosequibilis, dicitur bonitas moralis, ut ordinabilis, & imperabilis, dicitur veritas practica. His notatis.

§. II.

Statuitur nostra conclusio, & auctoritate probatur.

Dicendum est, obiectum prudentiæ esse verum practicum, sive in re, sive tantum in apprehensione. Hanc sententiam tenent plures Sæcti Patres immediate citandi, quos sequuntur celebriores Theologi, & præcipue nostri Sapientissimi Patres Salmant. super art. 5. q. 57. 1. 2. D. Tho. & tract. 13. disp. 13. dub. 4. nu. 85. & tract. 17. disp. 2. dub. 2. nu. 48. & tandem tract. 20. disp. 1. dub. 7. nu. 110. ubi sic aiunt: *ut enim Pontifex licite, & prudenter se gerat in dispensando sufficit, quod sequatur dictamen opinionis probabilis.* Sentiunt ergo dicti P.P. Pontifices non solum licite, sed etiam prudenter se gerere, sequendo opinionem suæ contrariam, sive in re, sit vera, sive

non.

105 Et probatur primò conclusio ex D. Aug. de doct. Chr. cap. 36. ubi sic ait: *quis quis vero talem inde sententiam dixerit, ut huic edificande claritati sit utilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille, quem legit, eo loco sensisse probatur, non pernitiosè fallitur.* Ergo iudiciū re ipsa, falsum potest iuxta D. Aug. esse utile ad edificandam charitatem, & in fine sic etiam ait: *sed tamen ut dicere caperem, si ea sententia fallitur, quæ edificat charitatem, quæ finis præcepti est, ita fallitur, ac si quis quam errore deserens viam, & tamen per agrum pergat, quo etiam via illa perducit:* ergo iuxta D. Aug. sententia re ipsa falsa edificare potest charitatem, potestque medio iudicio re ipsa falso perveniri ad eundem terminū, ac per iudicium verum: ergo actus elicitus cum conscientia erronea potest iuxta D. Aug. esse medium conducens ad finem charitatis, & perducere ad eundem terminum, ac actus elicitus cum conscientia recta, & consequenter potest esse meritorius vitæ æternæ.

106 Probatur secundo conclusio ex eodem D. Aug. Ep. 120. ad Antonium, ubi hæc habet verba: *tibi prodest ipsam diligere bonitatem*

tatem, quam profecto diligit, qui eum diligit, quem credit bonum, sive ille se ita, sive aliter quam creditur habeat: ergo iuxta D. Aug. diligere bonitatem apprehensam in aliquo, non solum excusatur à culpa, sed etiam prodest, & consequenter est actus positivè honestus, & bonus, & prudentia regulatus, sive ille sit re ipsa bonus, ut apprehenditur, sive non, & consequenter obiectum prudentiæ est res sive verè, sive falso apprehensa.

107 Probatur tertio conclusio ex D. Tho. q. 16. de malo art. 6. ad 1. ubi postquam solvit argumentum à paritate desumptum neg. conseq. non curando de veritate anteced. & consequentis, sit ait: *Quamvis etiam dici posset: quod appetitus potest esse rectus aliqua falsa cognitione precedente, puta, cum aliquis exhibet honorem paternum ei, quæ falso putat patrem: ergo iuxta D. Tho. est conforme dictamini prudentiæ exhibere honorem paternum ei, qui existimatur pater, sive in re sit pater, sive non; potestque esse rectus appetitus, seu actus voluntatis procedens ex errore.* Insuper D. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 2. ad 2. ait. *Jepte motum fuisse ad votandum à fide, & devotione, quæ est à Spiritu Sancto non obstante, quod tale votum fuit obiectivè malum:*

ergo stat quod actus circa obiectum erroneè apprehensum ut bonum, procedat ex motione devotionis, & fidei, quæ est à Spiritu Sancto, & consequenter, quod sit iuxta regulas prudentiæ, non solum acquisitæ, sed etiam infusæ.

108 Probatur quarto conclusio ex D. Bernardo lib. de præcep. & disp. cap. 8. ubi sic ait: *Nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas: sentit ergo Div. Bernard. posse dari circa opus in se non bonum bonam voluntatem, & dignam remuneratione, consequenterque posse esse meritorium actum voluntatis circa opus in se non bonum.*

109 Probatur quinto ex D. Antonino, & Beato Alberto Magno: Nam D. Anton. titulo 3. de consc. cap. 10. §. 10. sic ait: *item ex responsis, quæ videntur data ab Alberto Magno habetur, quod frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consilijs quacumque opinionem voluerit: dummodo alicuius Doctoris magni opinionem sequatur.* Sentiunt ergo posse sequi, non solum sine peccato, sed etiam meritorie, & cum salute, opinionem quamlibet probabilem, non obstante, quod non quælibet ex opinionibus oppositis

fit vera; sed potius necessarium fit, quod vna ex illis sit falsa.

110 Probatur tandem conclus. ex ore Christi Domini: nam cum Seraphica Virgo, & Mater nostra D. Theresia (vt ipsa refert cap. 29. suæ vitæ) irrideret Christo Domino sibi apparenti ex præcepto sui Confessarij iudicantis non esse Christum, sed demonem: non obstante, quod talis irrisio erat ab intrinseco mala, & esset formalitèr mala, si non excusaret ignorantia, fuit laudata à Christo Domino his verbis: *Deziame que no se me diesse nada, que bien havia en obedecer, mas que el havia, que se entendiesse la verdad.* Cõstat ergo ex ore Christi Domini, quod operatio in se, & obiectivè mala potest esse per accidens, & supposito errore, bona, & consequentèr regulata per prudentiam.

§. III.

Prima ratio in favorem nostræ conclusionis expenditur.

111 **P**robatur primò conclusio ratione: idem est obiectum prudentiæ, ac virtutum moralium; sed harum obiectum est bonū morale, sive in re, sive in fal-

sa apprehensione: ergo obiectum prudentiæ est verum practicum, sive in re, sive in falsa apprehensione. Mai. cum conseq. patet, & min. multipliciter probatur, primò in virtute misericordiæ: nam huius obiectum non est præcisè bonum morale in re, sed vel in re, vel in falsa apprehensione: ergo probatur ant. misericordia inclinatur ad sublevandam miseriam, sive veram, sive falsò apprehensam: ergo illius obiectum est bonum morale sive in re, sive in falsa existimatione. Conseq. est legit. quia sublevare miseriam, quæ non est talis in re, non est bonum morale in re, & aliquando est in re malum, vt quando aliquis peccator paupertatem fingit, æleemosynamque exigit ad continuanda peccata: tunc enim malum est in re, & obiectivè, huic dare æleemosynam, iuxta illud Ecclesiastici 12. *Da bono, & non recipias peccatorem.* Idemque docet D. Tho. 2. 2. q. 31. art. 2. ad 2. & quæst. 32. art. 9. ad 1. & D. Aug. in Psalm. 102. ad illa verba: *faciens misericordias Dominus.* Et prob. ant. si misericordia solùm inclinaret ad sublevandam miseriam veram, & ad solùm dandam æleemosynam, illam exigenti ad vsus honestos, ante executionem actus misericordiæ, debere-

beremus inquirere, an illam petens, esset verus pauper, & an illam peteret ad honestum finem, vel ad continuanda peccata; hoc est prorsus falsū, quin potius est peccatum scrutari pauperes curiosè, vt tradit D. Christ. sermone. *Ne scrutemur pauperem curiosè*, homil. 34. & alijs in locis: ergo.

Totum hoc concedit Illustriss. Palanco num. 101. dicitque proinde; conscientiam dictantem, dandam esse æleemosynam absque examine vitæ pauperis esse conscientiam rectam. Sed in hoc destruit suam sententiam: nam conscientia recta est actus per se, inspectus à prudentia, & consequenter obiectum illius est etiam per se inspectum ab illa: ergo si conscientia recta dicitur sublevandam esse miseriam, sive veram, sive falsò existimatam, obiectum per se inspectum à prudentia erit sublevatio miseriæ, sive veræ, sive falsò existimatæ.

112 Probatur secundò eadem min. alio exemplo: obedientia inclinatur ad obediendum. Prælato legitime præcipienti, sive id, quod præcipit, sit in re malum, sive non, & idèò subditus tenetur obedire Superiori præcipienti cū opinione probabiliori de iustitia rei præceptæ, sive talis materia sit

re ipsa iusta, sive non: ergo obiectum obedientiæ ab ea per se inspectum non est bonum morale in re tantum; sed bonum, sive in re, sive in falsa apprehensione legitime præceptum à Superiore. Probatur ant. conscientia recta dicitur iuxta Illustriss. Palanco num. 100. obediendum esse Superiori legitime præcipienti, sive id, quod præcipit sit obiectivè licitum, sive nō: ergo obediētia inclinatur ad obediendum Superiori legitime præcipienti, sive id, quod præcipit sit re ipsa licitum, sive nō. Patet conseq. quia id, quod est obiectum conscientiæ rectæ in materia obedientiæ, est obiectum per se inspectum à virtute obedientiæ.

Ex quo roboratur de novo nostra conclusio: quod prudentia dicitur medio dictamine recto, dicitur per se, & ex propria inclinatione; sed dicitur medio dictamine recto, seu conscientia recta, faciendū esse, quod Prælati præcipit, sive illud sit in re verum practicum, sive non: ergo prudentia dicitur per se, & ex propria inclinatione non solum id, quod in re est verum practicè, sed etiam illud, quod in re est practicè falsum, prout apprehensum, vt practicè verum.

Dices prudentiā dicitur, quod est absolutè malum in re, falsumque

que practicè, non provt absolute est malum in re; sed provt cadit sub præcepto legitimo Superioris: quo pacto, & provt stat sub his circumstantijs, rationeque illarum est in rei veritate verū practicum, & consequenter obiectum prudentiæ non est verum practicum solum in apprehensione sed verum in re.

Sed contra ergo id, quod absolute, & ratione sui est falsū practicum in re, & disconforme legi divine potest ratione alicuius circumstantiæ supervenientis, & provt stat sub illa, esse in rei veritate verum practicè, & conforme legi divine, subiectivè existēti in Deo, legi obedientiæ v. g. ergo stat, quod mendatum sit ratione sui practicè falsum obiectivè, & in re, & quod ratione alicuius circumstantiæ supervenientis, & provt stat sub illa, ratione legis falsè existimatæ v. g. sit in rei veritate verum practicè, & obiectum prudentiæ. Conseq. est leg.; quia nullū inconveniens assignari potest in hoc casu, quod non millitet in illo. Explicatur hoc amplius: id, quod absolute est malum obiectivè, provt existimativè bonum, potest esse materia præcepti Superioris legitime præcipientisque proinde in virtute Dei: ergo potest esse materia legis Dei,

& consequenter mendatum ut falsè existimatum bonum poterit esse materia legis divine, verumq; practicè.

113 Probatur 3. sequenti exēplo: religio inclinatur ad id, quod est dignum cultu, sive in re, sive in apprehensione: ergo obiectum virtutis moralis est bonū morale sive in re, sive in apprehensione. Probatur ant. religio inclinatur ad adorandam hostiam, quæ in Missa elevatur à Sacerdote, sive in re sit ritè consecrata, & digna adoratione, sive non: ergo obiectum religionis non est dignum cultu in re, & obiectivè præcisè, sed in re, vel in falsa existimatione.

114 Dices cum Illustriss. Palanco nu. 97. illum actum adorationis procedere ex influxu virtutis religionis, quatenus est adoratio hostiæ ritè consecratæ, non quatenus est huius numero hostiæ, & similiter conscientiam dicentem esse adorandam hanc numero hostiam, esse rectam, quatenus in virtute principij universalissimi dicitur adorandam esse hostiam ritè consecratam, non tamen quatenus dicitur, hanc numero hostiam esse adorandam.

Sed contra est primò: ergo religio inclinatur ad adorandam hostiam, etsi non sit ritè consecrata

in

in re. Probatur conseq. talis hostia, etsi sit ritè consecrata, non est ritè consecrata in re: ergo si religio inclinatur ad adorandam hostiam, non inclinatur, quia sit ritè consecrata in re, sed quia est ritè consecrata, etsi non in re: & consequenter inclinatur ad adorandam hostiam ritè consecratam, sive in re, sive tantum in apprehensione, & eodem modo discurremus de prudentia: nam prudentia inclinatur ad adorandam illam hostiam secundum rationem hostiæ ritè consecratæ, non secundum rationem hostiæ ritè consecratæ in re: ergo secundum rationem hostiæ ritè consecratæ, etsi non in re; & consequenter obiectum formale per se inspectum à prudentia non est hostia ritè consecrata in re, sed hostia ritè consecrata, provt hæc est ratio communis ad rationem hostiæ ritè consecratæ in re, & in falsa apprehensione.

Explicatur hoc ipsum radicatus: conscientia in quantum recta obligat conformiter ad legem subiectivè existentem in Deo, & ad id, quod talis lex per se obligat, & præcipit: ergo si conscientia in quantum recta dicitur, adorandam esse hostiam ritè consecratam, quæ non est talis in re, lex divina non præcipit, & obligat per se præcisè

ad adorandam hostiam ritè consecratam obiectivè, & in re, provt esse consecratam in re contraponitur ad esse ritè consecratam in falsa apprehensione; sed præcipit, & obligat per se ad adorandam hostiam ritè consecratam, sive sit ritè consecrata in re, & independentem à nostra falsa existimatione, sive sit solum ritè consecrata in nostra falsa existimatione: ergo conscientia applicans obligationem adorandi hostiam ritè consecratam ad hanc hostiam, quæ solum est ritè consecrata in falsa apprehensione, non falsè, sed rectè illam applicat. Probatur hæc conseq. illa lex præcipit, & obligat per se ad adorandam hostiam ritè consecratam sive in re, sive in falsa apprehensione: ergo conscientia applicans illam legem ad præcipientem adorationem huius numero hostiæ ritè consecratæ solum in falsa apprehensione, rectè illam applicat. Quod cernere licet in hoc syllogismo: *adoranda est hostia ritè consecrata, sive in re, sive in apprehensione, hæc hostia est ritè consecrata sive in re, sive in apprehensione: ergo est adoranda.* In quo syllogismo maior, & minor sunt veræ, consequentia legitime inferitur ex illis: & consequentia legitime illata ex premissis veris est om-

V

nino

nino vera. Vnde illa conclusio, in qua conscientia consistit, est omnino recta, & consequenter, vel dicendum est, talem conscientiam esse omnino rectam, vel neganda est maior, & dicendum, non esse rectam aliquo modo.

115 Dices: maiorem esse falsam, quia lex divina solum præcipit adorare hostiam ritè consecratam in re, & independentè à nostra existimatione. Sed contra: ergo conscientia dictans adorandam esse hostiam, quæ non est ritè consecrata in re, non potest esse recta per conformitatem cum illa lege naturali. Probatur conseq. conscientia dictans adorandam esse hostiam, non dictat adorandam esse hostiam, quæ sit ritè consecrata in re, sed hostiam ritè consecratam solum in falsa existimatione, vel alijs terminis: non dictat adorare hostiam ritè consecratam in re, quoad esse, sed solum quoad videri. Quare vel dicendum est, illam conscientiam esse omnino rectam, vel asserendum est nullo modo esse rectam.

116 Impugnatur secundo eadem solutio: supposito iudicio speculativo in re falsò affirmatè, hanc hostiam esse ritè consecratam, conscientia dictans esse hic, & nunc adorandam, est omnino vera: ergo

est omnino recta. Probatur ant. datur vera obligatio non solum adorandi hostiam ritè consecratam in communi, sed etiam adorandi hic, & nunc hanc numero hostiam meo iudicio ritè consecratam: ergo conscientia dictans talem obligationem, est omnino recta. Conseq. est leg. & ant. traditur ab omnibus, & præcipue ab Illustriss. Palanco.

His exemplis addi possunt alia duo: primum est charitatis inclinationis in dubio de personis ad iudicandum benè de proximo, & si tale iudicium sit frequentius in re falsum. Secundum exemplum est iudicij probabilis: nam quando Puer Iesus in Hierusalem remansit, B. V. Maria iudicavit illum esse in comitatu. Quod iudicium fuit in re obiective falsum, & nihilominus fuit prudentissimum, & simpliciter meritorium.

§. IV.

Expenditur duplex alia ratio pro nostra sententia.

117 **P**robatur secundò eadem conclusio alia ratione: Quod est falsum practice in re, & obiective, potest esse obiectum prudentiæ: ergo obiectum prudentiæ non

non est præcisè verum practicum in re, & independentè à nostra falsa apprehensione. Prob. ant. quod absolutè est falsum practice in re, potest, provt stat sub aliquibus circumstantijs, & ratione illarum esse verum practicum in re: ergo quod est falsum practice in re, potest esse obiectum prudentiæ. Prob. ant. Tum exemplis adductis numero præcedenti: Tum etiam: nam mendacium est falsum practice in re, & nihilominus provt stat sub lege falsò existimata est verum practice: ergo prob. min. Lex divina præcipit obedire legi falso existimatæ: ergo mentiri provt stat sub lege falso existimata, est verum practice. Ant. constat satis ex dictis circa conscientiam erroneam, & insuper probatur: nam obedire legi falso existimatæ, est verè malum; lex divina præcipit fugere malum: ergo præcipit obedire legi falso existimatæ. Tum denique: non mentiri in illis circumstantijs est verè disconforme legi divinæ existenti in Deo; non aliæ quam legi præcipienti mentiri in illis circumstantijs: ergo.

Probatur secundò eadem minor: quod est conforme rationi rectæ est verum practice; sed mentiri in illis circumstantijs est conforme rationi rectæ: ergo est ve-

rum practice. Probatur min. est conforme rationi veræ: ergo est conforme rationi rectæ. Conseq. patet, quia ratio vera, est ratio recta, cum eius rectitudo in veritate consistat: & prob. ant. iudicium dictans esse mentiendum in illis circumstantijs, est ratio vera: ergo. Prob. ant. primo: quia iudicium affirmans, & intimans obligationem veram, est ratio vera; sed iudicium dictans debere mentiri in illis circumstantijs, affirmat, & intimat obligationem veram, seu quæ verè datur: ergo est ratio vera. Maior cum conseq. patet, & min. etiã est certa: Tum quia in illis circumstantijs verè datur obligatio mentiendi; tum etiam, quia tale iudicium affirmat, & intimat obligationem obediendi legi falsò existimatæ, quæ obligatio apud omnes est vera. Probatur secundo ant. in hoc syllogismo: *debeo facere, quod iudico hic, & nunc esse præceptum; iudico hic, & nunc esse præceptum mentiri: ergo debeo mentiri.* In hoc syllogismo conclusio est vera, cum rectè inferatur ex præmissis veris; talis conclusio intimat obligationem mentiendi: ergo ratio intimans obligationem mentiendi, est ratio vera.

118 Sed contra hoc obijcies in hoc syllogismo: *illicium est sa-*

cere opus servile in die festo; sed pingere est opus servile: ergo illicitum est pingere in die festo. In hoc, inquam, syllogismo obligatio non pingendi in die festo, quæ solum datur, supposita falsa existimatione, de eo, quod sit opus servile, intimatur, & affirmatur per conclusionem, conclusio non est vera, sed falsa, & erronea, cum inferatur ex minori falsa: ergo licet obligatio non pingendi in die festo possit intimari reflexè per iudicium verum, directè tamen intimatur per iudicium erroneum, & consequenter non est obiectum prudentiæ.

Adhanc obiectionem respondetur neg. mai. Quia per talem conclusionem non intimatur obligatio subiectivè tantum talis non pingendi in die festo, quæ verè datur, supposito iudicio erroneo de eo, quod pingere sit opus servile (si re ipsa tale iudicium est erroneum, de quo nunc non disputo) sed intimatur obligatio non pingendi obiectivè talis, quæ est falsa, cum re ipsa, & obiectivè non detur talis obligatio; ac proinde quid mirum, quod iudicium talem obligationem intimans sit falsum, & quod non sit actus prudentiæ? Et ratio huius doctrinæ est, tum, quia obligatio subiectivè talis inti-

matur per iudicium reflexum, talis conclusio non est iudicium reflexum; cum totus syllogismus sit directus: ergo per talem conclusionem non intimatur obligatio subiectivè talis non pingendi in die festo. Prob. mai. obligatio subiectivè talis non faciendi rem, est obligatio non faciendi re ut hic, & nunc iudicatam prohibita, sive in re sit prohibita, sive non, & sive in re, & obiectivè detur talis obligatio, sive non; iudicium intimans talem obligationem, est iudicium reflexum, cum sit iudicium versans non circa rem absolutè, sed circa rem ut iudicatam, supponensque proinde iudicium directum de ipsa re: ergo obligatio subiectivè talis intimatur per iudicium reflexum. Tum etiam illam obligationem intimat conclusio, de qua facta est mentio in maiori, in maiori non fit mentio de obligatione subiectivè tali, sed de obligatione obiectivè, & in re tali: ergo conclusio non intimat obligationem subiectivè talem, quæ est vera, sed obligationem obiectivè talem, quæ est falsa.

119 Nec hinc inferas, quod conscientia erronea non consistit in iudicio vero, sed falso. Quia ultimum dictamen conscientiæ, & quod immediatè regulat operationem,

nem, non consistit in iudicio directo versante circa bonitatem, vel malitiam obiecti prout in se sumpti, quæ aliquando datur, aliquando non datur, sed consistit in iudicio reflexo circa bonitatem, & malitiam obiecti ut apprehensi, & circa honestatem, vel inhonestatem formale operationis circa tale obiectum, quod iudicium semper est verum.

Si autem velis, quod maior propositi syllogismi faciat hunc sensum: *illicitum est in die festo facere opus si ve in re, si ve in apprehensione servile*, dico quod iudicium indicans pingere esse opus servile, potest considerari, vel in quantum est directum, vel in quantum est virtualiter reflexum, omnis namque actus intellectus est virtualiter reflexus, per illumque intellectus cognoscit se cognoscere; in quantum est actus formaliter directus, est falsus, conclusioque illata ex illo, ut formaliter directo, evadit falsa, intimatque proinde obligationem falsam, nec in illa consistit dictamen ultimum conscientiæ; in quantum tale iudicium est virtualiter reflexum, est verum; quia quando cognosco, semper est verum, me cognoscere, & conclusio ut illata ex illo, ut sic virtualiter reflexo, est vera, intimatque obligationem

veram, quia intimat obligationem non faciendi in die festo opus servile in apprehensione, quæ est vera, alias maior esset falsa, & in conclusione, ut sic illata ex dictis præmissis, consistit dictamen conscientiæ, quod est regula immediata operationis. Quare obligatio vera semper intimatur per iudicium verum, estque proinde obiectum prudentiæ sive obiectum sit in re verum practicè, sive non.

120 Probatur tandem nostra conclusio ab inconvenienti; nam si obiectum prudentiæ solum esset verum practicum in re, sequeretur non esse in manu illius, qui vult sequi opinionem, quam invenerit probabilior, prudenter, & honestè simpliciter operari; hoc est absurdum: ergo obiectum prudentiæ non est solum verum practicum in re. Probatur mai. in tantum operabitur prudenter, & honestè simpliciter, in quantum opinio sit vera in re; non est in sua manu, quod opinio probabilior sit vera in re: ergo nec est in sua manu operari prudenter, & honestè simpliciter, sed casu, & fortuna prudenter operabitur.

Confirmatur ratio hoc exemplo: ponamus Petrum adorantem hostiam ritè consecratam, ut ipse iudicat; & ponamus Paulum ado-

rantem hostiam elevatam à Sacerdote, quam falsò iudicat, etsi rationabiliter, esse ritè consecratam: & ponamus vtrumque eodem conatu, eodem fervore, eodemque desiderio placendi Deo, adorare illas hostias. In hoc casu iuxta adversarios adoratio Petri fuit prudens, & meritoria vitæ æternæ; adoratio Pauli non fuit positivè prudens, & honesta, vitæque æternæ meritoria. Peto nunc ab adversarijs, vnde proveniat discretio vnius adorationis ab alia, & quod adoratio Petri sit meritoria, & nõ adoratio Pauli? Si dicant, quod ex voluntate, falluntur, nam in eo, quod dependet ex eorum voluntate, estque in eorum manu, sunt æquales. Quod ergo discernit vnâ adorationem ab alia, est fortuna, & casualitas; bonæque fortunæ Petri tribuendi est, quod adoratio hostiæ evadit meritoria, & malæ fortunæ Pauli, quod eius adoratio meritoria non sit; quia Petrus habuit fortunam in eo, quod hostia, quam adoravit, esset ritè consecrata, qua fortuna caruit Paulus. Ac proinde fortunæ, non voluntati tribuendū est, quod vna adoratio sit meritoria vitæ æternæ, & non alia; quo quid absurdus?

* * *

§. V.

Refertur sententia contraria.

121 **C**ontra nostram sententiam sentiūt cels. à Dei 1. p. q. 3. Illustriss. Palanco q. 5. à nu. 134. & ex parte Mag. Ferre, quatenus asserit, actum elicited cum conscientia erronea invincibili non esse honestum, & bonum moraliter, licet sit bonus moraliter, actus elicited cū opinione verè probabili in re falsa: in eorumque favorem arguitur primò: obiectum per se inspectum à iustitia est iustum in re, & obiectum per se inspectum à virtute veracitatis est locutio vera in re, & sic de reliquis virtutibus moralibus: ergo obiectum prudentiæ est etiam verum practicum in re. Conseq. est leg. & ant. probatur: virtutes necessariò exigunt ad exercendos suos actus circa aliqua obiecta, quod intellectus diligenter inquirat, an sint talia in re, vt iustitia, antequam reddat alicui debitum, præmitit examen, an illi sit in re debitum, vel non; & veracitas nihil loquitur nisi post præmissum diligens examen, an illud sit in re verum, vel non; sed hoc examen nulla virtus requireret, si non

non inclinaret ad suum obiectum, vt tale in re: ergo. Probatur min. examen illud solum præmititur ad inveniendum obiectum proprium vnius cuiusque virtutis: ergo si examinatur, an sit, vel non tale in re, obiectum per se inspectum ab vnaquaque virtute est obiectum tale in re.

Explicatur hoc amplius: virtus iustitiæ nihil facit, nisi quod invincibiliter sibi proponitur vt iustum in re, & sic de alijs virtutibus; sed quælibet virtus solum exigit, quod sibi proponatur obiectum in eo sèsu, in quo debet esse obiectum, & non aliter: ergo quælibet virtus exigit suum obiectum vt tale in re. Confirmatur primò: idem est finis intrinsecus virtutis, & eius obiectum; sed finis intrinsecus iustitiæ non est reddere debitum in apprehensione, sed reddere debitum, quod re ipsa est tale, & sic de alijs virtutibus: ergo obiectum per se inspectum à iustitia est iustum in re, & non solum in existimatione invincibiliter erronea operantis. Probat. min. nam si iustus existimans invincibiliter aliquid alicui debere, illud ei reddat, inventa postea veritate, dolet, se frustratum fuisse sine suæ iustitiæ, & sic de alijs virtutibus: ergo signum est, quod finis intrinsecus

talium virtutum est obiectum practicè verum in re. Confirmatur 2. virtutes morales determinant voluntatem ad bonum, sicut intellectuales ad verum; sed istæ determinant intellectum ad verum in re: ergo virtutes morales determinant voluntatem ad bonum in re.

Ad hoc arg. respond. neg. ant. & ad eius probationem distingo mai. An sint talia in re, vel quoad se, vel quoad nos, concedo mai. quoad se præcisè nego mai. Vel alijs terminis, an sint talia in re, vel quoad esse, vel quoad videri, concedo mai. quo ad esse præcisè nego mai. Et distincta eodem modo minori, nego conseq. Quia virtutes morales non exigunt ad suos actus exercendos examen ad inveniendum, an aliquid sit bonum morale in re, præcisè quoad se, sed ad inveniendum, an sit tale in re quoad se, vel saltem quoad nos, seu quoad nostrum prudens videri. Quare hoc ipso quod aliquid sit bonum morale in re quoad nos, seu quoad nostrum prudens videri, post factum prudens examen virtutes morales exercent suos actus circa tale obiectum. Et ratio est, quia obiectum virtutum moralium est obiectum vt conforme rectæ rationi hic, & nunc, vel

vel ratione sui, vel ratione circumstantiæ occurrentis; obiectum v. g. iustitiæ est illud, quod est conforme rectæ rationi, vel ratione sui, vel ratione alicuius circumstantiæ, & provt stat sub illa: unde cum illud, quod apprehenditur vt iustum post factum debitum examen, sit conforme rectæ rationi, provt stat sub tali apprehensione; quod apprehenditur iustum, provt stat sub tali apprehensione, est obiectum iustitiæ. Exigit ergo iustitia ad exercendum actum circa aliquod obiectum, quod intellectus prius examinet diligenter, an tale obiectum sit iustum in re: non quia eius obiectum sit solum iustum in re; sed quia est obiectum, vt inculpabiliter, & prudenter iudicatum iustum in re, & non iudicatum inculpabiliter iustum in re, nisi quod iudicatur tale post debitum examen. Vel dic ad argu. quod obiectum virtutum est illud, quod est in re conforme legi divinæ; hoc est, quod est verè conforme, sed quia hanc conformitatem aliqua obiecta habent per se, & ratione sui; aliqua autem non nisi facta aliqua suppositione per accidens, supposita, scilicet, aliqua falsa apprehensione, ideo virtutes morales ad aliqua obiecta inclinant per se, ad alia autem

non inclinant nisi supposita ex parte illorum aliqua suppositione per accidens.

Exigunt ergo virtutes ad exercendos suos actus circa aliqua obiecta, quod intellectus diligenter inquirat, an sint talia in re; non quia obiectum illarum sit tantum, quod est verum practicum in re; sed quia obiectum illarum est tantum, quod cognoscitur esse tale in re, cum nihil volitum, quim præcognitum. Sicut voluntas, antequam amet aliquod obiectum, exigit, quod intellectus cognoscat, tale obiectum esse bonum in re; non quia obiectum voluntatis sit tantum bonum in re, cum amor circa obiectum falsò apprehensum bonum, sit verus amor, & verus actus voluntatis; sed quia obiectum voluntatis est res apprehensa, vt bona.

Ad explicationem argumenti respondetur, virtutem iustitiæ nihil facere, nisi quod invincibiliter ipsi proponitur iustum in re; ac proinde solum exigere, quod eius obiectum sit in apprehensione inculpata iustum in re. Ad primam confirmationem respondetur, conc. mai. & neg. min. nam finis intrinsecus iustitiæ est reddere id, quod hic, & nunc est conforme rectæ rationi reddere: quare

re cum hic, & nunc sit rectæ rationi conforme reddere id, quod invincibiliter iudicatur esse debitum, sive in re sit debitum, sive non, quia lex divina illud præcipit reddere; finis intrinsecus iustitiæ non est præcisè solvere debitum, quod re ipsa est tale, sed quod invincibiliter iudicatur re ipsa debitum, sive in re sit tale sicut iudicatur, sive non.

Ad secundam confirmationem resp. omissa maiori, & concessa minori, distingo conseq. ad bonum morale in re, vel ratione sui, vel ratione alicuius circumstantiæ, concedo conseq. ratione sui præcisè, nego conseq. virtutes ergo morales determinant voluntatem ad bonum morale, seu ad obiectum, vt conforme rectæ rationi, sive obiectum habeat hanc conformitatem ratione sui, vel ratione alicuius circumstantiæ, & provt stat sub illa. Instarique potest argumentum exemplis supra positus charitatis, & obedientiæ.

122 Arguitur secundò: obiectum fidei divinæ non est verum sive in re, sive tantum in apprehensione, sed solum verum in re: ergo pariter obiectum prudentiæ non est verum practicum sive in re, sive in apprehensione, sed solum verum practicum in re.

Ad hoc arg. resp. concessio antecedenti, neg. conseq. & ratio disparitatis stat in eo, quod cum fides sit habitus speculativus sumit suam veritatem per conformitatem cum re, provt est in se; at prudentia, cum sit virtus practica, non sumit suam veritatem per conformitatem cum re, provt est in se; sed per conformitatem cum regulis rationis, seu per conformitatem cum rebus vt hic, & nunc conformibus regulis rationis: Quare cum id, quod non est verum practicum in re, & ad extra, possit secundum esse, quod habet ad intra, esse conforme regulis rationis, hinc fit, posse esse obiectum prudentiæ, quod non est verum practicum ad extra. Discrimen ergo inter fidem, & prudentiam nõ stat in eo, quod obiectum fidei debeat esse in rei veritate verum veritate speculativa, & obiectum prudentiæ non debeat esse in rei veritate verum veritate practica, sed stat in eo, quod obiectum fidei debet esse verum in se, & secundum esse, quod habet ad extra, virtus namque speculativa sumit suam veritatem ab eo, quod res est, vel non est in se; obiectum autem prudentiæ sufficit, quod sit in rei veritate verum veritate practica, seu quod sit conforme rectæ rationi, vel secundum

esse, quod habet ad extra, & in se, vel secundum esse, quod habet in intellectu, & ratione illius.

123 Arguitur tertio: eo modo aliquod est obiectum prudentiæ, quo est verum practicè: ergo quod solum est verum practicè in nostra falsa apprehensione, solum erit obiectum prudentiæ in nostra falsa apprehensione; sed quod est in re falsum practicè, solum est verum practicè in nostra falsa apprehensione: ergo quod est in re practicè falsum, solum est obiectum prudentiæ in nostra falsa apprehensione.

Ad hoc argumentum respondetur, quod eo modo aliquod est obiectum prudentiæ, quo est verum practicè hic, & nunc inspectis omnibus circumstantiis. Quare cū id, quod absolutè est falsum, practicè, possit esse in rei veritate verum practicè hic, & nunc inspectis omnibus circumstantiis; id, quod absolutè est falsum practicè in re, potest in rei veritate esse obiectum prudentiæ. Quod possit esse verum practicè in rei veritate hic, & nunc, inspectis omnibus circumstantiis, quod absolutè est in se falsum, cernitur exemplis in prima ratione propositis: nam id, quod in re est malum, non habet in re veritatem, practicam, & ni-

hilominus provt stat sub præcepto Superioris legitimè præcipientis, habet in rei veritate veritatem practicam. Similiter hostia, quæ non est in re ritè consecrata, in re non habet veritatem practicam; & nihilominus, vt falsò iudicata ritè consecrata, & provt stat sub hac circumstantia, habet veritatem practicam, & veram conformitatem cum lege religionis præcipientis illam adorare in ijs circumstantiis.

ARTICVLVS VI.

Virum ad honestè operandum requiratur iudicium omninò certum, & infallibile de honestate obiectiva, & formali operationis?

§. I.

Aperitur status presentis difficultatis.

124 **A** pud omnes est omninò certum, actū omnino conformem dictamini rationis esse honestum, sive sit semper honestus honestate positiva, vt volunt aliqui; sive aliquando sit honestus honestate positiva, & aliquādo so-

lum

lum honestus honestate negativa, quando nimirum actio procedit ex errore invincibili, vt alij tenaciter contēdunt. Qua supposita certitudine, circa operationem hic, & nunc duplex dubium excitari potest: primum est an sit conveniens hic, & nunc, omnibusque attentis circumstantiis talem operationem elicere? Secundum est, an hæc operatio, quam de facto elicitio, evadat omnino cōformis dictamini rationis dictanti conveniētiā operationis hic, & nunc? Primum dubium resolvitur per iudicium, quo quis iudicat, conveniens esse hic, & nunc talem operationem elicere. Secundum resolvitur per iudicium, quo quis, dum actualitè operatur, iudicat, se agere omninò conformitèr ad dictamen rationis. Primum iudicium habet rationem regulæ formalis proximæ operationis, illamque exercitè sumptam antecedit cum omnimoda independētia ab illa: nam adhuc posito tali iudicio practico, & regula operationis, potest homo talem operationem elicere, vel non elicere, & illam elicere conformitèr, aut disconformitèr ad tale dictamen. Secundum iudicium supponit iam regulam proximam operationis, & versatur circa conve-

nientiam exercitam operationis, quæ dicitur cum tali regula. Difficultas præsens non procedit de hoc secundo iudicio supponente regulam operationis, eamque in exercitio concomitante: hoc enim, impossibile est, quod sit evidens: impossibile namque est ex se puro homini evidenter cognoscere, dum operatur, se omnino conformitèr ad dictamen rationis operari, ita vt nec in minimo ab ipso deviet; parumque refert, vt operatio evadat formalitèr honesta, quod tale iudicium sit fallibile, vel infallibile: quia cum non sit regula operationis, honestas formalis operationis non desumitur ab ipso. Solū ergo procedit difficultas de primo iudicio habente rationē regulæ proximæ formalis operationis, & versante circa obiecti honestatem, & operationis hic, & nunc non quidem circa honestatem formalem operationis formalitèr sumptam, hæc enim resultat in operatione ex omnimoda conformitate cum tali dictamine, immo est ipsamet actualis conformitas cum illo; sed circa honestatem formalem hic, & nunc, fundamentalitèr acceptam. Et inquirimus, an ad honestè operandum requiratur, quod tale iudicium sit omninò certum, & infal-

libi-

libile? Sic patefacto statu presentis controversiæ.

§. II.

Notantur aliqua ante illius decisionem.

125 **N**Otandum est primò, circa licitum, aut illicitum duplicem propositionem formari posse, directam, scilicet, & reflexam. Propositio directa, est propositio circa licitum, aut illicitum prout in se, & inspectis præcisè circumstantiis, quæ se tenent ex parte obiecti. Propositio reflexa est propositio circa licitum, aut illicitum hic, & nunc, & inspectis omnibus circumstantiis, quæ se tenent tam ex parte obiecti, quam ex parte subiecti, quod operaturum est.

126 Notandum est secundò, utramque propositionem dividi in universalem, & particularem. Propositio directa universalis, est propositio circa licitum, vel illicitum prout in se, universalitè acceptum; ut hæc: *Licitum est pingere in die festo*. Propositio particularis directa, est propositio circa hoc, vel illud obiectum absolute, & prout in se consideratum, ut est hæc: *licitum est pingere in hoc*

die festo. Similiter propositio reflexa, est propositio circa obiectum prout apprehensum in communi ut hæc: *licitum est agere cum dubio de licito*. Propositio particularis reflexa est propositio circa obiectum, ut hic, & nunc apprehensum, ut hæc: *mihi hic, & nunc dubitanti invincibiliter, an sit licitum pingere in die festo, licitum est pingere cum tali dubio*.

127 Tertio est notandum, quod licet propositio particularis directa contineatur sub propositione universali directa, & propositio particularis reflexa contineatur sub propositione universali reflexa; tamen propositio particularis reflexa non est propositio particularis contenta sub propositione universali directa, nec propositio particularis directa est propositio contenta sub propositione universali reflexa: quia sub propositione universali directa solùm continetur propositio particularis directa, & sub propositione universali reflexa solùm continetur propositio particularis reflexa.

Et ratio huius doctrinæ est: quia propositio particularis contenta sub universali, affirmat in particulari id ipsum, quod propositio universalis illam continens, affirmat in universali; sed propositio

propositio particularis reflexa non affirmat in particulari id ipsum, quod propositio universalis directa affirmat in universali: ergo propositio particularis reflexa non est propositio particularis contenta sub propositione universali directa. Maior cum consequ. patet, & min. prob. Tum, quia propositio universalis directa affirmat in universali, licitum esse obiectum absolute, & in se; at propositio particularis reflexa non affirmat in particulari licitum esse obiectum absolute, & in se; sed solum affirmat, licitum esse, prout hic, & nunc apprehensum, quid quid sit, an sit licitum in re, & absolute: ergo. Tum etiã, quia propositio universalis reflexa est distincta à propositione universali directa: ergo, & propositiones particulares contentæ sub propositione universali reflexa sunt diversæ à propositionibus particularibus contentis sub propositione universali directa, alias opinio reflexa non distingueretur ab opinione directa, quod est falsum.

Quare ex eo, quod iudicium particulare contineatur sub universali, ineptè inferunt adversarij, eum, qui in universali non habet certitudinem omnino infallibile de eo, quod non est peccatum ab-

solute, & in se, pingere in die festo v. g. Sed solum opinionem, non posse obtinere certitudinem reflexam omninò infallibilem de eo, quod non peccat, operando cum tali opinione: quia licet iudicium particulare directum contineatur sub iudicio universali directo, & ob hanc rationem non possit discordare ab eo; tamè iudicium particulare reflexum non continetur sub iudicio universali directo, ac proinde ratione huius continentie probari nequit, quod non possit ab eo discordare, & habere maiorem illo certitudinem.

128 Quod autem iudicium reflexum absolute discordare possit à iudicio directo, & illud excedere in certitudine, mille exemplis ostendi potest: nam in casu dubij rigurosi directi de licito, vel illicito, neque adversarij, neque nos habemus dubium rigorosum reflexum, sed illi per iudicium reflexum asserunt esse illicitum agere contra legem rigorosè dubiam, & nos econtra affirmamus, esse licitum. Et idem dico, quando adest æqualis probabilitas directa circa licitum: nam hæc æqualis probabilitas directa non infert æqualem probabilitatem reflexam; sed stãte illa æquali probabilitate directa, adversarij probabilius iudicant, esse

se illicitum in tali casu operari, & nos constanter affirmamus, esse licitum. Rursus: hæc, aut illa opinio probabilior directa non est aded probabilis, sicut opinio reflexa asserens, licitum esse agere cū illa opinione probabilior directa, quia opinio reflexa asserens esse licitum agere cum opinione probabiliori directa de licito, defenditur tam à Probabilistis, quam à Probabilioristis, non tamen quælibet opinio operanti probabilior ab omnibus defenditur, sed à pluribus deseritur ut minus probabilis: nec quælibet opinio particularis directa operanti probabilior habet pro se aded solidas rationes, sicut habet opinio reflexa, asserens licitum esse agere cum opinione probabiliori directa de licito.

Quare ut certo supposito, iudicium particulare reflexum discordare posse à iudicio univèrsali directo, illudque excedere in certitudine; solum examinare restat, an aded discordare possit ut super iudicium directum fallibile, possit fundari iudicium reflexum omninò certum, & infallibile, & an necessario requiratur ad licitè operandum: quod §§. sequentibus prætabimus.

* * *

§. III.

Statuitur prima conclusio.

129 **D**icendum est primò, possibile esse dictamen reflexū omninò certum, & infallibile de non peccato obiectivo, & formali hic, & nunc, non stante iudicio directo de licito omninò certo, & infallibili. Hanc sententiam tenent omnes Auctores pro sequenti cōclusionone citandi, & probatur ratione: non stante iudicio directo omninò certo, & infallibili de licito, stat dictamen prudentiæ dictans licitum esse hic, & nunc agere cum tali iudicio directo fallibili; dictamen prudentiæ est omninò certum, & infallibile: ergo non stante iudicio directo de licito omninò certo, & infallibili, stat iudicium reflexum omninò certū, & infallibile circa licitum operationis hic, & nunc. Conseq. est leg. min. constat ex dictis art. præc. mai. facile probatur; quia ad operandum iuxta dictamen prudentiæ non requiritur iudicium directum de licito omninò certum, & infallibile, sed ad summum requiritur iudicium probabilius, ut nostri adversarij fatentur; alias vix

vix

vnquam posset quis operari iuxta dictamen prudentiæ, cum certitudo directa de licito omninò infallibilis vix vnquam obtineri valeat.

130 Probatur secundò conclusio alia ratione non minus efficaci, quam brevi: licitum esse agere cum opinione inter probabiles probabilissima circa licitum, est omnino certum, & infallibile, cū sic diffinitum sit ab Ecclesia; opinio probabilissima non est omninò certa, & infallibilis, cum possit esse falsa: ergo potest fundari iudicium reflexum de licito omninò certum, & infallibile super iudicium directum fallibile de licito: conseq. est legitima, minor innegabilis, & mai. continet diffinitionem Ecclesiæ.

131 Probatur tertio cōclusio omninò certū, & infallibile est, licitum esse operari cum iudicio directo probabiliori de licito; iudicium probabilius est iudicium fallibile: ergo fundari potest iudicium reflexum de licito omninò certum, & infallibile supra iudiciū directū fallibile. Cōseq. est leg. min. certa, & mai. probatur; tum, quia certum omninò est cuilibet esse licitum agere, quod post factam debitam diligentiam probabilius iudicat esse licitum: ergo. Proba-

tur ante. quod quis post factam debitam diligentiam probabilius iudicat hic, & nunc esse licitū, prudenter iudicat esse licitum; omninò certum, & infallibile est, cuilibet esse licitum agere, quod prudenter iudicat esse licitum: ergo. Tum etiam opinio probabilior excusat operantē cum illa, si forte est falsa: ergo licet iudicium probabilius sit fallibile, infallibile tamen est, non peccare cum illo operantem: ergo supra iudicium directum fallibile de licito fundari potest iudicium reflexum omninò certum, & infallibile.

132 Dices opinionem probabiliorē excusare, dummodo sit inculpate concepta; quare cum ferè impossibile sit, habere infallibilem certitudinem de inculpata conceptione opinionis, etiam est ferè impossibile habere infallibilem certitudinem de non peccato formali.

Sed contra est primò: ergo est omninò certum, & infallibile, iudicium probabilius inculpate cōceptum excusare à peccato operantem cum illo, etiamsi difficilimum, & ferè impossibile sit, infallibiliter cognoscere, iudicium probabilius esse inculpate conceptū. Sed iudicium probabilius inculpate conceptum est fallibile: ergo

su-

supra iudicium directum fallibile de licito fundari potest iudicium reflexum omninò infallibile: quod est præcipuum assumptum huius §.

133 Contra est secundo: si ignarus literarum consulat circa aliquod debitum viros doctissimos, & omnes illos audiat dicentes, opinionem de licito esse longè probabiliorem, eamque sine aliquo peccato teneri posse, certissimum est, & omninò infallibile, illam fecisse omne, quod debuit ad inveniendam veritatem: ergo non est impossibile, aut fere impossibile, aliquem omninò certificari de inculcata conceptione alicuius opinionis.

Contra est tertio omninò me possum certificare de eo, quod non pecco, assensum præstando sententiæ asserenti B. V. Mariam fuisse sine peccato originali conceptam: ergo non est impossibile, aut fere impossibile habere certitudinem omninò infallibilem de inculcata cõceptione alicuius sententiæ. Conseq. est leg. & ant. est innegabilis. Per quod amplius roboratur conclusio: nam certissimum est, & omninò infallibile, me non peccare, exhibendo cultum Conceptioni B. V. Mariæ, vt Immaculatæ in primo instanti; nò

est omninò certum, & infallibile B. V. Mariam fuisse re ipsa Immaculatam, & dignam cultu pro primo instanti: ergo supra iudicium directum fallibile fundari potest iudicium reflexum omninò certum, & infallibile.

134 Contra est quarto: ergo qui sequitur opinionem probabiliorē directam de licito inculpatè conceptam, omninò certum, & infallibile est non peccare formalitèr: ergo qui sequitur in materia gravi opinionem conceptam sine culpa gravi, omninò certum, & infallibile est non peccare graviter: sed facillimo negotio potest quis se omninò certificare de eo, quod non peccat gravitèr in concipiendo aliquam opinionem in materia gravi ratione omissionis gravis in adhibendo diligentias debitas: ergo facillimo negotio potest quis se omninò certificare de eo, quod non peccat graviter, sequendo aliquam opinionem probabiliorē in materia gravi: ergo potest fundari iudicium reflexum omninò certum, & infallibile de non peccato gravi formali supra iudicium directum fallibile de nò peccato gravi obiectivè.

135 Impugnatur tandè solutio: vel qui operatur, operatur cum omni certitudine requisita ad


ad non peccandum, vel non? Si non; certissimè peccat formalitèr: quia qui operatur sine certitudine requisita ad non peccandum, certissimum est, quod peccat. Si autè operatur cum omni certitudine de licito requisita ad non peccandum, omninò infallibile est ei, quod operando cum tali certitudine, & sequendo omninò ductum illius, non peccat formalitèr: ergo qui non peccat, habet certitudinem infallibilem de eo, quod operari hic, & nunc non est peccaminosum. Probat ant. cuilibet est omninò certum, & infallibile, se non peccare, dum operatur cum omni certitudine requisita ad non peccandum, si sua operatio evadit omninò conformis tali iudicio, aut dictamini, & quod peccat, si non operatur cum omni certitudine requisita: ergo qui non peccat, habet certitudinem infallibilem, de eo, quod non est peccatum talem operationem elicere.

Explicatur hoc amplius: ad licitè operandum non sufficit certitudo moralis de honestate obiecti, sed requiritur certitudo moralis inculpatè concepta: ergo vt quis non peccet, non solum debet se certificare de honestate obiecti, sed etiam de inculcata conceptione huius certitudinis; omninò in-

fallibile est, non esse peccatū operari cum certitudine morali de honestate obiecti, & cum certitudine morali de inculcata conceptione talis honestatis: ergo vel quis operando peccat ob defectū certitudinis de honestate obiecti, aut de inculcata cõceptione talis certitudinis; vel est ilri omninò infallibile, quod hic, & nunc non est peccatum formale operari.

Rursus, vel est licitum agere cū sola certitudine morali de honestate obiecti, & cum sola certitudine morali de inculcata cõceptione talis certitudinis moralis, vel non? Si non est licitum: ergo requiritur certitudo infallibilis de inculcata conceptione talis certitudinis moralis de honestate obiecti: quod nullus adversariorum cõcedet. Si est licitum, vt omnes concedunt: ergo infallibile est, quod quis non peccat agendo sine iudicio infallibili, quia infallibile est, quod quis non peccat, faciendo id, quod sibi est licitum agere, & consequenter fundari iam poterit iudicium infallibile reflexum de non peccato supra iudicium

fallibile directum.



§. IV.

Statuitur secunda conclusio, & auctoritate D. Tho. probatur.

136 **D**icendum est secundo, ad licitè operandum non sufficere iudicium probabilius directum de licito, sed requiri iudiciū reflexum omninò certum, & infalibile de non peccato obiectivo, & formali. Hanc sententiam tenent communiter probabilistæ, & probatur cōclusio saltē quò ad primam partem auctoritatē D. Tho. Quodl. 8. art. 13. ubi ait: *aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quadam dubitatione inducitur ex contrarietate opinionum, & sic si manente dubitatione plures præbendas habeat, periculo se comittit, & sic proculdubio peccat, utpotè magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem. Aut ex contrarijs opinionibus in nullam dubitatioem inducitur, & sic non comittit se discrimini, nec peccat.* Ergo iuxta D. Tho. ut quis licitè operetur necessarium est, quod in nullam dubitationem inducatur circa licitum: ergo D. Tho. ad licitè operandum exigit omni-

modam certitudinem saltē moralem de non peccato (non quidem directam, sed reflexam) quia ut quis nullo modo dubitet de aliqua re, requiritur, quod sit omninò certus de illa saltē moralitè, quia in quantum non est certus, est dubius.

Ad hoc resp. Reverendissimus P. Tyrus disert. 10. cap. 1. §. 1. nu. 12. & cap. 2. §. 4. D. Tho. non exigere ad licitè operandum certitudinem metaphysicam, sed solum moralem, quæ consistit in iudicio probabili concepto ex gravibus fundamentis: per hoc enim iudicium probabile excluditur omne dubium de malitia obiecti, & actionis, secumque tantum permittit quadam formidinem logicam, & quæ non facit intellectum aliquo modo hæsitare, aut dubitare, consistentem in iudicio de possibilitate, seu non repugnantia falsitatis.

137 Sed mens D. Tho. ex ipso D. Tho. venanda est. Quare hanc expositionem D. Tho. ex ipso D. Tho. sic impugno: iuxta D. Tho. de ratione assensus opinativi est esse eum dubitatione, & formidine alterius partis: ergo implicat iuxta D. Tho. doctrinam, quod quis per assensum opinativum in nullam dubitationem induca-

ducatur, excludaturque omnè dubium. Conseq. est legitima, & ant. prob. ex D. Tho. quæst. 14. de ver. art. 10. ubi sic affatur: *intellectus noster possibilis respectu partium contradictionis se habet diversimodè, quandoque enim non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in illis problematicis, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem equalitatem eorū, quæ movent ad utramque partem, & ista est dubitantis dispositio, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis. Quandoque verò intellectus inclinatur magis ad unum, quam ad alterum, sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc, quod determinet ipsum in unā partium totaliter. Unde accipit quidem unā partem, tamen semper dubitat de opposita: & hac est dispositio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis cum formidine alterius.*

Eandem doctrinam tradidit Ang. D. 2. 2. q. 1. art. 4. his verbis: *assentit intellectus alicui dupliciter, uno modo, quia ad hoc moveatur ab ipso obiecto, quod est vel per se ipsum cognitum, sicut patet in principijs primis, quorum est intellectus; vel est per aliud cognitū,*

sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab obiecto proprio, sed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem, magis quam in aliam, & si quidem hoc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio; si autē sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides: ergo iuxta D. Tho. de ratione opinionis est, quod sit cum dubitatione, & formidine alterius partis.

138 Dices cum P. Tyrso loco citato, D. Tho. intelligendum fore de opinione, seu assensu opinativo imperfecto in genere opinionis: in genere namque opinionis distinguit hic auctor duplicem speciem, perfectam, scilicet, & imperfectam; & asserit, quod opinio imperfecta in genere opinionis dicit assensum unius partis cū formidine morali, & prudenti, cum quadamque hæsitatione, & dubitatione de opposita propter fundamentum aliquod rationale, & grave, quod adest ad timendū, ne actio sit mala. Opinio verò perfecta in genere opinionis dicit ad eò firmum assensum unius partis, ut nullam formidinem prudentem, nullamque dubitationem secum admittat de veritate alterius partis,

partis, sed solum quamdam formidinem logicam. D. Tho. autem, ait hic Auctor, intelligendus est in prima acceptione, non in secunda.

Sed expositio hæc expressè pugnat cum litera D. Tho. nam D. Tho. manifestè ait, quod si assensus est cum dubitatione, est opinio, etsi non est cum dubitatione, sed cum certitudine, est fides: ergo loquitur D. Tho. de opinione ut distincta à fide, & non solum ut distincta ab opinione perfecta. Rursus: si assensus est cum certitudine excludente dubitationem, & formidinem, est iuxta D. Tho. assensus fidei: ergo iuxta D. Tho. implicat, quod assensus, qui est cum dubitatione, sit fidei, & quod circa obiectum non sufficientè movens intellectum, detur assensus cum certitudine excludente dubitationem, qui non sit fidei. In hoc namque distinguitur iuxta D. Tho. opinio à fide, quod una dicit assensum cum dubitatione, & formidine, & alia dicit assensum cum certitudine excludente dubitationem, & formidinem. Et tandem assensus opinativus, pro ut distinctus à fide, quo pacto includit assensum opinativum, tam perfectum, quam imperfectum, non excludit iuxta D. Tho. formidi-

nem, quam excludit assensus fidei; assensus fidei solum excludit formidinem prudentem, ut patet: ergo assensus opinativus, ut distinctus à fide, non excludit iuxta D. Tho. formidinem prudentem.

139 Impugnatur secundò solutio principalis ex D. Tho. nam qui dubitans prudenter, an aliqua res sit, vel non sit licita, hoc dubiū resolvit probabiliter, non resolvit tale dubium quoad esse iuxta D. Tho. sed solum quoad videri: ergo semper perseverat dubius quoad esse. Prob. ant. qui tantum opinative, & probabiliter resolvit dubiū, iuxta D. Tho. non dicit absolutè, rem ita esse; sed solū dicit, sibi videri, rem ita esse: ergo non resolvit dubium absolutè, & quoad esse, sed solum quoad videri. Cōseq. est leg. ant. docet D. Tho. explicans illa verba Phil. *opinari non est in nobis, verum enim, vel falsum dicere necesse est*: super quæ verba hæc habet S. D. *cum aliquid intelligimus, asserimus, sic esse; cum autè opinamur, dicimus. Sic videri, vel apparere nobis*. Ex quibus verbis de novo impugnatur solutio: qui non dicit absolutè rem ita esse, sed solū, sibi videri, rem ita esse, non resolvit absolutè dubium, sed solum cum quadam modificatione, & restrictione: quia eo modo re-

solvit

solvit dubium circa aliquam rem, quo de illa iudicat: ergo qui non iudicat absolutè rem ita esse, sed tantum, cum quadam modificatione, & restrictione, scilicet, quoad videri, non resolvit absolutè dubium, sed solum cum restrictione, & quoad videri, & consequenter, adhuc perseverat absolutè dubius: quia in eo sensu perseverat dubius, in quo non resolvit dubium. Per quod impugnata manet solutio, quam adhibet Illustriss. Palanco principali auctoritati D. Tho. quæst. 33. §. 3. nu. 4. 6. & 47. dicens absolutè, & sine aliqua distinctione, aut limitatione, per assensum opinativum omninò excludi dubium de opposito: hæc enim solutio expressè militat contra D. Tho.

140 Sed ut evidenter confet, quam labili gresu incedant adversarij nostri; admittamus, ut veram doctrinam P. Tyrsi, & per illam videbimus destructum Probabiliorismum. Quod sic ostendo: ergo intellectus aliquando assentitur opinioni cum dubio, & formidine prudenti partis contrariæ ob motivum grave, quod ipsi in est. Nunc inquiri, an opinio, cui intellectus assensum præbet cum dubio, & formidine prudenti ob motivum grave in contra-

rium sit opinio æquè probabilis, aut ferè æquè probabilis, ac sua opposita; vel longe probabilior? Si dicatur primum: ergo intellectus potest assentiri opinioni probabili in conspectu oppositæ æquè, aut ferè æquè probabilis: ergo opinio probabilis perseverat simpliciter probabilis, & fundamentum eius grave, in conspectu oppositæ æquè, aut ferè æquè probabilis. Istæ consequentiæ sunt evidentes, sed destruunt præcipua principia Probabiliorismi. Si autem dicatur secundum: ergo opinio longè minus probabilis, ut talis, non est simpliciter improbabilis, eiusque fundamentum imprudens, nullum, & contemnendum; sed simpliciter probabilis, & fundamentum eius prudens, grave, sufficiensque ad incutiendum prudentem dubitationem, & formidinem: ergo illicitum est agere cum opinione longè probabiliori de licito. Probatur conseq. opinio longè probabilior de licito affert secum prudentem formidinem de illicito; illicitum est agere cum prudenti formidine de illicito iuxta adversarios; quia iuxta illos datur obligatio vitandi peccatum materiale, & qui tenetur vitare peccatum materiale, tenetur vitare periculum prudens illius, quod iuxta ip-

Bb

fos

fos datur, quando datur dubium prudens de illicito: ergo illicitum est agere cum opinione directa longè probabiliori de licito. Si ergo opinio, per hoc, quod sit longè probabilior sua opposita, non excludit prudentem formidinem de illicito, & alias datur obligatio non agendi cum tali formidine, quæ erit illa opinio, cum qua sit licitum agere? Quare in quodcunque latus se vertat P. Tyrus se ipsum suæ doctrinæ impugnatores inveniet.

§. V.

Expenditur Triplex ratio in favorem primæ partis conclusionis.

141 **P**robatur primò conclusio quoad primam partem: qui agit cum timore, ne sua actio sit peccaminosa hic, & nunc inspectis omnibus circumstantiis, peccat formaliter; sed qui agit cum iudicio solum probabiliori de non peccato hic, & nunc, agit cum formidine, & timore, ne Deum offendat in sua actione: ergo qui agit cum solo iudicio probabiliori de eo, quod non peccat in tali actione, peccat formaliter, consequenterque illicitum

est agere cum solo iudicio probabiliori de eo, quod talis actio est hic, & nunc licita.

Ad hanc rationem respondet Illustriss. Palanco, q. supra citat. num. 37. & 49. Quod licet agere cum formidine, & timore orto ex motivo gravi, sit peccatum; agere tamen cum timore orto ex motivo levi, ut est timor, quem affert opinio longè probabilior, non est peccatum: quia talis timor, est timor levis, & per modum scrupuli. Nec qui ita timet, dicit, *forſam Deum offendam, si hoc egero*: non enim fundatur hic timor in actu, quo quis dicit forſam Deum offendam, si hoc egero; sed in iudicio, quo dicit, possibile est saltè remote, me falli, & peccare in hac actione, quam existimo non esse peccatum. Idem dicit P. Tyrus dissert. 10. cap. 1. nu. 12. & cap. 2. eiusdem dissert. §. 4.

142 Impugnatur 1. solutio hæc ad hominem contra Illustriss. Palanco nam iuxta ipsum trac. de fide disp. 2. q. 6. nu. 4. & 2. assensus opinativus affert secum essentialiter formidinem radicalem, deliberatam, & prudentem, seu fundamentum ad prudenter, & deliberatè formidandum: ergo formido, quam quis concipit, quando assentitur alicui opinioni, est formido

mido fundata in motivo gravi, non in motivo levi; consequenterque motivum probabile, ita est motivum grave ad assentiendum vni parti, quia ut implurimum est verum, quod simul sit motivum grave ad formidandum de opposito, quia ut in paucioribus est falsum.

143 Secundo impugnatur solutio ratione, qua utitur Illustriss. Palanco loco immediate citato: nam assensus fidei non permittit secum formidinem propriam opinionis; permittit formidinem indeliberatam, & imprudentem: ergo formido propria opinionis non est indeliberata, & imprudens, sed prudens, & deliberata. Et si motivum probabile suadens aliquam rem esse licitam, est sufficiens ratione suæ fallibilitatis ad prudenter timendum, ne res forte non sit licita, sicut ipsum motivum suadet, quanto maius motivum timendi erit, quando motivum probabile de licito simul concurret cum motivo minus probabili de illicito; quia opinio asserens rem esse illicitam, maius fundamentum præstat ad timendum, ne forte sit illicita, quam præstat opinio asserens rem esse licitam ratione fallibilitatis practicæ fundamenti, cui innititur.

144 Tertio impugnatur solutio; assensus opinativus non excludit prudentem dubitationem de eo, quod res est, vel non est absolute in se: ergo non excludit prudentem formidinem. Probatur ant. motivum probabile, licet sit sufficiens ad prudenter dubitandum an res sit, vel non sit absolute licita in se, non tamen est sufficiens motivum ad resolvendum absolute tale dubium, sed solum cum restrictione, & quoad videri; ut vidimus ex D. Tho. §. præc. ergo qui probabiliter assentitur alicui opinioni, semper manet dubius: ergo assensus opinativus non excludit prudentem dubitationem quoad esse, sed solum quoad videri.

145 Quarto: nam falsum omnino est, quod qui timet fundatus in opinione minus probabili, non habeat actum, quo dicat, vel exercitè, vel signatè, fortasse Deum, offendam, si egero hanc actionem. Qui enim timet in vi opinionis minus probabilis, non timet, quod sit possibile Deum offendere, nam de hoc est omnino certus; sed videns, motivum ad iudicandum, actionem non esse malam, esse practicè fallibilem, quia aliquoties fallit, etsi raro; & simul videns opinionem minus

probabilem afferentem, talem actionem esse malam, timet, ne fortè sit mala, & Deum in ea offendat, quem timorem explicat, dicendo, timeo ne fortè Deum offendam in hac actione, vt ipse Illustriss. Palanco dicit nu. 84. ergo habet actum, quo dicit, *forte Deum offendam, si hoc egero.* Idem ergo timet, qui timet ex motivo levi, ac qui timet ex motivo gravi, eundèque actum habet, vterque enim timet, ne fortè Deum offendat, in sua actione, & solum differunt ex parte motivi ad concipiendum talem timorem, quia in vno est grave, & in alio leve.

146 Sed age, & demus, quod talis timor sit levis, & per modum scrupuli, hoc dato, & minimè concessio, efficacitèr impugnatur solutio principalis: nemo potest licitè agere id, de quo habet scrupulum, an sit licitum, perseverante, & non deposito scrupulo per iudicium, quod iudicet, sibi esse licitum agere, non obstante tali scrupulo; non potest deponi scrupulus per iudicium probabile de licito: ergo ad licitè operandum non sufficit iudiciū probabile de licito, etsi sit magis probabile. Probatur min. Quandiu homo solùm habet iudicium probabile de licito, conseruat scrupulum de illicito, & eò

magis practicum, quo iudicium probabile de licito fuerit magis reflexum: quia etsi iudicium probabilius non afferat secum iuxta aduersarios dubium de opposito; affert tamen secum timorem leuem, & scrupulum, consequenterque per iudicium probabilius de licito non deponitur scrupulus de illicito: non enim deponitur scrupulus per actum, per quem gignitur, etsi per iudicium probabilius de licito deponitur scrupulus directus de illicito, inducitur per illud scrupulus reflexus de illicito, magisque practicus.

147 Probatur secundò conclusio quo ad primam partem alia ratione: qui tenetur vitare aliquod damnum, tenetur vitare periculum, siue magis, siue minus probabile talis damni; omnes tenemur vitare damnum spirituale animæ, scilicèt, peccatum formale: ergo tenemur vitare periculum, siue magis, siue minus probabile talis damni spiritualis: ergo non est licitum agere cum sola opinione probabiliori de non peccato formali. Hæc secunda conseq. patet ex prima, quia per solā opinionem probabiliorē non vitatur periculū minus probabile. Prima autē conseq. legitimè infertur ex præmissis, ex quibus minor est evidens,

dens, & maior probatur exemplis: quia Minister Sacramenti tenetur vitare nullitatē Sacramēti, tenetur vitare periculum, siue magis, siue minus probabile talis nullitatis: quia Medicus tenetur vitare damnum corporale infirmi, tenetur vitare, si moraliter est illi possibile, periculum siue magis, siue minus probabile talis damni corporalis; & tandem, quia omnes tenemur non inferre nocumentum proximo, tenemur vitare in nostris actionibus periculū, siue magis, siue minus probabile damni proximi: idèd; venatori illicitū est mittere sagitam ad interficiendū id, quod probabilius iudicat, esse feram, est tamen ei minus probabile, esse hominem: ergo qui tenetur vitare aliquod damnum, tenetur vitare periculum siue magis, siue minus probabile talis damni. Nescio certe, quæ disparitas possit dari inter obligationem vitandi damnum corporale, & damnum spirituale, vt non possimus nos exponere periculo minus probabili damni corporalis, & possimus nos exponere periculo minus probabili damni spiritualis animæ, quod si incurritur, homo destituitur gratia sanctificante, sit Dei inimicus, manetque sub Diaboli potestate, ad penam æternam damnatus.

Alijs terminis explicatur eadem ratio: qui tenetur vitare aliquod damnum, tenetur vitare periculum talis damni, proximum, prudens, dignumque, vt timeatur; periculum minus probabile est periculum proximum, prudens, dignumque vt caveatur: ergo qui tenetur vitare aliquod damnum, tenetur vitare periculum minus probabile talis damni. Prob. min. si periculum minus probabile non esset periculum proximum, prudens, dignumque vt caveatur, sed imprudens, remotum, nullum, improbabile, dignumq; contēptu; ex natura rei non teneretur Minister Sacramenti in conficiendis sacramentis illud vitare, nec Medicus in curatione infirmi; nec omnes in vitando damno corporali proximi, vel proprij. Nō enim tenemur vitare ex natura rei periculū remotum, imprudens, nullum, improbabile, & quod ex natura sua non petit caveri; sed potius est dignum contemptu: quomodo namque tenebimur ex natura rei vitare, & cavere periculum, quod ex natura rei est dignum vt non caveatur, sed contemnatur à viro prudenti? Etsi in re minoris momenti, vt est salus corporalis, tenemur vitare periculum minus probabile, quo pacto volunt nos liberare

Probabilioris ab obligatione illud cavendi in re tanti momenti, ut est salus spiritualis animæ? qua via? qua conscientia?

148 Tercio probatur eadē pars conclusionis ratione, non minus efficaci, quam brevi: Non est licitum sequi opinionem de licito, & contra legem, quæ si est falsa, non excusat fractionem materialem legis à peccato formali; huiusmodi est opinio probabilior de licito operationis hic, & nunc: ergo illicitum est agere cum sola opinione probabiliori de licito operationis hic, & nunc. Conseq. est leg. mai. certissima, & insuper probatur breviter: opinio de licito, & contra legem, quæ, si est falsa, non excusat fractionem materialem legis à peccato formali, non importat ignorantiam invincibilem legis, sed vincibilem, si enim importaret ignorantiam invincibilem, infallibiliter excusaret; sed illicitum est agere cum ignorantia vincibili: ergo illicitum est agere cum opinione de licito, & contra legem, quæ si est falsa, non excusat à peccato formali fractionem materialem legis. Sic probata mai. prob. min. opinio probabilior de licito operationis hic, & nunc, affert periculum minus probabile peccati

formalis: ergo si est falsa, non excusat fractionem materialem legis à peccato formali. Ant. conceditur ab Adversarijs, & conseq. probatur, si est falsa opinio probabilior, inciditur in periculum minus probabile, quod secum affert, quia si est falsa, opinio, quæ erat minus probabilis, est re ipsa vera; periculum erat peccati formalis: ergo inciditur in peccatum formale, & consequenter non excusat operationem ipsa regulatam à peccato formali.

§. VI.

Secunda pars conclusionis triplici ratione muritur.

149 **P**robatur primò conclusio quoad secundam partem hac ratione: illicitum est agere sine prima regula proxima operationis; qui operatur cum solo iudicio fallibili de licito, operatur sine prima regula proxima operationis: ergo illicitum est agere cum solo iudicio fallibili de licito. Conseq. est leg. mai. certa: quia qui operatur sine prima regula operationis, operatur absolutè sine regula: regula namque secunda sine prima consistere nequit, nec habet vim regu-

regulandi nisi in virtute primæ, & cum subordinatione ad illam. Et min. probatur: nullum iudicium fallibile potest habere rationem primæ regulæ proximæ actus humani: ergo Prob. ant. omne iudicium fallibile est regulabile per regulam proximam, scilicet, per dictamen rationis: ergo nullum iudicium fallibile potest habere rationem primæ regulæ proximæ actus humani. Conseq. patet, quia regula regulabilis, in eo sensu, in quo est regulabilis, nequit habere rationem primæ regulæ. Et ant. Prob. omne iudicium fallibile est liberum in se libertate contradictionis; omnis actus liber est regulabilis per regulam rationis: ergo omne iudicium fallibile est regulabile regula rationis. Conseq. est leg. mai. certa apud omnes, & min. non minori certitudine gaudet: quia omnis actus liber circa licitum hic, & nunc debet regulari per rationem, ut rectè fiat.

Explicatur hoc ipsum amplius: omne iudicium fallibile, cum liberum sit, debet regulari per rationem, elicique iuxta dictamen prudentiæ: vel ergo, qui elicit assensum fallibilem, illum regulat per dictamen rationis, vel non? Si non, peccat, quia non elicit illum eo modo, quo debet. Si regu-

lat; vel illud dictamen regulans est iudicium infallibile, vel solum fallibile? Si infallibile, habeo intentum; si fallibile, etiam indigebit hoc iudicium regulari per dictamen rationis, ut verè, & debite fiat. . . Quare vel dandus est processus in infinitum, vel semper requiritur, ut quis non peccet, quod nitatur, in aliquo dictamine de licito infallibili, quo ita regulet, ut regulari non indigeat.

150 Probatur secundò eadē pars conclusionis: illicitum est agere cum dubio de licito hic, & nunc; qui agit cum solo iudicio fallibili de non peccato formali, agit cum dubio de licito hic, & nunc: ergo illicitum est agere cum solo iudicio fallibili de non peccato formali. Prob. min. dubium est, an sit licitum agere cum solo iudicio fallibili de non peccato formali: ergo qui agit cum solo iudicio fallibili de non peccato formali, agit cum dubio de licito hic, & nunc conseq. est legitima, & ant. est certum, cum de eo dubitent sapientissimi.

Dices, te iam resolvere dubium per iudicium reflexum, quo probabilius iudicas, tibi esse licitum agere cum solo iudicio fallibili de non peccato formali, seu non dari legem hoc prohibentem.

Sed

Sed contra: hoc iudicium de licito est fallibile; dubium est, an sit licitum agere cum solo iudicio fallibili de licito: ergo dubium est an sit licitum agere cum tali iudicio reflexo fallibili de licito, seu contra legem reflexam. Tum etiã: qui agit cum solo illo iudicio probabiliori reflexo de licito, seu contra legem reflexã, agit sine aliquo iudicio infallibili de non peccato formali; dubium prudens est inter Doctores, an sit licitum agere sine aliquo iudicio infallibili de licito hic, & nunc: ergo qui agit sine aliquo iudicio infallibili de licito, agit cum dubio prudenti de licito: & licet resolvat hoc dubium, si illud non resolvit per iudicium infallibile, illud resolvit per iudicium afferens simile dubium, quia de hoc iudicio fallibili de licito, & contra legem est idem dubium: quare vel deveniendum est ad aliquod iudicium infallibile de licito hic, & nunc, vel operandum est semper cum dubio prudenti de licito, quod apud omnes est illicitum.

151 Probatur 3. eadem pars conclusionis: illicitè elicit aliquã actionem, qui se exponit alicui periculo peccandi formalitèr in ipsa actione; qui elicit aliquam actionem cum solo iudicio fallibili de

eo, quod non peccat formalitèr in ipsa actione, se exponit alicui periculo peccandi formalitèr in tali actione: ergo illicitè elicit aliquam actionem, qui illam elicit cum solo iudicio fallibili de eo, quod non peccat formalitèr in illius elicentia: consequens est leg. min. certa, quia iudicium fallibile de non peccato formali potest esse falsum; etsi est falsum, quod actio non est peccaminosa formalitèr, erit formalitèr peccaminosa. Quare sicut qui iudicat fallibiliter, se exponit alicui periculo falsitatis, sic, qui operatur cum solo iudicio fallibili de non peccato formali se exponit alicui periculo peccandi formalitèr; & prob. mai. qui elicit aliquã actionem licitè, seu ille, cui est licitum elicere aliquam actionem, in illis circumstantiis, in quibus illi est licitum, nulli periculo se exponit sive proximo, sive remoto, peccandi formalitèr in elicentia talis actionis: ergo illicitè elicit aliquam actionem, qui se exponit alicui periculo peccandi formalitèr in elicentia talis actionis. Probat. ant. qui elicit aliquam actionem licitè, seu qui elicit aliquam actionem in illis circumstantiis, in quibus ipsi est licitum illam elicere, implicatorium est, quod peccet formalitèr illam elicendo: ergo

go

ergo qui elicit licitè aliquam actionem, seu ille, cui est licitum elicere aliquam actionem, in illis circumstantiis, in quibus ipsi est licitum, nulli periculo peccandi formalitèr se exponit in illius elicentia. Consequens patet: quia non adest aliquod periculũ peccandi, ubi deficit possibilitas peccandi, & ant. est per se notum, quia implicatorium est, quod quis elicendo actionem peccet formalitèr in illis circumstantiis, in quibus est licitum, & non peccaminosum illam elicere, alias elicentia talis actionis sub eisdem omnino circumstantiis posset esset eidem simul licita, & formalitèr illicita. His rationibus addi poterat alia: nam illicitum est agere sine dictamine prudentiæ, dictamen prudentiæ est omnino infallibile; quia prudentiæ nequit sub esse falsum ut constat ex dictis art. præc. ergo illicitum est agere sine iudicio infallibili de licito.

§. VII.

Triplici alia efficacissima ratione eadem conclusio fulcitur.

152 **P**robatur quartò conclusio: si ad licitè elicendam aliquam

actionem sufficeret iudicium fallibile de eo, quod non est peccatum formale illam elicere hic, & inspectis omnibus circumstantiis, sequeretur, quod non daretur dictamen conscientiæ erroneæ excusans à peccato formali actionem per illud regulatam, & consequenter, vel quod omnis conscientia erronea est vincibilis, vel quod conscientia erronea non excusat à peccato, etsi sit invincibilis; totum hoc est intolerabile absurdum: ergo sententia contrariorum, ex qua sequitur est falsa. Probatur mai. semper ac dictamen fallibile dictans, non esse peccatum formale elicere aliquã actionem inspectis omnibus circumstantiis, est falsum, est peccatũ formale elicere talem actionem, quia est falsum, quod ipsum dictat, & ipsum dictat, quod non est peccatum formale, semper ac dictamen fallibile est falsum, est iuxta adversarios dictamen conscientiæ erroneæ, & solum est dictamen conscientiæ erroneæ, quando est falsum: ergo si quando dictamen fallibile de eo, quod non est peccatum formale elicere hic, & nunc aliquam actionem, est falsum, est dictamen conscientiæ erroneæ, & solum est dictamen conscientiæ erroneæ, quando est falsum, semper ac dictamen

Dd

falli-

fallibile dictans non esse peccatum formale hic, & nunc elicere aliquam actionem, est dictamen conscientiae erroneae, est peccatum formale elicere talem actionem: ergo conscientia erronea nunquam excusat à peccato formali: ergo vel non datur conscientia erronea invincibilis, (saltem quando quis sequitur opinionem, etsi probabilior contra legem) vel conscientia erronea non excusat à peccato operantem cum illa, etiamsi invincibilis sit.

153 Probatur quintò conclusio: non est licitum agere sine regula tuta; iudicium fallibile de eo, quod hic, & nunc non est peccatum formale elicere aliquam actionem, non est regula tuta: ergo non est licitum agere cum solo iudicio fallibili de non peccato formali. Probatur min. non est regula tuta, illa, quam quis sequens, potest peccare formaliter; eliciendo actionem cum solo iudicio fallibili de eo, quod non est peccatum formale illam elicere, potest quis peccare formaliter: quia tale iudicium potest esse falsum, etsi est falsum, re ipsa est peccatum formale elicere talem actionem: ergo.

Adhanc rationem respondent adversarij, quod licet tale iudicium non sit regula metaphisicè tuta, est

tamen moraliter tuta, quia affert secum moralem certitudinem de eo, quod non est peccatum formale elicere actionem inspectis omnibus circumstantijs.

Sed hæc solutio facile impugnatur: quia vel regula habet quid quid requiritur, ut actio per illam regulata non sit formaliter peccaminosa, vel non habet? Si habet, implicatorium est, quod actio per illam omnino regulata evadat formaliter peccaminosa, eritque proinde talis regula metaphisicè tuta. Si autem regula non habet quid quid requiritur, ut actio per illam regulata, non sit formaliter peccaminosa, talis regula nullo modo est tuta; eritque proinde peccatum formale cum illa operari: quia illicitum, & formaliter peccaminosum est elicere aliquam actionem sine omni eo, quod requiritur, ut talis actio non sit peccatum formale: nam quolibet deficiente, ut actio non sit peccatum formale, actio evadit mala formaliter; iuxta illud tritum axioma *bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*: ergo vel regula nostrarum actionum est metaphisicè tuta vel nullo modo est tuta.

Explicatur hoc amplius: vel ad hoc ut regula moraliter certa libe-

liberet actionem per illam regulatam à peccato formali, requiritur, quod re ipsa sit vera; vel liberat actionem per illam regulatam à peccato formali, hoc ipso quod sit moraliter certa, sive in se sit vera, sive non? Si hoc secundum dicant, prorsus falluntur: quia quando talis regula est falsa, est falsum, quod ipsa affirmat, & ipsa affirmat, quod non est peccatum formale elicere talem actionem. Insuper, quia si talis regula excusat à peccato actionem per illam regulatam, sit, vel non sit re ipsa falsa, nulli periculo, sive proximo, sive remoto peccandi formaliter se exponit, qui operatur, ut ipsa præscribit: quia in omni eventu liberatur à peccato formali actio per illam regulata. Si autem dicant primum: ergo talis regula solum liberat à peccato actionem per illam regulatam, quando re ipsa est vera. Quando regula re ipsa est vera, est iuxta omnes regula recta: ergo dictamen conscientie solum liberat à peccato, quando est rectum: ergo non datur dictamen conscientiae erroneae, quod à peccato excuset: ergo vel non datur conscientia erronea invincibilis, vel conscientia erronea non excusat à peccato, etiamsi error invincibilis sit.

154 Probatur tandem eadem conculsio hac brevi ratione: qui elicit aliquam actionem cum solo iudicio fallibili de eo, quod non est peccatum formale illam elicere, potest peccare formaliter illam eliciendo in omnium sententia, quia iudicium fallibile de non peccato formali affert periculum saltem remotum peccandi formaliter, potest enim esse falsum hoc ipso, quod fallibile sit, & si est falsum, re ipsa est peccatum formale elicere talem actionem. Sed peccare formaliter est agere contra conscientiam, vel saltem sine dictamine conscientiae: ergo si actus omnino regulatus per dictamen fallibile, & quin sit aliquo modo contra tale dictamen, potest esse peccatum formale, potest esse contra dictamen conscientiae, quin sit aliquo modo contra tale dictamen fallibile: ergo dictamen conscientiae non consistit in eo dictamine fallibili.

§. VIII.

Occurritur argumentis sententiae contrariae.

155 **C**ontra nostras conclusiones sentiunt omnes Probabilioristae.

ristæ. Et contra omnes arguunt ex D. Tho. 2. 2. q. 70. ar. 2. ubi sic ait: *Dicendum, quod secundum Philosophum certitudo non est querenda similiter in omnibus materijs, in actionibus enim humanis super quibus constitutuntur iudicia, & exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia, & variabilia: & ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in plurimum veritatem attingat, etsi in paucioribus à veritate deficiat.* Sentit ergo D. Tho. quod circa contingentia circa quæ versantur actus humani, non potest dari certitudo infallibilis, & quod sufficit ad licitè operandum certitudo probabilis.

Ad hoc argumētum dicimus, mentem D. Tho. esse, quod ad hoc, ut quis formet dictamen conscientie de eo, quod licitè operatur, sufficit certitudo fallibilis, de re pro ut est in se, quæ est certitudo directa; non verò mens illius est, quod in ipso iudicio fallibili directo consistat dictamen conscientie. Loquitur enim D. Tho. de actibus humanis, super quibus constitutuntur iudicia, & exiguntur testimonia, & asserit, quod ut quis possit licitè iudicare de talibus actibus, non requiritur habere de illis certitudinem infalli-

bilem, sed sufficit habere certitudinem probabilem, quæ est certitudo cum addito; non verò afferit, quod ad licitè iudicandum de illis actibus, de quorum veritate solum habetur certitudo fallibilis, non requiritur certitudo infallibilis de eo, quod hic, & nunc est conveniens de talibus actibus hoc, aut illo modo iudicari.

156 Arguitur secundò contra primam conclusionem non potest quis habere certitudinem infallibilem de honestate formalis suæ operationis, quin habeat certitudinem infallibilem de requisitis essentialiter ad honestè formaliter operandum, impossibile est, aut ferè impossibile habere certitudinem infallibilem de requisitis ad honestè formaliter operandum: ergo non potest quis habere certitudinem infallibilem de honestate formalis suæ operationis: Probat-ur min. ad honestè formaliter operandum requiritur operari ex honesto fine, desideratur in super debita circumstantiarum consideratio, exactaque diligentia ad sciendum, an opus sit verè honestum, vel inhonestum, sed ferè impossibile est puro homini evidētè certificari de eo, quod in nullo ex his defecerit: ergo ferè impossibile est puro homini obtinere certitudinem

dinem infallibilem de requisitis ad honestè formaliter operandum.

Ad hoc arg. resp. disting. min. ferè impossibile est habere evidētiam de requisitis ad honestè formaliter operandum negativè, nego min. de requisitis ad honestè formaliter operandum positivè, subdistingo min. de requisitis absolute concedo min. de requisitis probabiliter, & certitudine fallibili nego min. & consequenter. Quia operatio dupliciter dici potest formaliter honesta, negativè, scilicet, & positivè, dicitur negativè honesta, quæ non est peccaminosa dicitur honesta positivè, quæ evadit iuxta regulas prudentiæ. Ut operatio evadat negativè honesta, sufficit, quod quis faciat ad illam eliciendam id, quod hic, & nunc iudicat debere facere: quia hoc ipso, quod faciat operationem conformitèr ad dictamen dictans, esse conveniens hic, & nunc illam facere, talis operatio evadet ad minus negativè honesta. Ad hoc autem, ut operatio evadat positivè honesta, requiritur, quod re ipsa evadat iuxta regulas prudentiæ, & consequenter, quod dictamen dictans convenientiam efficiendi actionem, sit à prudentia elicitum: de quo vis vllus erit, qui possit evidētè certificari, & consequenter

de eo, quod sua operatio, dato, quod elicitur sit, aut eliciatur iuxta tale dictamen, sit positivè honesta.

Quæ ut melius percipiantur, & omnis æquivocatio vitetur, est notandum: quod circa operationem eliciendam duplex dubium excitari potest primum est, an sit conveniens hic, & nunc talem operationem elicere? Secundum est, an talis operatio, hoc ipso, quod hic, & nunc sit conveniens, & eliciatur omnino conformitèr dictamini practico rationis, sit positivè honesta, vel tantum negativè? Et an sit honesta honestate istius, vel illius speciei; naturali, vel supernaturali. Primum dubium est practicum. Secundum speculativum: huius resolutio vix haberi potest infallitèr, & sive resolvatur, sive non resolvatur; sive resolvatur fallitèr, sive infallitèr, nihil facit ad licitè operandum, & ut operatio evadat positivè honesta, hac, vel illa honestate. At resolutio illius dubij practici potest, & necessario haberi debet infallitèr ad licitè, & sine peccato operandum. Quare ex eo, quod quis non possit evidētè certificari de eo, quod sua operatio erit positivè honesta, hoc ipso, quod evadat omnino conformis dicta-

mini suæ conscientiæ ineptè infertur, non posse certificari infallibilitèr de convenientia operationis hic, & nunc; cum vna certitudo sit valdè diversa ab alia, nullam inter se servantes connexionem. Vide dicta in principio huius art.

157 Arguitur tertio cū Illustriss. Palanco q. 33. nu. 23. specialiter contra Probabilistas: nam dato, quod certitudo omnino infallibilis fundari possit supra opinionem probabiliorē; non tamē supra opinionem æquē, aut minus probabilem de licito: vnde namque poterit operans contra legem cum opinione æquē, aut minus probabili, certificari evidenter de eo, quod rectè, & formalitèr honestè operetur, cum tunc sit omnino incertum, an opus, quod eligitur, sit re ipsa contra legem Dei? Quin potius certissimū est, quod tunc imprudentèr, & temerè præcedit, cum sic operans operetur, siue res in se sit mala, siue non: ergo certitudo reflexa infallibilis fundari nequit supra opinionem æquē, aut minus probabilem de licito.

Ad hoc arg. resp. quod licet certitudo infallibilis reflexa fundari nequeat immediatè supra opinionem directam æquē, aut minus probabilem contra legem; Proba-

bilistæ tamen optimè possunt illam fundare, & de facto fundant mediatè, & iudicando prius probabilius, licitum esse agere cum opinione æque aut minus probabili contra legem. Et ratio est manifesta: quia opinio asserens esse licitum sequi opinionem æque, aut minus probabilem contra legem, est Probabilistis probabilior; apud omnes est certum, esse licitum sequi opinionem probabiliorē: ergo apud omnes est certum, esse licitum Probabilistis sequi opinionem asserentem, esse licitum agere cum opinione æque, aut minus probabili contra legem: sed est infallibile, quod est licitum, quod in omnium sententia est licitum: ergo si in omnium sententia est licitū Probabilistis, sequi opinionem asserentem, licitum esse agere cum opinione æque, aut minus probabili contra legem infallibile est, quod possunt talem opinionem amplecti; consequenterque potest fundari mediate iudicium reflexum infallibile supra opinionem æque, aut minus probabilem contra legem. Et licet istæ: reflexiones non ab omnibus, aut semper fiant signate; fiunt tamen, & debent fieri ab omni rationis cōpote exercite, vt bene vidit eximius Suarez. Et si quis se acingat ad operan-

randum sine tali iudicio reflexo infallibili, peccabit.

158 Aliter duplici argumento præcedenti respondetur: quod licet non posset quis se certificare signatè, & speculativè, infallibilitèr de requisitis ad non peccandū formalitèr; potest tamen se certificare infallibilitèr, practicè, & exercitè, & de facto semper ac quis non peccat formalitèr, operando, prius se certificat infallibilitèr, practicè, & exercitè, de requisitis ad non peccandum formalitèr, vt nostræ rationes convincunt. Si autem quis postea velit reflectere supra se ipsum, & cognoscere signate, an habuerit talem cognitionem infallibilem, vel in vi cuius principij illam habuerit, hoc non cognoscet infallibilitèr, sed tantū fallibilitèr. Habemus adhuc declarandum optimum exemplum: nam pueri pervenientes ad usum rationis practicæ, & exercite cognoscunt obligationem se convertendi in Deum in illo instanti: nec huic cognitioni obstare possent rationes probabiles sententiæ contrariæ, si illis in illo instanti occurrent, quod non negant adversarij, & nihilominus, si quis transfacto illo instanti velit reflectere supra se ipsum, & cognoscere signate, an detur tale præceptum,

vel an habuerit de illo notitiam evidentè, non poterit hoc cognoscere evidenter, sed tantum probabiliter, & eadem principia, quæ in illo primo instanti practicæ, & exercite repræsentantur infallibilia, postea etiam vitis doctissimis solum apparent probabilia; habent que proinde ignorantiam invincibilem talis præcepti. Sic similiter in nostro casu, & propter eandem rationem. Videantur N. Sap. Patres Salmant. tract. 13. disp. 20. à nu. 20. & nu. 44.

159 Arguitur quartò cōtra 2. conclusionem: nos, vt potè homines fallibiles, semper debemus cum timore, & tremore nostram salutem operari iuxta illud Pauli ad Philip. cap. 2. cum metu, & tremore vestram salutem operamini. Et iuxta illud Psal. Servite Domino in timore: cum timore, scilicet, & tremore, ne offendatur Deus, aut ne ei displiceamus in eo, quod facimus; sed hic timor aufertur, si ponatur illa certitudo, & securitas, quæ omnem prorsus formidinem peccati excludit: ergo aufertur debitus modus operandi nostram salutem, & serviendi Deo, nimirum cum timore, & tremore.

Ad hoc argum. omisis alijs solutionibus, respond. negando mi-

nor. in nostra namque sententia non excluditur omnis timor peccandi, sed solum timor antecedens, & se tenens ex parte dictaminis regulantis; cum qua infallibilitate componitur, quod quis dum actu operatur, timeat, ne fortè sua actio non evadat conformis dictamini infallibili, quod habet, & consequenter sit peccaminosa: quod est operari nostram salutem cum timore, & tremore.

160 Pro cuius clariori intelligentia est advertendum, quod datur duplex timor, alius antecedens, & se tenens ex parte regulæ: alius consequens ipsam regulam. Timor antecedens, & se tenens ex parte regulæ, est timor ne fortè hic, & nunc non sit licita, & conveniens operatio, sicut regula, aut iudicium suadet. Timor consequens regulam, est timor ne fortè ob nostram fragilitatem, & ob insidias Diaboli non conformemus nos cum regula, vel omittendo absolute, quod conscientia dicit; vel non faciendo illud, quod conscientia dicit omnino conformiter ad illam. Quia cum adhuc supposito dictamine conscientie sit in nostra manu, illud sequi, & non sequi; nec habere possimus iudicium infallibile de eo, quod illud omnino sequemur, aut sequuti

fuerimus, semper de hoc debemus vivere timidi. Quando autem D. Paulus commendat nobis operari cum timore, commendat nobis operari cum hoc timore consequenti: non verò cum illo timore antecedenti, & se tenente ex parte regulæ, aut dictaminis: quia regula afferens secum talem timorem de illicito, est ambigua, & nefas est, nostras actiones regulæ ambiguae committere. Quod autem D. Paulus non commendat nobis hunc timorem antecedentem, constat ex doctrina adversariorum: quia apud illos timor antecedens, & quem affert secum opinio probabilior, est timor imprudens, contemnendus, & quem debemus depellere ad licitè operandum; nõ commendat nobis D. Paulus timorem imprudentem, & contemnendum: ergo non commendat nobis timorem antecedentem.

161 Nec dictamen reflexum infallibile aufert ab hominibus, ut vult Illustriss. Palanco debitam sollicitudinem inquirendi legem directam; cum tale dictamen semper supponat factam debitam diligentiam pro inquirenda vera lege Dei tam directa, quam reflexa.


Ex quibus omnibus colligitur, neminem posse infallibiliter certificari

ficari de eo, quod honestè formaliter operabitur, aut operetur, & minus de eo, quod sua actio evadet, aut evasit honesta positivè honestate supernaturali. Tum, quia vix erit aliquis, qui possit evidentè certificari de eo, quod suum dictamen regulans sit supernaturale elicitum viribus gratiæ. Tum etiam: quia non potest evidentè certificari de eo, quod sua actio evadet, aut evasit omnino conformiter ad dictamen conscientie, cum difficillimum sit, motus internos, affectionesque dis-

cernere. Tum denique: quia dato, quod actio evadat omnino conformiter ad dictamen conscientie; sicut non potest evidentè certificari de eo, quod suum dictamen sit elicitum à prudentia, & minus, quod sit elicitum à prudentia supernaturali; sic nec potest certificari de eo, quod actio conformis tali dictamini, sit elicitata ab aliqua virtute, & minus, quod sit elicitata ab aliqua virtute supernaturali.

* * *





Q V Æ S T I O II.

DE DV B I O R I G O R O S E T A L I .

A R T I C . I .

In quò consistat Dubium rigorosum?

§. Vnicus.

Explicatur natura Dubij.

Dubium, aliud est negativum, aliud positivum. Dubium negativum tunc datur, quando circa difficultatem propositam nulla occurrit ratio pro aliqua contradictionis parte; ut contingit circa hanc difficultatem: *An astra sint paria.* Dubium positivum sic definitur à D. Tho. in 3. sentent. dist. 17, quæst. vni. art. 4. *est motus rationis supra utramque partem contradictionis cum formidine determinandi alteram.* Dicitur motus rationis, quia per dubium incipit intellectus moveri ad inquirendam veritatem, conferendo rationes, quæ ad sunt pro utraque parte contradictionis. Dicitur cum

formidine determinandi alteram: quia ob rationes, quæ pro utraque parte militant, se mutuo destruentes ex parte rei affirmatæ, & negatæ, non audet intellectus aliquam determinare. Quare per dubium positivum, & movetur intellectus, & ligatur; movetur ad invenendam veritatem, examinando motiva, quæ utrique parti favent; & ligatur, quia quandiu dubitat, non potest ad resolutionem procedere; sed hæret anceps inter utrumque extremum.

2. Hoc dubium positivum dividitur in dubium rigorosè tale, & in dubium probabile. Dubium rigorosè tale circa aliquod obiectum importat suspensionem intellectus ab omni actu, tam cer-

to, quam probabili circa tale obiectum; seu importat suspensionem intellectus tam circa veritatem, quam circa veram verisimilitudinem obiecti: ob quod hoc dubium appellari etiam solet negativum. Dubium probabile, est dubium circa veritatem realem obiecti, non verò circa veram verisimilitudinem illius: qui enim dubitat probabiliter, ita dubitat de veritate obiecti reali, quòd iam resolvit dubium circa veram probabilitatem illius: nam opinans ita resolvit dubium circa verisimilitudinem obiecti, quod semper est dubius de illius veritate reali; ut docet D. Thomas quæst. 12. de verit. art. 1. in corp. his verbis: *Vnde accipit quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposita, & hæc est dispositio opinantis.* Idem docet 2. 2. quæst. 1. art. 4. his verbis: *Et si quidem hoc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis erit opinio.* Dubium rigorosè tale dividitur in dubium leve, & in dubium grave. Dubium leve est, quod levi nititur fundamento. Dubium grave, quod gravi fulcitur motivo.

3 Sed contra hoc obijcies: nam quando adest pro aliqua parte fundamentum grave, iam adest probabilitas; quando adest proba-

bilitas, non datur dubium rigorosum, sed dubium probabile: ergo quando adest fundamentum grave, non datur dubium rigorosum; falsumque proinde est, dari dubium rigorosum gravi nixum motivo.

Adhanc objectionem respondetur, quod fundamentum grave, acutum, valdeque torquens intellectum, potest considerari, quando primò occurrit, & antequam examinetur, an eius gravitas, & subtilitas sit solida, & vera, vel potius innanis, & sophistica. Vel potest considerari, posteaquam intellectus examinavit, talem rationem esse verè gravem, & solidam; quando fundamentum primò occurrit graviter mordens, & irritans intellectum, antequam eius gravitas examinetur, facit intellectum graviter dubitare rigorosè.

At postea quam inventum est verè grave, iam intellectus desinit rigorosè dubitare, & incipit probabiliter dubitare; dabileque proinde est dubium rigorosè tale cum

gravi fundamento, sive ab auctoritate, sive à ratione.



ART.

ARTIC. II.

Virum, attenda auctoritate, licitum sit agere contra legem invincibiliter dubiam?

§. I.

Statuitur nostra conclusio, & auctoritate D. Tho. & D. Antonini probatur.

4 **D**icendum est, licitum esse, attenda auctoritate, agere contra legem invincibiliter dubiam, esse namque licitum affirmant innumeri Auctores; quos sequentur N. Cursus Moralis tractat. 11. cap. 2. punt. 6. per tot. & N. Curs. Scholast. Salmantic. disp. 20. de peccatis, dub. 2. §. 2. num. 56. & 57. & tom. 2. de pæn. vbi ex eo, quod lex dubia non obligat, probant, non dari obligationem confitendi circumstantias notabiliter agravantes intra eandem speciem. Et probatur primò conclusio ex D. Tho. quodlib. 4. quæst. 8. art. 14. vbi loquens de excommunicatione dubia, in corpore art. sic ait: *respondeo dicendum, quod dubitatio de excommunicatione aliquorum, aut precedit sententiam iudicium,*

aut sequitur. Si precedit, putà cum non dum est declaratum per iudicium consensum, aliquos esse excommunicatos, non sunt vitandi, quousque certo determinetur. In hoc enim casu certum est, quod in mitiorem partem debemus interpretari. Sed si ambiguum oriatur post concordem iudicium determinationem, magis standum est sententia iudicium: ergo iuxta D. Tho. in dubio de excommunicatione præcedente concordem iudicium sententiam dubium interpretandum est in mitiorem partem, iudicando, eos non esse excommunicatos, consequenterque non esse privandos communicatione fidelium: ergo iuxta D. Tho. excommunicatio dubia, ut dubia, non habet veram vim excommunicationis, alias in dubio de excommunicatione deberemus iudicare hominem esse verè ligatum excommunicatione: ergo iuxta D. Tho. dubium invincibile excommunicationis affert secum ignorantiam excusantem ab excommunicatione: ergo iuxta D. Tho. agere cum dubio de excommunicatione non est agere cum conscientia dubia: ergo iuxta D. Tho. licet excommunicatio sit dubia, non est dubium, sed certum, licitum esse agere contra talem excommunicationem, consequenter-

Gg

que

que dubium directum non affert secum simile dubium reflexum, sed potest fundari certitudo de non obligatione excommunicationis supra dubium de excommunicatione: sed excommunicatio nihil aliud est quam quædam lex Ecclesiastica privans hominem fidelem omni Ecclesiastica communicatione: ergo si in dubio de excommunicatione debemus iuxta D. Tho. interpretari in mitiorem partem, iudicando, hominem non esse verè ligatum excommunicatione, in dubio de lege debemus interpretari in mitiorem partem, iudicando, hominem in tali casu non esse ligatum tali lege.

Explicatur hoc amplius: Nam sicut antecederet ad dubium de lege prohibente aliquam actionem, homo erat in possessione suæ libertatis moralis ad exequendam talem actionem, & per dubium de lege talis possessio redditur dubia; sic antecederet ad dubium de excommunicatione homo erat in possessione suæ libertatis moralis ad communicandum cum fidelibus, & per dubium de excommunicatione talis possessio fit dubia, & nihilo minus, quod possessio fiat dubia, est certum iuxta D. Tho. quod perseverat in sua possessione morali ad communicandum in sensu

composito dubij: ergo similiter etsi possessio libertatis moralis ad exequendam aliquam actionem reddatur dubia per dubium de lege, non est dubium, sed certum, quod homo possidet semper suam libertatem ad exequendam illam actionem pro casu dubij: recedunt ergo per omnia adversarij à D. Tho. non solum non interpretando dubia circa leges in mitiorem partem, sed asserendo, in rigidiorum partem debere fieri interpretationem. D. Thomas dicit in dubio debere fieri interpretationem in favorem legis permittentis, seu in favorem libertatis, & contra legem prohibentem, aut præcipientem; at adversarij contendunt, debere fieri interpretationem in favorem legis præcipientis, aut prohibentis, & contra legem permittentem, seu contra libertatem.

Dices fortasè, D. Thomam in dicto arti. loqui de dubio probabili, non de dubio rigoroso, consequenterque malè inferri ex verbis D. Tho. licitum esse agere contra legem rigorosè dubiã. Ad hoc respondetur D. Tho. loqui, quando circa excommunicationem dantur variae opiniones, sive illæ opiniones sint æquales in probabilitate, sive vna alteram excedat: universaliter namq; & sine distinctione

tione loquitur. Quare cum iuxta adversarios, quando opiniones inter se oppositæ sunt æqualis probabilitatis, detur dubium rigorosum, loquitur etiam D. Tho. iuxta principia adversariorum de dubio rigoroso.

5 Probatur 2. conclusio ex D. Antonino in sūma, prima parte, lib. 3. cap. 12. reg. 7. vbi sic ait: *inter duram, & benignam circa præcepta sententiam, benigna est potius ceteris paribus interpretatio facienda. Quod etiam asserit Guillelmus. Huius ratio est: quia præcepta Dei, & Ecclesie non sunt ad tollendam omnem spiritualem dulcedinem, qualis certè tollitur, quando nimis scrupulosè, & timidè præcepta interpretantur. Sed quando adest rigorosum dubium de licito, vel illicito, non adest maior ratio pro licito, quam pro illicito, seu pro lege directa prohibente, quam pro lege directa permittente, sed omnia sunt paria: ergo tunc iuxta regulam D. Ant. benignior est interpretatio facienda, & consequenter iudicandum est, rem esse licitam. Et insuper eodem loco, post quam docet, licitum esse agere cum opinione probabili, præcipuè tradit, licitum esse agere contra legem, quando quis adhibet diligentiam, inquirendo,*

an liceat, nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad hoc, quod sit illicitum. Ergo iuxta D. Anto. non solum est licitum agere contra legem, quando quis probabilius iudicat rem esse licitam; sed etiam quando etsi non iudicet probabilius rem esse licitam, non tamen invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad iudicandū, rem esse illicitam, qui est casus dubij rigorosi.

§. II.

Ex quadam regula iuris prob. conclusio.

6 **P**robatur insuper conclusio ex reg. 65. de regulis iuris in sexto: *in dubijs melior est conditio possidentis: sed in dubio legis homo possidet suam libertatem: ergo in dubio legis melior est conditio hominis, quam legis; & consequenter licitum est agere contra legem.*

Ad hanc rationem respondebis primo ex Illustriss. Palam. nu. 11. quod dicta regula, ut potè regula iuris, data est determinatè ad materiam iustitiæ, cuius proprium obiectum est ius, ac proinde malè extenditur ad materiam conscientiae.

Sed

Sed contra est primò: quia non minus est regula iuris illa: *in dubijs tutior pars est eligenda*: Et nihilominus Illustriss. Palanco illam extendit ad alias materias; immo sentit, quod in materia iustitiæ multoties non obligat, potestque sequi regula à nobis data, cum in alijs materijs ferè semper obliget: ergo ex eo, quod regula nostra sit regula iuris, ineptè infert, non posse extendi ad materiam conscientiae. Secundò, quia ipse Illustriss. Palanco nù. 71. extendit regulam à nobis positam ad materiam fidelitatis, & sic ait, quod si Petrus dubitet, an Ioanni promiserit librum, & post factam debitam diligentiam, adhuc perseverat dubius, potest licite librum apud se retinere, quia illum possidet, & melior est conditio possidentis: ergo hæc regula, non obstante, quod sit regula iuris, extendi potest ad alias materias.

7 Secundo respondebis ex Illustriss. Palanco eodem numero, quod regula proposita tenet, quando est certa possessio, non quando est dubia, ut est possessio libertatis, quando dubitatur, an res sit licita, vel illicita: quia si est illicita, non adest libertas moralis, de qua est sermo, & adest si est licita. Quare dubitare, an actio sit licita, vel

illicita, est dubitare, an homo possideat suam libertatem ad illam exequendam, vel non.

Vt hæc solutio clariùs impugnetur, est notandum primò, quod possessio libertatis, alia est phisica, moralis alia: possessio phisica libertatis, est possessio libertatis ad faciendam, vel omitendam actionem, sive licite, sive illicite. Possessio moralis libertatis, est possessio libertatis ad faciendam, vel omitendam actionem licite. Secundò est notandum, quod sicut datur possessio phisica, & moralis libertatis, etiam datur possessio phisica, & moralis cuiuscumque alterius rei v.g. domus. Possessio phisica, est retentio phisica rei, præscindendo ab eo, quod talis retentio sit licita, vel non. Possessio moralis, est retentio licita rei. Tertio est notandum, quod sicut eo ipso, quod aliquis incipiat dubitare, an res sit licita, vel non, incipit dubitare, an habeat moraliter libertatem, vel non ad illam exequendam; sic etiam hoc ipso, quod aliquis dubitare incipiat, an res, quam possidet, sit aliena, vel sua, incipit dubitare, an illam possideat licite, vel non, trāsfitque ab esse possessorem bonæ fidei ad esse possessorem dubiæ fidei; quia possidere rem alienam est ab intrinseco malum,

&

& prohibitum per illam legem naturalem: *Ne retineas alienum*. Quare qui dubitat, an res, quam possidet, sit sua, vel aliena; ex consequenti dubitat, an sit illicitum illam possidere, vel non. His notatis.

Impugnatur solutio: sicut qui incipit dubitare, an res sit licita, vel illicita, ex ipso incipit dubitare, an possideat libertatem moralem ad illam exequendam, & solum est certus de possessione phisica, sic etiam qui incipit dubitare, an domus, quam bona fide possidet, sit sua, vel aliena, incipit dubitare an illam possideat moraliter, vel non, & solum est certus de possessione phisica; & nihilominus, si post factam debitam diligentiam, adhuc manet anceps, an domus sit aliena, vel non, redditur possessor bonæ fidei, sicut erat ante dubium, potestque talem domum licite apud se retinere, vel vendere, titulo possessionis, ut docent, cōmuniter Theologi, & cum illis R.R. Tyrus dissert. 7. §. 12. ergo non obstante, quod quis dubitet, an res sit licita, vel illicita, seu dubitet, an habeat libertatem moraliter ad illam faciendam, certus de possessione phisica, si post factam diligentiam non potest resolvere dubiū, de possessore du-

biæ fidei libertatis moralis trāsfit ad possessorem bonæ fidei, sicut antea erat, poteritque talem rem licite exequi, sive in re sit licita, sive non; si enim possessio phisica rei, connotando possessionem moralem certam immediate præteritam, est titulus sufficiens, ut in casu dubij invincibilis possit quis licite apud se retinere talem rem; cur possessio phisica libertatis ad faciendam aliquam rem, connotando possessionem moralem certam, habitam antecederet ad dubium, non erit titulus sufficiens, ut quis reddatur possessor bonæ fidei libertatis moralis, sicut antea erat, possitque licite talē rem executioni mandare?

8 Dices in dicto casu, non solvi dubium circa obligationem per possessionē libertatis ab obligatione, sed per possessionem domus; sicut de promissione libri facta Petro resolvitur per possessionem libri.

Sed contra: ergo in dubio possessionis moralis domus, potest solvi dubium per possessionē domus; non per possessionem moralem, quia de hoc est dubium: ergo per possessionem phisicā certam domus, connotando possessionem moralem certam immediate antecederet dubium: ergo in du-

Hh

bio

bio possessionis moralis poterit etiam solvi dubium per possessionem libertatis; non per possessionem moralem, quæ est dubia, sed per possessionem certam physicam libertatis connotando possessionem moralem certam immediate antea habitam.

9 Dices, dari maximam disparitatem inter utramque possessionem, domus, scilicet, & libertatis: nam hominem possidere bona fide domum est ratio satis probabiliter persuadens, talem domum esse suam, cum raro contingat, homines incipere possidere aliquam rem sine debito iure. Quare hæc ratio addita parti possidenti, facit illam meliorem. E contra verò, cum hominem possidere bona fide libertatem ab obligatione, non sit ratio probabiliter persuadens, non dari legem obligantem, non enim est bona consequentia: *Possedi bona fide libertatem ab obligatione, de qua nunc invincibiliter dubito: ergo non datur lex: et si in dubio de possessione morali domus possit resolvi dubium per possessionem, in dubio de possessione morali libertatis non potest solvi dubium per possessionem.*

Sed contra est primò: hominem possidere bona fide libertatem à lege, & legem non invenis-

se post factam debitam diligentiam, est ratio satis probabiliter persuadens, non dari talem legem: ergo solutio est nulla. Probatur antecedens: raro contingit, subditum ignorare legem, quæ habeat veram vim legis, & consequenter sit sufficienter promulgata, adhuc post adhibitam diligentiam debitam ad illam inveniendam: quia lex sufficienter promulgata, quo solum modo habet veram vim legis, per se est, quod sciatur à subditis, & per accidens, quod ignoretur: ergo subditum ignorare legem, adhuc post adhibitam diligentiam ad illam inveniendam, est ratio satis probabiliter suadens, non dari talem legem, & consequenter hæc ratio addita parti possidenti libertatem, reddit illam melioris conditionis.

Secundò impugnatur solutio: quandiu non probatur debitum, possidens possidet, & carens caret; quandiu obligatio est dubia, non probatur debitum: ergo quandiu obligatio est dubia, possidens possidet, & carens caret; consequenter que solvendum est dubium per possessionem, sive possessio probet, sive non; non dari re ipsa, & materialiter, tale debitum.

Tertiò impugnatur solutio: Nemo obligatur in aliquo foro ad

ad faciendam aliquam rem, nisi in illo foro probetur talis obligatio: ergo non potest quis obligari in foro interiori ad aliquid faciendum, nisi in isto foro probetur obligatio illud faciendi. Non probatur obligatio, quandiu lex est dubia, quia quandiu est dubia, est dubium fundamentum obligationis: ergo non potest quis obligari in foro interiori ad aliquid faciendum, quandiu lex est dubia; consequenterque solvendum est practice dubium per possessionem, sive possessio probet, sive non, non dari re ipsa, & directe obligationem. Videatur circa hoc P. Suarez tom. 2. de relig. lib. 4. cap. 5. ubi nostram doctrinam tradit, & efficacissime probat, Probabilismumque ut verum supponit.

Quibus adde, falsum esse in dubio de promissione libri facta Petro, possessionem libri augere probabilitatem de non promissione illius; primò, quia in dubio de promissione rei Deo facta, possessio rei non auget probabilitatem de non promissione: ergo in dubio de promissione rei facta homini, possessio rei non auget probabilitatem de non promissione. Consequentia constat ex evidenti paritate, & antecedens concedi debet ab Adversarijs: quia si in du-

bio de promissione facta Deo, possessio rei auget probabilitatem de non promissione, posset quis in tali dubio non dare Deo talem rem, sed apud se retinere: Licitum namque est iusta adversarios sequi opinionem probabiliorum; sed non potest quis iuxta adversarios in tali dubio rem apud se retinere: ergo in dubio de promissione rei facta Deo, possessio rei non auget probabilitatem de non promissione.

10 Secundò, Petrum possidere usque ad diem hodie librum, non est ratio persuadens, se non promississe dare hodie Ioanni librum; & nihilominus in dubio invincibili, an promississet dare hodie Ioanni librum, potest illum licite retinere ratione possessionis: ergo etsi Petrum possidere physicè libertatem, illamque moraliter possidere antecedenter ad dubium, non sit ratio persuadens, non dari legem, poterit in dubio invincibili legis solvere dubium per possessionem libertatis à lege, talemque libertatem bona fide conservare. Consequentia constat ex paritate, minor est certa, & maior evidens: quia non est ratio aliquis momenti: *non dedi Petro usque hodie librum. ergo non promississet ei dare illum hodie, quia raro* dat

dat quis alicui, quod promissit, nisi eo tempore, quo promissit illi dare. Quam consequentiam non negat Illustriss. Palancus: quia in eo sensu, in quo negat, in dubio invincibili de promissione Deo facta, non esse standum pro possessione, concedit standum esse pro possessione in dubio de promissione homini facta: & reddit inter utrumque casum miram sanè disparitatem, quæ in eo consistit, quod in promissione Deo facta, Deus ut obiectum religionis habet ius dubium ad rem promissam, & similiter possidens habet ius dubium ad illam retinendam, & ex duplici periculo violandi ius proprium, & ius Dei, homo potius debet eligere periculū violandi ius proprium, quam ius divinum. At in promissione homini facta obligatio est ad proximum, quem non debet estimare magis quam se; proindeque non tenetur incurrere periculum violandi ius proprium, & amitendi rem propriam obvitando periculum violandi ius proximi; sed potest in tali dubio rem promissam apud se retinere.

K. 11 Si hæc doctrina vera est, falsa est prorsus contraria sententia. Quod sic primò ostendo: ergo in dubio invincibili promissio-

nis factæ proximo possum me exponere periculo frangendi ius proximi ob non amittendā rem, de cuius promissione est dubium; sed ius proximi est ius legis Dei, in vi namque legis naturalis fidelitatis proximus habet ius dubium ad rem, de cuius promissione est dubium: ergo si in dubio invincibili promissionis factæ proximo, possum me exponere periculo frangendi ius proximi ob non violandum ius proprium, possum me exponere periculo frangendi legem Dei fidelitatis ob non amittendam rem, quam possideo, seu ob non violandum ius proprium, possumque proinde anteponere ius proprium iuri legis Dei in casu dubio.

Secundò, dubitare, an re ipsa promisserim dare Petro librum, est dubitare, an re ipsa teneam dare Petro librum in vi legis fidelitatis; in dubio invincibili, an promisserim dare Petro librum, liberum est mihi non dare: ergo in dubio invincibili, an teneam, vel non teneam in vi legis fidelitatis, dare Petro librum, liberum est mihi non dare, & me exponere periculo frangendi legem Dei ob non amittendum ius ad retinendum librum: ergo potiori titulo licitum erit in dubio invincibili legis agere contra legem

gem ob non amittendum ius ad eliciendam aliquam rationem. Si enim est licitum in dubio invincibili legis agere contra legem ob non amittendum ius, & libertatem ad retinendum librum, quem possideo, cur non erit licitum agere contra legem ob non amittendum ius ad eliciendam actionem, cuius habeo dominium. Maximè, quia ipsa voluntaria retentio aliqua actio est.

Explicatur hoc amplius: dubitare, an re ipsa promisserim, vel non promisserim dare Petro librum, est dubitare, an retentio talis libri sit re ipsa illicita, & peccaminosa, vel non: in dubio invincibili talis promissionis iuxta Illustriss. Palan. possum librum apud me retinere: ergo in dubio invincibili, an retentio libri sit peccaminosa, vel non, possum exercere talem retentionem. Consequentia est evidens, & ex illa sic arguo contra citatum Auctorem: non possum retinere librum in dubio pratico de licita retentione illius; possum retinere librum in dubio invincibili, an retentio sit licita: ergo dubium invincibile directum de licito non est dubium practicum. Secundo sic arguo: non possum me exponere periculo proximo peccandi, pos-

sum per te agere id, de quo invincibiliter dubito, an sit in te peccatum: ergo agere id, de quo invincibiliter dubito, an sit re ipsa peccatum, non est me exponere periculo proximo peccandi: quod est verissimum, sed destruit omnino Probabiliorismum.

§. III.

Refertur sententia contraria, & argumenta ditionuntur.

12 **C**ontra nostram sententiā sentiunt omnes Probabilioristæ, & in eorum favorem arguitur primò, evertendo fundamentum immediatè propositum; illa regula iuris: *in dubijs melior est conditio possidentis*; solum habet locum, quando possessio est certa, non quando est dubia; sed in dubio de licito, vel illicito, non est certa possessio libertatis moralis, seu ab obligatione: ergo in dubio de licito, vel illicito non tenet dicta regula. Conseq. est legitima, minor certa, quia dubitare, an aliquid sit mihi licitum, vel illicitum, idem est, ac dubitare, an habeam libertatem moralem, vel non, ad illud faciendum. Mai. videtur innegabilis.

Ad hoc argumentum satis patet ex dictis: quia licet sit dubium, an habeam de presenti libertatem ad faciendam, vel non faciendam rem absolutè; quia de præsentis est dubium, an res sit licita, vel non, absolutè, & in re; non est dubium, quod immediatè antecedentè ad dubium præsens illam habui, quod sufficit, ut teneat dicta regula, & habeam libertatem ad faciendam talem rem pro casu dubij: res namque ob solum dubium non sunt immutandæ ab antiquo statu. Instatur argumentum in materia iustitiæ: quia dubitare, an res, quam huicque possedi moraliter, & iuxta legem ratione bonæ fidei, sit mea, vel non, est dubitare consequenter, an possim illam moraliter retinere; non obstante hoc dubio de possessione morali præsentis, possum illam retinere titulo possessionis: ergo non obstante, quod dubitare, an actio sit licita, vel non, sit dubitare, an possideam moraliter libertatem ad illam faciendam, possum illam facere in casu dubij ratione possessionis libertatis physicæ, connotando libertatem moralem, quam certò habui antecedentè ad dubium. Instatur in super in dubio invincibili de promissione libri facta Petro, & in dubio invincibili de

excommunicatione aliquorū: nam in his casibus non obstante, quod possessio libertatis sit dubia, possessio stat pro libertate.

13 Ex quo colliges, quod licet per possessionem moralem certam de præterito ad faciendam absolutè rem, non tollatur dubium circa licitum, vel illicitum absolutè, & in re, aut circa libertatem moralem faciendi rem absolutè; solvitur tamen circa libertatem moralem faciendi rem pro casu dubij directi de licito.

14 Arguitur 2. Contra idem fundamentum. Licet quandò litigium est inter duplicem hominem, possidens sit melioris conditionis; tamen quando litigium est inter hominem, & Deum, homo possidens nequit dici, quod sit melioris conditionis, quam Deus; sed quando adest dubium in materia iustitiæ, litigium est inter duos homines, & in materia legum litigium est inter hominem stantem pro sua libertate, & inter Deum stantem pro lege: ergo etsi in materia iustitiæ in dubijs sit melior conditio possidentis, non debet esse in materia legum.

Ad hoc argumentum respondetur, negando minorem quoad secundam partem: quia in dubio

invincibili,

invincibili, an detur, vel non detur lex, litigium non est inter hominem, & Deum, ita quod homo in tali litigio opponatur absolutè Deo; sed litigium est in tribunali conscientiæ inter legem Dei permittentem, & inter legem Dei precipientem, aut prohibentem: quia, ut iam dixi, dubitare, an detur lex Dei prohibens aliquam rem, vel non, idem est, ac dubitare, an detur lex Dei prohibens talem rem, vel lex Dei illam permittens, quia id, quod Deus sua lege non prohibet, sua lege positive permittit. Et quando litigium est inter legem permittentem, & prohibentem, non est cur in parè causa non sit melioris conditionis lex Dei, quæ erat in possessione.

15 Sed replicabis: quod lex Dei permittens possideat, non est ratio suadens, talem legem dari, & oppositam non dari: ergo possessio non est sufficiens ratio, ut dubium resolvatur in favorem legis permittentis.

Sed retorqueo replicam: quod lex Dei prohibens non possideat, nec possederit, non est ratio suadens illam dari, ut in casu dubij dubium resolvatur pro illa, & contra legem Dei permittentem. Quomodo ergo resolvitur dubium pro illa?

16 Si autem dicant, se non resolvere dubium pro existentia legis prohibentis, sed suspenso intellectu circa existentiam, vel non existentiam illius, solum asserere, talem legem prohibentem ut dubiam obligare. Et nos dicemus, nos in casu dubij de lege, non affirmare, dari legem directam permittentem, & non prohibentem, de quarum existentia est dubium: sed suspenso intellectu circa existentiam, vel non existentiam legis permittentis directæ, solum asserere, talem legem permittentem ut dubiam deobligare. Si enim lex prohibens, ut dubia, sufficienter existit in intellectu, ut obliget, cur lex permittens, ut dubia, non habeat sufficientem existentiam in intellectu, ut deobliget, cum minus requiratur ad deobligandum, quam ad obligandum?

17 Si autem tandem dicant, se non affirmare, legem prohibentem directam, ut dubiam, aliquo modo obligare, sed solum, quod datur lex reflexa prohibens operari contra legem prohibentem dubiam; & nos dicemus, & re vera dicimus, nos non affirmare, legem permittentem dubiam, ut dubiam, deobligare per modum legis; sed solum, quod datur in Deo lex reflexa permitens agere cum dubio de lege.

Sed

18 Sed hic notandum est, quod possessio cum toto rigore invenitur in materia iustitiæ, in alijs vero materijs solum per quãdam analogiam. Quare cum inter analogata non detur omnimoda convenientia, sed convenientia tantum secundum quid cum disconvenientia simpliciter: nec inter possessionem in materia iustitiæ, & possessionem in alijs materijs debet dari omnimoda convenientia, sed solum convenientia secundum quid cum disconvenientia simpliciter. Ex quo sequitur, non totum, quod convenit possessioni in materia iustitiæ, adaptari posse possessioni in alijs materijs, sed solum, quod illi convenit ratione conceptus analogici cõmunis possessionis secundum id, quod talis conceptus dicit pro explicito.

19 Arguitur tertio contra conclusionem ex D. Bonaventura de processu religionis, processu quinto, ubi sic ait: *Dubia interpretatio præcepti est periculosa, sicut pons semiputridus aque præcipitis, & profunda, de quo dubium est, an subtransseunte corruat, an subsistat..... Ut si Deus approbet illã opinionem, evadet sine lucro meriti, si autem reprobet, damnetur. Maxime cõ tales opiniones quandoque periculosiores sint, quam*

aperte transgressiones, quia, ubi scit homo, se delinquere, inde facile corrigitur: ubi autem nescit, se peccare, & insuper credit sibi licere, inde nec in morte purè convertitur propter falsam spem, quod forte licuerit, vel minus in eo peccaverit baculo arundineo, & confrauto innitens. Ergo iuxta D. Bonaventuram in dubio legis, aut præcepti illicitum est agere contra legem.

Ad hoc argumentum respondetur; concedendo totam auctoritatem, prout iacet, quia nos minime asserimus, esse licitam dubiam interpretationem præcepti, ita ut dubium cadat supra interpretationem, non supra præceptum; sed potius affirmamus, præcepti certi illicitam esse interpretationem dubiam, debereque subditum obedire Prælato præcipienti; solumque asserimus, esse licitam interpretationem præcepti dubij, dubio cadente supra præceptum, quod nõ negat Sanctus Doctor. Quando autem Sanctus Doctor asserit, aliquas opiniones esse quandoque periculosiores, quam appertæ transgressiones, loquitur de opinionibus non afferentibus secum ignorantiam invincibilem, non verò loquitur universaliter de omnibus opinionibus, in vi quarum nescit quis

quis se peccare, sed credit sibi licere; alias illicitus esset usus opinionis probabilioris, cum iuxta adversarios solum in vi opinionis probabilioris possit quis credere aliquid esse licitum; quia in eorum sententia intellectus non solum moraliter, & prudenter, sed nec philosophicè potest assentiri opinioni æquè, aut minus probabili.

§. IV.

Diluitur ultimum argumentum.

20

Arguitur tandem contra conclusionem: *in dubijs tutior est pars eligenda; sed tutior pars est agere iuxta legem: ergo in dubijs est agendum iuxta legem, & consequenter non est licitum agere contra illã. Consequentia est legitima, minor certa, & maior est expressa regula iuris.*

Si hoc argumentum aliquid probat, probat, non esse licitum in dubijs opinativo agere contra legem minus probabilem, quia agere iuxta legem minus probabilem est tutius, quam agere contra illam; cum in illo nullum detur periculum, & in isto detur periculum peccati materialis. Probaret insuper contra Palancum, ho-

minem in dubio de promissione libri alteri facta, & consequenter in dubio, an retentio illius libri esset, vel non, in se, & obiectivè mala, non posse retinere librum: quia tutius abs dubio est dare Petro librum. Probaret tandem conjuges dubitantes de nullitate matrimonij ratione impotentia naturalis, non posse conari ad copulam, maxime quando post experientiam biennialem, experientia evasit irrita; quia tutius est in tali casu ad invicem separari, quod est falsum, & contra positivam permissionem Ecclesiæ. Adde: probare etiam hoc argumentum contra D. Tho. in dubio de excommunicatione alicuius habendum esse ut excommunicatum, cum hoc sit tutius.

Quare pro omnibus respondeo: dari duplex dubium, aliud est speculativum, practicum aliud; dubium speculativum, est dubium de licito, vel illicito secundum se: dubium practicum, est dubium de licito, vel illicito hic, & nunc, inspectis omnibus circumstantijs. Dubium speculativum opponitur iudicio speculativo, illudque excludit: si est dubium rigorosum, opponitur iudicio speculativo, tam certo, quam probabili; si est dubium opinativum opponitur so-

lum iudicio certo. Dubium practicum opponitur dictamini practico, cum eoque est impossibile. Quare cum dictamen conscientie non consistat in iudicio speculativo, sed in iudicio practico, dubium oppositum dictamini conscientie requisito ad operandum, non est dubium speculativum, sed dubium practicum, ac proinde cum dubio speculativo optime componitur dictamen conscientie requisitum ad licite operandum, ut constat in exemplis adductis. Unde dicimus, quod si regula illa iuris intelligitur de dubio speculativo, non est præcepti, sed consilij, ut vidimus ex D. Antonio. Si autem intelligatur de dubio practico, est præcepti eligere partem tutiorem; quia in tali casu altera pars non est tuta absolute: sicque intelligunt datam regulam sapientissimi canonistæ, sicque intellecta nostram sententiam omnino munit.

21 Sed replicavis contra solutionem ex iure canonico cap. ad audentiam 12. ubi Summus Pontifex consultus de quodam homicidio dubio, à quodam Presbitero perpetrato, ait: *vestra discretioni duximus respondendum, quod cum in dubijs semitam debeamus eligere tutiorem, nos convenit in iunge-*

re Presbitero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret. Ex cap. significasti 18. ubi Pontifex circa aliud homicidium dubium ab altero Presbitero factum, sic ait: vel constat, percussionem illatam à Presbitero non fuisse lethalem, & tunc poterit ministrare; vel non constat, nec discerni potest, ex cuius ictu percussus interijt, & in hoc dubio tanquam homicida haberi debet, et si forte homicida non sit à Sacerdotali officio abstinere debet, cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temerè celebrare, pro eo, quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur. Et tandem ex cap. perilio 24. ubi in simili dubio sic ait: Summus Pontifex: mandamus quatenus si de interfectione cuiusdam tua conscientia te remordeat, ministerio altaris abstineas reverenter, cum sit consultius in huiusmodi dubijs abstinere, quam temerè celebrare: ergo eligere tutius in dubio non est consilij, sed præcepti.

Ad hanc replicam respondetur, quod illa verba *tutior pars est eligenda; semitam debemus eligere tutiorem* ex terminis non significant præceptum, sed solum decentiam, & licuitatem. Nec in dictis casibus dubijs daretur obligatio sequendi partem tutiorem,

si

si non adessent decisiones; datur tamen de facto, quia per ius canonicum sic præcipitur in illis casibus, quæ iura non debent extendi ad alios casus dubios, & quia onera sunt restringenda, & quia irregularitas non incurritur nisi in casibus in iure expressis: cap. bis de sent. excommunicationis. Immo in supra dictis casibus in iure expressis, non tenetur quis sequi tutiorem partem, & se gerere ut irregularem, quoad omnes effectus irregularitatis, sed solum quoad suspensionem ab ordinibus maioribus.

22 Sed obijcies: Nam Pontifex præcipit tali Presbitero non celebrare, quia supponit, quod celebrare in tali dubio est temerè celebrare, & se exponere magno periculo: ergo celebrare in tali dubio non est malum præcisè, quia prohibetur à Pontifice, sed idè ab illo prohibetur, quia est ab intrinseco malum, & iure naturali prohibitum; consequenterque daretur obligatio eligendi tutiorem partem in tali dubio etiam si nulla circa hoc extaret Pontificum decisio.

Ad hanc obiectionem respondetur, quod quando Pontifex asserit, quod celebrare in tali dubio est temerè celebrare, & se expo-

nere periculo; loquitur de periculo indecentiæ: qui enim celebrat in dubio, an sit homicida, celebrat, sive sit homicida, sive non. Quare cum celebrare homicidam sit maxima indecentia, celebrare in dubio de homicidio, est temerè celebrare, & se exponere magno periculo indecentiæ, immo ipsum celebrare in dubio de homicidio est non levis indecentia; nam indecentia non solum ortum habet ex casu certo, sed etiam ex dubio. Quod periculum indecentiæ, seu quæ indecentia, etiam si illam ex terminis non teneamur vitare ex præcepto, fuit sufficiens motivum, ut Pontifex statueret legem prohibentem celebrare in tali dubio; nam multoties contingit, quod motivum, insufficientis ad hoc, ut aliqua res sit iure naturali prohibita, est sufficiens, ut per ius positivum prohibeatur, alias solum posset iure positivo prohiberi, quod est iure naturali prohibitum, quod aperte est fallum. Hæc omnia accepi à P. Suarez tom. de censuris disp. 40. sec. 6. qui de hac re extimie agit. Sicut & solutionem argumenti cum sua replica à D. Th. quodlib. 4. ubi Angelicus Doctor asserit, in dubio de excommunicatione aliquorum non incurri excommunicationem, & cum sibi obiciat,

obiciat, quod si aliquis percussus in bello moriatur, si ignoretur, quis eum percussit, propter dubium, qui in bello interfuit, irregularis habetur secundum iura; reddit disparitatem, dicendo, quod casus dubij contenti in obiectione est expressus in iure, quia iura habent, ut irregularem eum, qui bello interfuit; at in dubio de excommunicatione non incurritur excommunicatio, quia non est in iure expressa, sed supponitur, tale dubium præcedere concordem iudicum sententiam.

ARTICVLVS III.

Virum, attenda ratione, sit licitum agere id, de quo invincibiliter dubitatur, an sit licitum?

Nomine dubij intelligimus in præsentibus dubium negativum, & rigorosum, quod est per negationem, & suspensionem intellectus ab omni iudicio; quando, scilicet, non adest ex parte alicuius extremi ratio sufficiens, ut intellectus possit illi saltem probabiliter assentiri, sed ex toto dubio hæret anceps ad modum interrogantis. Et sumpto dubio

in hoc sensu, inquirimus, an quando post factam debitam diligentiam ad inveniendam legem, lex adhuc manet dubia, licitum sit agere contra talem legem.

§. I.

Statuitur nostra conclusio, & prima ratio in illius favorem expenditur.

23 **D**icendum est, licitum esse agere id, de quo invincibiliter dubitatur, an sit licitum. Et probatur conclusio ratione: lex dubia nec obligat certè, nec obligat dubiè: ergo licitum est agere contra legem invincibiliter dubiam. Probatur antecedens quoad primam partem: eo modo lex obligat, quo existit in intellectu; lex dubia non existit in intellectu certè: ergo lex dubia, ut dubia, non obligat certè. Sic probato antecedenti quoad primam partem, probatur quoad secundam. Non datur in rei veritate obligatio dubia: ergo lex dubia non obligat dubiè. Probatur antecedens: si daretur obligatio re ipsa dubia, daretur re ipsa peccatum dubium; non datur re ipsa peccatum dubium; sed omnis actio est re ipsa vel determinatè mala,

De Dubio rigorosè tali. Art. 3.

malâ, vel determinatè bona: ergo licet detur dubium de obligatione activa legis, non datur obligatio passiva, & in actu secundo re ipsa dubia.

24 Adhanc rationem respondet Illustriss. Palanc. quæst. 16. §. 4. per totum, negando antecedens, & ad eius probationem negat antecedens; quia ut lex obliget certè, non requiritur, quod existat certè in intellectu, sed sufficit, quod existat dubiè.

Sed contra est primò: ergo licet sit certum, quod lex dubia existit in intellectu, est certum, quod non existit certè, sed dubiè: ergo est certum, quod non obligat certè. Probatur consequentia: eo modo lex obligat, quo in intellectu existit: ergo si est certum, quod non existit in intellectu certè, est certum, quod non obligat certè.

Secundò: obligatio legis dubiæ est dubia, & inter Auctores controversa, à maiori parte negatur: ergo obligatio legis dubiæ non est certa. Tertio: lex dubia eodem modo obligat; sive sit vera, sive sit falsa; si est falsa, non obligat verè: ergo etsi sit vera, ut dubia non obligavit verè: vide supra dicta quæst. præc. art. 3. §. 1. Quartò: si lex dubia obligaret certè, & absolute, esset mediante du-

bio; mediante dubio nequit obligare certè, & absolute: ergo nequit obligare certè, & absolute. Probatur minor; nequit obligare absolute, & certè, nisi mediante dictamine certe, & absolute intimante eius obligationem, seu dictante absolute, & certè hoc est faciendum; sed dubium non est dictamen absolute, & certè intimans: hoc est faciendum: ergo.

25 Dices cum Illustriss. Palanco, legem dubiam non obligare mediante dubio, directe, & positive, dictando, scilicet, rem non esse faciendam; sed solum indirectè, & remotive; quia dubium de lege removet conscientiam necessariam ad licitè operandum, ac proinde impossibilitat voluntatem, ut possit licitè operari. Nam habere dubium de lege, seu de licito, vel illicito, est habere conscientiam dubiam, & conscientiam dubiam, certum est, quod removet dictamen requisitum ad licitè operandum.

Sed contra est primo: vel quis cognoscit hanc obligationem indirectam, seu obligationem non operandi sine iudicio directo de non existentia legis, seu de licito, vel non, sed hoc invincibiliter ignorat? Si dicatur hoc secundum, non ligabitur tali obligatione; ignorantia namque invincibilis obli-

gationis excusat ab obligatione: si dicatur primum ergo iam datur iudicium intimans, & dictans absolute, quid faciendum, vel omittendum sit hic, & nunc: & consequenter non obligabitur ad non operandum contra legem dubiam ratione dubij de lege, sed ratione iudicij reflexi dictantis absolute, non esse licitum agere contra legem dubiam, dabiturque proinde talis obligatio, non in vi dubij de lege, ut contendit solutio, sed in vi conscientiae certae, qua deficiente, deficeret obligatio, etiamsi daretur lex dubia.

Secundo; operari contra legem dubiam, dato, quod sit malum, idem est malum, & peccaminosum, quia est contra dictamen rationis reflexae prohibentis operari sine lege, & sine conscientia; dictamen rationis hoc prohibet reflexe in vi legis reflexae subiective existentis in Deo: ergo obligatio non operandi contra legem dubiam, admisso, quod datur, non est in vi dubij de lege, quae fortasse datur, fortasse non datur, ut vult Palanco, sed in vi legis reflexae subiective existentis in Deo.

26 Dices cum Illustriss. Palanco nu. 43. & 47. agere contra legem dubiam non idem esse malum, quia prohibetur à Deo per

legem reflexam; sed idem prohibetur à Deo per legem reflexam, quia est malum. Quare etsi per possibile, vel impossibile, non daretur talis lex reflexa, semper daretur obligatio non operandi contra legem dubiam, sicut etsi non daretur in Deo lex prohibens odio habere Deum, semper daretur obligatio non odio habendi Deum, quia odio habere Deum, non idem est malum, quia prohibetur à Deo, sed idem prohibetur, quia est malum.

Sed in hoc opponitur hic Auctor D. Tho. Nam Illustriss. Palanco dicit: non omne peccatum est malum, quia prohibitum per ius naturale, sed quae prohibentur per ius naturale, idem prohibentur, quia mala, semperque proinde essent mala, etiamsi per impossibile non prohiberentur. Sed D. Tho. oppositum asserit 1. 2. quæst. 71. art. 6. ad 4. ubi ait: *Ad secundum dicendum, quod cum dicitur, quod non omne peccatum idem est malum, quia prohibitum, intelligitur de prohibitione facta per ius positivum, si autem referatur ad ius naturale, quod continetur, primo quidem in lege eterna; secundo vero in naturali iudicatorio rationis humanae, tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum.*

Se-

Secundo impugnatur solutio: vel homini intimatur per dictamen rationis esse malum agere contra legem dubiam, aut odio habere Deum, vel hoc invincibiliter ignorat? Si hoc secundum dicatur, non peccavit, quia ignorantia invincibilis excusat à peccato. Si dicatur primum: ergo ut homo peccet contra legem dubiam, non sufficit dubium de lege, sed requiritur dictamen rationis reflexae intimans obligationem non agendi contra legem dubiam.

27 Dices primo cum Palanco nu. 57. quod ut homo peccet agendo contra legem dubiam, non requiritur, quod cognoscat esse malum agere contra legem dubiam, sed sufficit, quod nesciat esse honestum. Qui enim eligit illam partem, quam nescit esse honestam, cum in promptu habeat eligere aliam, de cuius honestate est certus, abs dubio peccat.

Sed contra: Vel homo cognoscit esse peccatum agere cum nescientia honestatis obiecti, vel hoc invincibiliter ignorat? Si cognoscit, habeo intentum. Si non cognoscit, sed hoc invincibiliter ignorat, non peccavit, quia actus, ut peccaminosus obiective, erit omnino involuntarius, cum voluntarium sit ab intrinseco cum

cognitione.

28 Dices secundo cum eodem Illustriss. Palanco nu. 44. homini intimari per dictamen synderesis legem directam in universali; seu conceptum obiectivum legis divinae directae, & obligationem nihil agendi ipsa lege directae inconsulta. Quare cum operari cum dubio de lege, seu cum conscientia dubia sit formalissime agere lege Dei in consulta, homo in vi legis divinae directae, in universali, seu in vi conceptus obiectivi legis divinae directae, propositi per synderesim, tenetur certissime ad non operandum cum dubio de lege, seu cum conscientia dubia; peccaretque proinde homo, agendo cum dubio de lege, etsi ignoraret invincibiliter legem reflexam.

Sed contra: intellectus practicus non regulat, & praecipit active medio dictamine synderesis obedire legi directae, per modum primae regulae, & primi praecipientis active; sed per modum secundae regulae, & cum subordinatione ad Deum, ut active praecipientem, & regulantem, & in illius; sed Deus non regulat, & praecipit active obedire legi Dei directae in universali per conceptum obiectivum universalem legis directae, sed per legem subiective existentem

in

in ipso; non enim præcipit Deus exercitè; nisi per præceptum exercitè existens in ipso: ergo intellectus noster non præcipit medio dictamine synderesis obedire legi Dei directæ in univèrsali, in vi ipsius conceptus obiectivi legis directæ in univèrsali, sed in vi legis subiectivè existentis in Deo, quæ est abs dubio lex reflexa. Vide circa hoc à nobis dicta super art. 1. & 2. huius quæst.

Hæc dixi, ut ostenderem, quod dato, quod esset ab intrinseco malum agere cum dubio de lege, seu esset agere cum conscientia dubia; homo non teneretur ad non agendum contra legem dubiam in vi dubij de lege, nec in vi conceptus obiectivi legis divinæ in univèrsali propositi, & intimati per dictamen directum synderesis, sed in vi legis Dei reflexæ subiectivè existentis in Deo, intimatæ per dictamen synderesis, & applicatæ per dictamen conscientie.

29 Nunc videre restat, quod agere cum dubio directo de lege non est malum ab intrinseco, nec est intransitive agere cum conscientia dubia, quod multipliciter probatur, primò: dubitare, an quis promissit alteri librum, est dubitare, an sit licita, vel illicita retentio talis libri: in dubio invin-

cibili de promissione libri, potest quis licitè retinere librum, ut vidimus §. præcedenti ex Illustriss. Palanco: ergo perseverante dubio directo de licita, vel illicita promissione libri, licitum est retinere librum: non est licitum, sed potius illicitum ab intrinseco agere cum dubio pratico, aut conscientia dubia: ergo si est licitum agere cum dubio directo de licito, vel illicito, dubium directum de licito, vel illicito, non est dubium practicum, nec in ipso consistit formaliter conscientia dubia, sed illo perseverante formari potest conscientia certa.

Secundò: dubitare, an contractus matrimonij bona fide innitus fuerit nullus ratione alicuius impedimenti dirimentis, est dubitare ex consequenti, an accessus ad alterum coniugem sit re ipsa, & obiectivè peccaminosus, vel non, quia si contractus sit re ipsa nullus, accessus est re ipsa peccaminosus; perseverante hoc dubio post factam debitam diligentiam, licitum est petere, & reddere debitum; alias si dubium esset ex parte utriusque coniugis, nemo, adhuc post adhibitam diligentiam, posset debitum alteri petere, quod est omninò falsum: ergo perseverante dubio de licito, vel illicito accessus, formari potest

potest bona conscientia, de eo, quod accessus hic, & nunc est licitus, sive in se sit licitus, sive non; non potest formari conscientia recta, & deponi dubium practicè, perseverante dubio pratico, & conscientia dubia: ergo si potest formari conscientia recta de eo, quod accessus hic, & nunc est licitus, perseverante dubio de licito, vel illicito accessus secundum se, hoc dubium non est dubium practicum, nec in illo consistit conscientia dubia.

30 Tertiò: subditus in dubio de licito, vel illicito potest obedire Superiori, non solum rigorosè præcipienti, sed etiam simpliciter ordinanti id, de quo est dubium, etiam si post præceptum Superioris perseveret dubium. & non possit formare opinionem de licito; non potest obedire ordinationi Superioris, perseverante conscientia dubia, seu dubio pratico de licito, vel illicito: ergo si potest obedire ordinationi Superioris simplici, adhuc perseverante dubio directo de licito, vel illicito, dubium directum de licito, vel illicito, non est dubium practicum, nec in illo consistit conscientia dubia. Audiatur eximius Doctor tomo 4. de Religione lib. 4. cap. 15. nu. 16. ubi sic ait: *Præ oculis*

*habenda est vulgaris distinctio certitudinis: prima sumitur ex conformitate ad rem, alia ex conformitate ad affectum operantis, & ad principia, per quæ moveri debet. Prior ergo certitudo non est necessaria ad obedientiam, quamvis perfectam, non solum circa utilitatem rei præceptæ ad finem à Superiore intentum, verum etiam neque ad honestatem. En quomodo Pater Suarez distinguit duplicem certitudinem, aliam, quæ sumitur per conformitatem ad rem, quæ est speculativa, aliam, quæ sumitur per conformitatem ad appetitum rectum, & dicitur practica. Et asserit, quod ad operandum non requiritur prima, sed secunda; & consequenter sentit, dari posse certitudinem practicam cum incertitudine, & dubio directo de honestate obiecti. Et nu. 17. sic ait: *Breviter adverto, duobus modis posse dubitari de honestate rei præceptæ. Priori modo, antecederet, ut sic dicamus, dubitando de re ipsa, quæ præcipitur secundum se, & separata à præcepto Superioris. Posteriori modo, etiam consequenter, seu facta cõpositione præcepti, dubitando an non obstante præcepto, liceat id facere, hoc est obedire in tali materia: hoc posterius dubium est practicum, & illo durante, certum est,**

non licere facere tale opus. Vt ergo obedire liceat, necesse est tale dubiū practicum deponere, & firmiter iudicare, non obstante priori dubio antecedenti, seu de opere ipso secundum se, licitum esse obedire, illud exequendo, sic enim prius dubium manet purè speculative, quia non est proxima regula operationis sed deponitur ex alijis principis, & formatur certa conscientia. Quibus in verbis aperte distinguit Suarez inter dubiū de honestate rei secundū se, & dubiū de honestate operationis hic, & nunc; primum dubiū vocat speculative, secundum, practicum, & asserit, quod perseverante illo primo, potest deponi secundum, & formari bona conscientia, & consequenter, quod dubium de honestate rei secundum se, non est incompatible cum conscientia requisita ad licitè operandum.

31 Hæc omnia optimè vidit ex sua eminentia Caietanus, qui in suis opusculis, tom. 1. trac. 31. responsione 13. versu 7. dubium sic ait: *mibi autem occurrit dicendū, quod si ve scrupulus occurrat ex parte appetitus, ut contingit timentibus peccare in aliquo actu, & nesciunt quare, si ve ex parte rationis, ut contingit his, qui ex aliqua ratione magna, mediocri, vel*

levi, fluctuant, distinguere oportet de modo, an huiusmodi hesitatio, seu vacillatio sit modo speculative, si ve modo practico: hoc est, an dubitet de licito, vel illicito secundum se, vel ut est ratio operis sui hic, & nunc. Nam si quis dubitaret, an pulsare die festo sit illicitum, & tamen non dubitaret, sibi hic, & nunc esse licitum pulsare, iste non peccaret pulsando, quantumcumque esset magna dubitatio apud eum de actu pulsandi secundum se, an sit licitus, vel illicitus. Et similiter quantum esset maximus timor de eodem. Quibus in verbis evidenter docet Caietanus nostram sententiam: Nam distinguit inter dubitare de licito, vel illicito secundum se, & dubitare de licito, vel illicito hic, & nunc; primum dubium appellat speculative, secundum, practicum. Et asserit, quod, perseverante dubio primo, potest deponi secundum haberique certitudo requisita ad licitè operandum. Senti ergo Caietanus, quod dubium de licito, vel illicito secundum se, est dubium speculative, & quod tale dubium non excludit conscientiam requisitam ad licitè operandum, ut patet in exemplo ab ipso adducto. Docet insuper, regulam proximam nostrarum operationum non esse iudicium directum

rectum de licito, vel illicito absolute, sed iudicium reflexum de licito, vel illicito hic, & nunc, & optima quidem ratione: Nam sicut dubium directum est speculative, ita iudicium oppositum tali dubio est speculative: & sicut dubium reflexum de licito, vel illicito hic, & nunc, est dubium practicum, sic etiam iudicium reflexum excludens tale dubium, est iudicium practicum, & operationes non regulantur per iudicium speculative, sed per practicum. Dicta in hoc §. confirmari possunt exemplo excommunicationis dubiæ.

§. II.

Alia ratione probatur conclusio.

32 **P**ROBATUR secundo nostra conclusio: Qui dubitat invincibiliter legem, habet ignorantiam invincibilem legis; ignorantia invincibilis legis excusat ab obligatione legis: ergo qui dubitat invincibiliter legem, est excusatus ab obligatione legis. Consequentia est legitima, mai. certa, & minor etiam; quia lex non obligat eam invincibiliter ignorantem.

Respondebis nihilominus, di-

cendo, ignorantiam positivam legis, quæ est cum iudicio de non existentia legis, excusare ab obligatione legis; non verò ignorantiam negativam, & sine iudicio de non existentia legis, qualis est ignorantia invincibilis, quam importat dubium invincibile legis: qui enim cum tali ignorantia agit contra legem, se exponit periculo frangendi talem legem, eamque affectivè contemnit; agit namque contra illam, non quia iudicat, non dari, sed si ve detur, si ve non detur, qui modus operandi est ab intrinseco malus, & peccaminosus.

Sed contra est primò: agere contra promissionem factam homini invincibiliter dubiam, est agere contra promissionem, si ve re ipsa detur, si ve non detur, & consequenter si ve lex fidelitatis re ipsa obliget, si ve non; ac proinde qui sic agit, se exponit periculo frangendi re ipsa, & materialiter, legem fidelitatis, peccandique materialiter: & nihilominus iuxta Illustriss. Palanco licitum est agere contra promissionem invincibiliter dubiam, factam homini: ergo ignorantia invincibilis negativa legis excusat ab obligatione legis.

Secundo, qui dubitat invincibiliter, an Matrimonium bona fide

de contractum sit nullum, & consequenter an accessus ad alterum coniugem sit licitus, vel illicitus, potest petere accessum: ergo licitum est agere cum dubio invincibili de licito, vel illicito id, quod dubitatur, an sit licitum, & consequenter ignorantia invincibilis negativa malitiæ obiecti excusat operantem à malitia formali, non obstante, quod sic operans exponatur periculo peccandi materialiter. Idem argumentum valet fieri in subdito obediēte superiori præter propriam opinionem.

33 Tertiò impugnatur solutio ratione, qua utitur P. Suarez tom. de censuris disp. 40. sect. 5. art. 13. quam proponit his verbis: *Sed contra, nam ex illa ignorantia negativa in universali optima ratione inferitur positiva ignorantia in particulari per iudicium practicum, quo aliquis prudenter iudicat se non obligari hic, & nunc tali præcepto, quia nemo obligatur à lege, nisi illi sit sufficienter proposita: sed qui post factam diligentiam sufficientem ad cognoscendum, an sit tale præceptum impositum, non potest id assequi, non habet talem legem sufficienter propositam: ergo licet in generali, seu speculativè maneat dubius, an talis lex lata sit in particulari est certus se non obli-*

gari tali lege. Atque ita cessat fundamentum contrariæ sententiæ, scilicet, quod nemo potest facere sine peccato id, de quo dubitatur, an sit peccatum. Negamus enim in eo casu talem hominem dubitare, an illud hic, & nunc sit peccatum: quando quidem hic, & nunc est certus, se non obligari præcepto. Huc usque eximius Doctor. Quæ impugnationis abs dubio est efficacissima, quia qui est certus, aliquam legem non esse sufficienter propositam, ut actum regulet, est certus non esse sufficienter propositam, ut obliget, sed certum est, legem dubiã, ut talem, non esse sufficienter propositam, ut regulet quid faciendum, vel omittendum sit: ergo est certum, non esse sufficienter propositam ut obliget.

34 Urgetur, vel explicatur hoc amplius: in dubio rigoroso de lege divina prohibente, non est magis proposita intellectui lex divina prohibens, quam lex divina permittens; quia dubitare, an detur lex Dei prohibens, est dubitare, an detur lex Dei prohibens, vel lex Dei permittens, & consequenter in casu dubij rigorosi de lege Dei prohibente, tam lex Dei prohibens, quam lex Dei permittens existunt in intellectu sub dubio, nec dubiũ connectitur magis cum vna lege Dei,

Dei, quam cum alia; sed lex Dei permittens in casu dubij iuxta Adversarios, non est sufficienter proposita, ut deobliget: ergo nec lex Dei prohibens est sufficienter proposita, ut obliget. Si enim lex Dei permittens dubia, non est sufficienter proposita, ut deobliget, non est cur lex Dei prohibens dubia sic sufficienter proposita, ut obliget.

Alijs terminis explicatur hoc ipsum: quando circa idem obiectum simul, & eodem modo concurrunt duæ leges Dei oppositæ æqualis activitatis nulla lex exercet suam vim, quia vis vnius evacuat per vim alterius: sed lex Dei permittens, & lex Dei prohibens circa idem obiectum sunt æqualis virtutis: ergo quando simul, & eodem modo concurrunt, ut accidit in casu dubij, nulla potest exercere suam vim, sed utriusque vis suspenditur. Quod cernere licet in exemplis supra à me propositis.

35 Dices, hoc probare etiam contra nos: quia si lex divina permittens non habet vim deobligandi, non poterimus agere iuxta illam. Sed respondeo, quod licet non habeat aliquo modo vim deobligandi, possumus agere iuxta illam in vi legis reflexæ permittentis agere rem, ut dubiè permissam.

Sed iterum dices: non datur maior ratio, ut detur lex reflexa permittens agere rem, ut dubiè permissam, quam ut detur lex reflexa prohibens agere rem, ut dubiè prohibitam: ergo vel aufrenda est illa, vel danda est ista.

Ad hoc dico, dari maiorem rationem. Prima est, quod lex permittiva, sive directa, sive reflexa, erat in possessione, & in pari casu melior est conditio possidentis. Secunda est quod lex Dei permittiva est favorabilis, lex Dei prohibitiva est honorosa, & idè illa debet ampliari usque ad casum invincibiliter dubium, & hæc debet restringi ad casum certum.

§. III.

Expenditur aliud fundamentum, destruendo præcipuum adversariorum motivum.

36 **P**robatur insuper alia efficaci ratione nostra conclusio: Idè non esset licitum agere contra legem dubiam, quia tenemur vitare peccatum materiale, & in re, & consequenter periculum illius; hoc est falsum: ergo licitum est agere contra legem invincibiliter dubiam. Probatur minor primò exemplis

N n supra

suprà relatis, in quibus datur periculum proximum peccati materialis, & in re, & nihilominus licitum est agere contra legem dubiam. Probatur secundò eadem minor: non est iure naturali prohibitum, quod Ecclesia, permittit; Ecclesia permittit agere cum periculo proximo peccandi materialiter: ergo non est iure naturali prohibitum agere cum periculo proximo peccandi materialiter. Probatur minor: Ecclesia permittit conari ad copulam in dubio, an talis conatus sit licitus, vel illicitus, & peccatum materiale: ergo permittit agere cum periculo proximo peccandi materialiter. Probatur antecedens: quando inter coniuges suboritur dubiù de impotentia naturali alicuius, & post adhibitas aliquas diligentias non potest resolvi dubium, Ecclesia capite laudabilem defrigidis, & malef. Permittit illis, quod per triennium conentur ad copulam, & permittit illis alios actus, qui inter alios coniuges sunt liciti; in hoc casu datur periculum proximum peccati materialis, quia dubitare, an impotentia sit perpetua, est dubitare, an Matrimonium sit nullum, & consequenter, an conatus ad copulam sit re ipsa, & materialiter malus, & contra legem

Dei: ergo si in hoc casu Ecclesia permittit conatum ad copulam, illum permittit in dubio, an sit licitus re ipsa, & materialiter, vel illicitus, & consequenter permittit copulam cum periculo proximo, quod sit peccatum materiale, & in re. Quod dubium, & periculum maximè crescit, quando post duos annos experimentum evasit nullum, quo non obstante, & quod tutius esset utriusque, & laudabilius à tali experientia recedere, non petendo debitum, permissio Ecclesie adhuc persistit.

Probatur tandem eadem minor efficacissimè, & meo iudicio evidenter: Si daretur obligatio vitandi peccatum in re, non solum non posset quis, per se loquendo, agere contra legem invincibiliter dubiam, sed nec posset uti opinione probabiliori, aut probabilissima contra legem, relicta minus probabili pro lege: hoc est falsum: ergo non datur obligatio vitandi peccatum materiale. Consequentia est legitima, minor certa, & maior probatur primò. Quando ad vitandum aliquod damnum, quod quis tenetur vitare, occurrit duplex medium, aliud certum, & omnino tutum, aliud incertum, & solum probabiliter tutum, non potest quis relicto medio omnino tuto,

tuto, & certo, uti medio incerto, & solum probabiliter tuto, & per quod, si opinio est falsa re ipsa, non vitat damnum, quod tenetur vitare, iuxta illud Augustini satis repetitum ab adversarijs: *tene certum dimitte incertum*: sed opinio minus probabilis pro lege est medium omnino certum ad vitandum peccatum materiale, & obiectivum; opinio probabilis, aut probabilissima contra legem, est medium incertum, cum fortasse talis opinio sit falsa, etsi est falsa, non vitatur peccatum materiale, sed in rei veritate committitur: ergo si datur obligatio vitandi peccatum materiale, non solum non potest quis agere contra legem invincibiliter dubiam, sed nec sequi opinionem probabiliorè, aut probabilissimam contra legem, relicta minus probabili pro lege. Consequentia est legitima, minor certa, & maiorem docet D. Tho. in 4. dist. 28. Palud dist. 36. q. 2. à 3. Adrianus quodlib. 2. & quæst. 5. de confess. dub. 7. vici. relect. de iure belli, & est communis sententia, eamque expressè docet P. Tyrus dist. 10. cap. 1. §. 2.

37 Probatur secundò eadem maior, & explicatur magis præcedens probatio. Quia Medicus tenetur procurare sanitatem corpo-

ralem infirmi, si ad illam procurandam occurrit duplex medicamentum, aliud omnino certum, & tutum, & aliud solum probabiliter aut probabilius utile, & per quod, si opinio est re ipsa falsa, non vitatur damnum salutis corporalis, non potest uti remedio probabiliori, relicto certo, & omnino tuto. Similiter, quia Sacerdos tenetur facere sacramentum validum, si ad hoc occurrit duplex materia, aut forma, una omnino tuta, & certa, alia solum probabilis, aut probabilior, & cum qua, si opinio est re ipsa falsa, non conficitur validum sacramentum, non potest Sacerdos in conficiendo tali sacramento uti opinione illa probabilis, aut probabiliori, vel probabilissima, relicta tuta: ergo si homo tenetur vitare peccatum in re non poterit adhuc uti opinione probabiliori, aut probabilissima, & per quam, si re ipsa est falsa, non vitatur peccatum, relicta opinione, per quam certissimè, & absque aliqua controversia vitatur peccatum materiale. Hæc ratio me prorsus convincit: quia ut passim clamant adversarij, non debet esse minoris curæ vitatio peccati materialis, quam physici nocimenti vitæ temporalis proximi, sed ita tenetur Medicus vitare nocimentum proximi, ut non possit

fit ad hoc uti remedio probabiliori, & per quod, si opinio est re ipsa falsa, non vitatur, relicto medio certo: ergo ita debet quis curare vitare peccatū materiale, & obiectivum, ut non possit ad hoc uti opinione probabiliori, aut probabilissima, & per quam si est falsa, non vitatur tale peccatum, relicta opinione minus probabilis; per quā infallibiliter vitatur. Maior est clamor adversariorum; minor omnino certa, & consequentia legitime infertur. Quare meo iudicio adversarij sub nomine Probabiliorismi defendūt, & propugnant tutorismum ab omnibus reprobatum. Vide infra, q. 4. art. 2. §. 1. & art. 8. §. 2.

§. IV.

Propozitur ultima ratio in favorem nostrae conclusionis.

38 **V**Ltima ratio nostrae conclusionis, quae rem hanc omninò conficere videtur, & evidenter demonstrat falsitatem contrariae sententiae, in hunc modum proponitur. Agere cum dubio directo de licito, vel illicito, est materia capax voti obedientiae; non est materia capax voti obedientiae, quod est ab

intrinseco malum, & illicitum: ergo agere cum dubio directo de licito, vel illicito non est ab intrinseco malum, & illicitum. Consequentia est legitima, minor certa, & maior conceditur ab adversarijs, qui asserunt, subditum teneri obedire Superiori praecipienti praeter propriam opinionem, & perseverante dubio. Alijs terminis proponitur eadem ratio: non est materia voti agere cum dubio pratico de licito, nec cum conscientia dubia, est materia capax voti obedientiae agere cum dubio directo de licito, vel illicito: ergo agere cum dubio de licito, vel illicito, non est agere cum dubio pratico, seu cum conscientia dubia.

Confirmatur primò hæc ratio: Celebrare cum dubio de homicidio nō est materia voti obedientiae, non alia ratione, nisi quia celebrare cum dubio de homicidio est malum, & prohibitum iure positivo: ergo si agere cum dubio de licito, vel illicito, est prohibitum iure naturali, agere cum dubio de licito, vel illicito, non erit materia voti obedientiae. Consequentia est legitima, & antecedens certum, ac proinde subditus, stante dubio de homicidio, non poterit obedire superiori praecipienti celebrare, ut ex se liquet, alias subditus

ditus dubius de homicidio, & desiderans celebrare, videns, quod hoc non poterat sine peccato, posset petere à Superiore, quod ei praeciperet celebrare, ut sibi fieret licitum per praecipitū, quod independenter à praecipito ei non licebat: quod est absurdū. Praelatus namq; qui in irregularitate non potest dispensare, non potest auferre malitiam, quæ datur in celebrando cum dubio de homicidio.

Confirmatur secundò: si Provincialis, aut alius Praelatus prohibet mihi aliquam materiam, & postea Praelatus inferior eandem materiam mihi praecipit, non teneor, nec possum obedire in tali materia Praelato inferiori, quia non possū obedire praecipito Praelati inferioris contra expressum praecipitum Praelati Superioris: ergo si Deus, qui est supremus Legislator mihi prohibet per legem naturalem agere cum dubio, non poterō obedire cuilibet alio Superiori praecipienti mihi agere cum dubio.

Confirmatur tandem: Non possum obedire Superiori contra legem Dei certò obligantem: ergo si datur lex Dei certò obligans ad non agendum cum dubio, non possum obedire Superiori praecipienti aliquam rem mihi dubiam;

et si possum obedire, non datur lex naturalis prohibens agere cum dubio. Hæc ratio me prorsus convincit, quia quod est certò illicitum, & prohibitum à Deo, est certò extra potestatem praecipitivam Superioris, cum Praelatus non possit praecipere, quod est certò illicitū. Vide infra, q. 4. art. 8. §. 4.

§. V.

Refertur sententia contraria, & argumenta contra secundam rationem diluuntur.

39 **C**ontra nostram conclusionem sentiunt vnanimiter omnes Probabilioristæ, & in eorum favore arguitur primò contra nostram secundam rationem: Si dubium invincibile legis constitueret ignorantiam invincibilem, & excusantem, licitum esset agere immediate post tale dubium, & non interposito dictamine reflexo; hoc est falsum iuxta omnes: ergo dubium invincibile legis non constituit ignorantiam invincibilem. Probatur maior: licitum est operari immediate post ignorantiam invincibilem legis: quo enim actio magis coniungitur cum principio excusante, magis removetur à ratione culpe: ergo si dubium invincibile legis

legis constituit ignorantiam invincibilem illius, licitum erit agere immediate post dubium invincibile legis, & non interposito iudicio reflexo. Sic arguit P. Tyrso differt. 7. §. 11.

Confirmatur: dubitatio invincibilis legis non necessitat intellectum, ut formet dictamen illud reflexum de eo, quod licet hic, & nunc operari ponamus ergo, quod homo post talem dubitationem suspendat illud dictamen reflexum, & illo suspeso, operetur, quo in casu, sic arguit citatus Auctor operari cum ignorantia invincibili legis non est peccatum; sed illa dubitatio per nos est ignorantia invincibilis præcepti: ergo operari cum illa dubitatione non est peccatum, quod est falsum apud omnes.

Hoc argumentum, cui sæpe insistit P. Tyrso debillissimum est, nam quod ignoret invincibiliter legem, qui invincibiliter est dubius de illa, nullas sanæ mentis negare audebit: nemo enim est dubius de eo, quod scit; nec est dubius invincibiliter de eo, quod in sua manu habet scire, aut non ignorare: quare qui dubitat invincibiliter legem, eam abs dubio invincibiliter ignorat. Quod autem licitum sit in aliquo casu agere cum

hac ignorantia invincibili, quæ affert secum dubium, ab omnibus concedendum est: nam in dubio invincibili de malitia obiectiva copulæ inter coniuges ratione alicuius impedimenti dirimentis coniux dubitans potest, & tenetur ad copulam cum altero coniuge, si petat; & idem dicitur, si uterque coniux dubitet de perpetuitate impotentiae, & consequenter, an conatus ad copulam inter illos sit re ipsa, & obiectivè illicitus: in hoc enim casu possunt licitè conari ad copulam per trienium.

Et nunc peto à P. Tyrso, an coniux dubitans possit habere copulam cum altero coniuge immediate, & non interposito iudicio reflexo de eo, quod sibi est licitum habere copulam, perseverante tali dubio, vel non? Si affirmet: ergo licitum est agere immediate post ignorantiam invincibilem, quam secum affert dubium invincibile de licito; quod, præterquam quod evacuat vim argumenti, est omnino falsum: quia illicitum est ab intrinseco agere sine aliquo dictamine de licito, cum hoc sit agere sine conscientia. Si autè P. Tyrso neget: ergo stat quod sit licitum agere cum ignorantia invincibili, quæ secum affert dubium invincibile, & quod non sit licitum agere immediate

mediate post talem ignorantiam, sed mediatè, & interposito iudicio reflexo de licito.

40 Quare ad argumentum respondetur, negando maiorem; & ad eius probationem negatur antecedens: Quia ut quis licitè valeat agere ratione ignorantiae invincibilis, quam cognoscit habere, ut accidit in nostro casu; non sufficit, quod ipsa in se habeat vim excusandi à peccato cum illa operantem; sed insuper requiritur, quod hoc cognoscatur ab operante, & quod formet dictamen de eo, quod agendo eum tali ignorantia, excusatur à culpa ratione illius: si enim non formet hoc dictamen, peccabit, agendo cum tali ignorantia; quia hoc est agere cum ignorantia, sive excuset, sive non; seu est agere sine dictamine conscientiae, quod ab intrinseco est malum. Et licet actio magis excusetur à culpa, quod magis coniungitur cum principio excusante, quando cognoscitur excusare; non tamen, quamdiu de hoc dubitatur: nam si, hoc dubio non deposito, quis operetur cum tali ignorantia, peccabit, non obstante, quod ignorantia habeat in se vim excusandi.

Ad confirmationem patet ex dictis, & insuper dico, quod qui

dubitans invincibiliter legem, operaretur, suspeso pro libito iudicio reflexo, peccaret: quia licet ageret cum ignorantia invincibili directa, ageret cum ignorantia invincibili reflexa, seu de obligatione hic, & nunc: quod est ab intrinseco malum, & illicitum; immo etsi ignorantia reflexa, & practica, seu de peccato formali, esset invincibilis, peccaret, qui cum illa operetur: adhuc namque, ut quis non peccet, requiritur, quod prius certificetur de suo non peccato formali, quæ certitudo omnino excluditur per dubium practicum, & de peccato formali. Et hæc est ratio, quare licet sit licitum agere cum dubio invincibili de lege, non est licitum agere immediate post tale dubium. Sic namque, est agere non solum cum dubio directo, & speculativo, seu cum dubio de peccato materiali; sed etiam cum dubio de reflexo, practico, & de peccato formali, quod apud omnes est illicitum.

41 Arguitur secundo ex P. Tyrso eadem diff. §. 14. nu. 86. Nam si quando datur dubium de lege, lex non est sufficienter proposita, nec erit sufficienter proposita, quando datur dubium practicum de licito, vel illicito actionis hic, & nunc exercendæ, & consequen-

quenter non peccabit homo agēs cum tali dubio practico: hoc est apud omnes falsum: ergo falsum est, quod lex, quando est dubia, non sit sufficienter proposita.

Ad argumentum respondetur, negando sequelam inclusam in maiori: nam ex eo, quod lex tam speculative, quam practice dubia non sit sufficienter proposita, ut obliget, non sequitur, quod quis possit operari cum dubio practico, sed solum quod non habeat obligationem non operandi cum dubio practico, seu cū conscientia dubia in vi legis dubiæ; habet tamen illam in vi legis reflexæ, prohibentis, operari cum conscientia dubia, sive sine dictamine conscientiæ, quæ obligatio cessaret, si lex reflexa ab esset.

§. VI.

Primum argumentum contra conclusionem solutione donatur.

42 **A**rguitur primò contra nostram conclusionem: perseverante dubio de licito, vel illicito in universalis, nequit non perseverare dubium in particulari de licito, vel illicito, cum dubio in particu-

lari de licito, vel illicito, illicitum est operari: ergo cum dubio de licito, vel illicito in universalis illicitum est operari. Consequentia est legitima, minor videtur certa: quia illicitū est agere id, quod hic, & nunc dubitatur, an sit licitum, & maior probatur: propositio particularis continetur sub universalis: ergo perseverante dubio de licito, vel illicito in universalis sub his circumstantiis, nequit non dari dubium de licito, vel illicito in particulari sub eisdem circumstantiis. Si enim est dubium in universalis, an sit licitum pingere in die festo extra casum necessitatis, etiam debet esse dubium, an sit mihi in particulari licitum pingere extra casum necessitatis, nec resolvi potest hoc dubium particulare, adhuc perseverante illo dubio in universalis; sic probata maiori primi syllogismi, minor eiusdem syllogismi probatur: dubium in particulari de licito, vel illicito, est dubium practicum; cum dubio practico illicitum est operari: ergo cum dubio de licito, vel illicito in particulari illicitum est operari.

Ad hoc argumentum respondetur, distinguendo maiore: perseverante dubio in universalis de licito, vel illicito, nequit non perseverare dubium in particulari de licito,

licito, vel illicito, perseverante dubio in universalis directo, & speculativo, nequit non perseverare dubium directum in particulari, concedo maiorem; dubium reflexum, nego maiorem. Et distinguo minorem: non est licitum operari cum dubio de licito, vel illicito in particulari, cum dubio reflexo, concedo minorem, cum dubio directo, nego minorem, & consequentiam. Quia est duplex dubium, aliud directum, reflexum aliud. Dubium directum de licito, vel illicito, est dubium de licito, vel illicito, per se, & obiectivè, seu de licito, vel illicito materialiter. Dubium reflexum est de licito, vel illicito hic, & nunc, inspectis omnibus circumstantiis, quæ hic, & nunc occurrunt tam ex parte obiecti, quam ex parte subiecti; seu alijs terminis: dubium directum de licito, vel illicito, est dubitare, an aliquid absolutè, & in se, seu re ipsa sit illicitum. Dubium reflexum est dubitare, an sit licitum agere rem, de qua dubitatur, an sit licita; sub dubio directo in universalis, continetur dubium directum in particulari, ac proinde non potest hoc deponi, nisi prius illud deponatur; & similiter sub dubio reflexo in universalis continetur dubium reflexum in

particulari. Quare licet dubium reflexum in particulari nequeat evacuari, persistente dubio reflexo in universalis; bene tamen persistente dubio directo in universalis, cum non contineatur sub illo, sed sint valde diversa obiecta, circa quæ versantur. Unde perseverante dubio directo de licito, vel illicito in universalis, bene potest dari iudicium dictans, licitum esse operari in tali dubio. Quod evidenter instatur: nam perseverante dubio rigoroso directo de licito, vel illicito, non dubitant adversarij, an sit licitum operari, sed constanter affirmant, perseverante tali dubio esse illicitum operari: ergo iudicium affirmans, esse illicitum operari in casu dubij directi de licito, vel illicito, non est iudicium oppositum, & incompatible cum dubio directo de licito, vel illicito; ergo nec iudicium affirmans, esse licitum operari in dubio de licito, opponitur dubio directo de licito, vel illicito. Si enim cum dubio directo de licito, vel illicito, comparitur iudicium de illicito pro casu dubij, dubium directum de licito, vel illicito, non continet sub se, nec infert necessario dubium in particulari de licito, vel illicito pro casu dubij; ac proinde, dato, quod in dubio directo in universalis de licito,

to; vel illicito non potest quis formare iudicium de licito pro casu dubij; non esset, quia dubium directum de licito, vel illicito contineret sub se, aut necessario inferret dubium de licito, vel illicito, pro casu dubij, sed propter alia motiva, quæ adhuc adversarij non protulerunt. Vidi supra dicta q. 1. art. 6. §. 2.

Replicabis; non est licitum operari cum dubio directo in particulari de licito, vel illicito: ergo perseverante dubio de licito, vel illicito directo in particulari, non potest formari iudicium reflexum de licito pro casu dubij directi in particulari: dubium directum de licito, vel illicito in particulari perseverat, quandiu non deponitur dubium directum in universalis: ergo perseverante dubio directo de licito, vel illicito in universalis, non potest formari iudicium reflexum de licito operationis hic, & nunc: ergo si dubium directum in particulari non potest deponi, perseverante dubio directo in universalis, quia sub illo continetur, nec potest deponi dubium reflexum: non quia dubium reflexum continetur formaliter sub dubio directo, sed quia dubium reflexum non potest deponi per iudicium de licito, perseverante dubio directo in

particulari de licito, quod continetur formaliter sub dubio directo de licito in universalis. Omnia sunt clara, dummodo antecedens sit verum, quod sic probatur, illicitum est agere cum dubio practico, seu cum conscientia dubia; dubium directum de licito, vel illicito in particulari est dubium practicum, seu conscientia dubia: ergo illicitum est agere cum dubio directo de licito, vel illicito in particulari.

Hæc est tota energia huius argumenti: non enim dicunt adversarij; quod dubium reflexum potest deponi per iudicium reflexum de licito, quia dubium reflexum continetur formaliter sub dubio directo, quia si res sic se haberent, non solum non posset deponi dubium reflexum, perseverante dubio directo, per iudicium reflexum de licito, sed nec per iudicium de illicito, quod ipsi negant; sed dicunt, non posse dubium reflexum de licito deponi per iudicium reflexum de licito, perseverante dubio directo in universalis, quia hoc perseverante, non potest deponi dubium directum in particulari, cum sub illo continetur, & ex illo necessario inferatur: quo non deponitur, illicitum est operari, cum sit dubium practicum, & consequen-

quenter, nequit formari iudicium reflexum de licito, sed potius de illicito.

Sed ad hanc replicam respondetur, negando antecedens: ad cuius probationem negatur maior: falsum namque est, quod dubium de licito, vel illicito in particulari sit dubium practicum, sed solum speculativum: quia sicut iudicium directum de licito, vel illicito non est practicum, sed speculativum, sic nec dubium directum huic iudicio oppositum est dubium practicum, sed speculativum. Ad cuius intelligentiam est notandum, quod datur duplex veritas formalis, alia quæ sumitur ab eo, quod res est, vel non est in se, seu per conformitatem cum obiecto, pro ut in se; alia, quæ sumitur per conformitatem cum appetitu recto, seu cum recta ratione. Prima veritas est speculativa, ac proinde iudicium, quod sumit suam veritatem ab eo, quod res est, vel non est in se, dicitur iudicium verum speculativè. Secunda veritas est veritas practica, & iudicium, quod hac veritate gaudet, dicitur iudicium verum practicè. Quare cum iudicium directum de licito sumat suam veritatem ab eo, quod res est, vel non est in se, seu per conformitatem cum obiecto, pro-

ut in se, & solum iudicium reflexum sumat suam veritatem, per conformitatem cum recta ratione, solum iudicium reflexum est iudicium practicum, & dubium reflexum illi oppositum, dubium practicum.

44. Et quidem, quod dubium directum de licito, vel illicito, seu dubium de malitia, quam obiectum re ipsa, & obiectivè habet, non sit dubium practicum, nec in illo consistat conscientia dubia, evidenter convinci videtur exemplis in hoc articulo adductis: ex quibus unum tantum libet in memoriam revocare. Nam Subditus dubitans directè de malitia actionis, seu dubitans de malitia, quam actio re ipsa, & in se habet, potest obedire Superiori præcipienti talem actionem etiam si, supposito præcepto Superioris, adhuc perseveret dubium; seu etiam si præceptum Superioris non sit sufficiens ad deponendum tale dubium; non potest obedire, perseverante dubio practico, seu conscientia dubia: ergo si potest obedire, perseverante, & non deposito dubio directo de malitia obiectiva, conscientia dubia, seu dubium practicum, non consistit in dubio directo de malitia obiecti, seu actionis externæ absolute sumptæ, & pro-

ut in se.

45 Dices: Subditum posse agere in tali casu ratione circumstantiæ præcepti, quia ratione illius fit illi operatio licita, etiamsi alias in se, & obiectivè sit illicita.


Sed contra, & ni fallor, evidenter: in nulla circumstantia est licitum operari, non deposito dubio pratico, seu conscientia dubia; in circumstantia præcepti est licitum subdito operari, non de-

posito dubio directo de licito, vel illicito, seu non deposito dubio de malitia obiectiva actionis: ergo dubium directum de licito, vel illicito, seu dubium de malitia obiectiva actionis, non est dubium practicum, nec in ipso consistit conscientia dubia. Vide duo alia argumenta contra conclusionem

infra quæst. 4. art. 8.

§. 7. & 8.

* *



QVÆSTIO III.

DE OPINIONVM PROBABILITATE IN ORDINE AD LICITE IVDICANDVM.

ARTICVLVS I.

In quo breviter explicatur, quid sit opinio, & quid probabile iuxta Probabilistarum mentem.

§. I.

Explicatur, quid sit opinio.

Quia tam in hac, quam in quæstione sequenti de opinionum probabilitate est nobis sermo, libet illarum initio explicare, quid sit opinio, & quid probabile, quod in hoc, & sequenti §. præstabimus. Opinio ergo sumpta pro actu opinandi, sic definitur à Phil. 1. Post. text. 44. vel 194. *Affensus determinatus ad unam partem cum formidine alterius.* Per illam particulam *affensus*, convenit opinio cum alijs intellectus actibus, qui opinativi non sunt. *Per ly determinatus ad unam partem,*

differt à dubio, & suspicionem, quia dubitans rigorosè, in nullam partem inclinatur, sed apprehenso obiecto, manet indecisus ad instar interrogantis, quasi decisionem expectans, & suspicans, licet aliquantulum ad unam partem inclinetur, non tamen illi determinatè assentitur. Et per illam particulam *cum formidine*, differt opinio à scientia: quia cum motivum cui innititur assensus scientificus, sit omnino infallibile, & quod aliter se habere non potest, sicque cognoscatur ab intellectu, cognitio scientifica de aliqua re excludit

Q

om.

omnem formidinem de eo, quod res aliter se habeat, ac ipse cognoscit. E contra verò, cum opinio nitatur fundamento, etsi gravi, fallibili, saltem in existimatione, & in vi cuius non repugnat, conclusionem aliter se habere, ita elicit intellectus assensum determinatum circa vnam partem ob gravitatem motivi, ut simul formidat de veritate partis contrariæ ob motivi fallibilitatem.

2 Hæc formido est duplex, alia formalis, & signata; alia virtualis, & exercita. Formido formalis, & signata, est actus voluntatis, quo formidamus, ne fortè fallamur, præstando assensum motivo opinativo. Nam cum motivum opinativum, seu probabile, sit, ut infra videbimus, ut in plurius verum, & in paucioribus falsum, ita movet intellectum ad opinandum, rem ita esse, quia in plurius verum; quod quia ut in paucioribus falsum, fundet in voluntate timorem, ne forte res ita non sit, sicut fundamentum suadet. Et hæc formido non est de essentia assensus opinativi, saltem in recto, etsi illum comitetur.

Formido virtualis, & exercita, quæ est de essentia iudicij opinativi, consistit in ipso modo, quo actus tendit in obiectum, scilicet, in

firmè, trepide, exiguaque cum adhæsione: qui enim videt aliquod motivum non esse infallibile, & non solum speculativè, & metaphysicè, sed etiam practice, & physicè esse fallibile; & ita esse ut in pluribus verum, quod in paucioribus sit falsum, videt, tale motivum esse infirmum, ex aliquaque parte claudicare, consequenterque non esse dignum assensu perfecto, firmo, perfectèque adhæsivo; sed solum assensu infirmo, debili, & trepido. Ob quam causam in vitalis motivi non dicit absolute, & perfectè: *hoc ita est*, sed solum cum quadam restrictione, dicendo; *hoc mihi videtur ita esse*: ideòque opiniones vulgò dicuntur *los pareceres*. Traditam doctrinam livavi ex Ang. Præcep. qui explicans illa verba Phylo. lib. 2. de anima, tex. 153. *Opinari non est in nobis, verum enim, aut falsum dicere necesse est*; sic ait: *Cum aliquid intelligimus, asserimus sic esse, cum autem opinamur, dicimus, sic videri, ut apparere nobis*. Secundum quam doctrinam formido, quæ est de essentia assensus opinativi, non est actus voluntatis, sed consistit in ipsa imperfectione, & defectu adhæsionis, & firmitatis ipsius assensus.

3 Sed ut hæc melius percipiantur, est notandum, quod sicut dupliciter potest aliquis cognoscere, se aliquid scire, vel reflexione virtuali, & exercita, quatenus per ipsum actum, per quem rem scit, reflectitur supra ipsummet actum, & exercitè cognoscit, se scire: vel reflexione formali, & signata, cognoscendo per alium actum ipsum actum sciendi; sic etiam dupliciter potest aliquis dicere, *sibi hoc, aut illud videri*, vel reflexione virtuali, & exercita, cognoscendo exercitè, sibi videri rem ita esse per ipsummet actum, per quem cognoscit signate cum formidine rem ita esse: vel reflexione formali, & signata, cognoscendo per alium actum ipsum actum opinandi, seu ipsum actum, quo sibi exercitè videtur rem ita esse. Quando ergo D. Tho. explicat actum opinandi per illa verba, *sic videri, vel apparere nobis*, loquitur de reflexione virtuali, & exercita, non de signata, & formali: quia actus signatè, & formaliter reflexus, quo quis iudicat aliquid sibi videri, non habet pro obiecto rem, de qua est opinio, sed ipsum actum opinandi, nec est talis actus opinativus, sed evidens, quia cum quis opinatur, certo, & evidenter cognoscit, se opinari.

De opinione probabili in ordine ad licite iudicandum. Art. 7. 163

sive disputantibus, suam opinionem, & sententiam explicare absolute, & per verum *est*, non restrictè, & per verbum *videri*: ergo non est contra rationem opinionis dicere absolute, rem ita esse.

Ad hoc respondetur primò, Doctores, sive scribentes, sive disputantes explicare suas opiniones per verbum *est* cum formidine, dicere autem rem ita esse assensu formidoloso, est dicere exercitè rem sibi videri. Secundo dico, quod quando Doctores explicant suas opiniones absolute, & per verbum *est*, non loquantur de esse perfecto, & absoluto, sed de esse imperfecto, infirmo, & proportionato motivo ad affirmandum. Nam sicut esse reale rerum suscipit magis, & minus, & aliqua res habent magis de esse, quam alia, & Deus est suum esse; ita etiam esse intentionale suscipit magis, & minus, danturque in eo varij gradus essendi, quorum minor est opinativus. Quia propter quòdo Doctores opinantes dicunt absolute, aliquam rem ita esse, intelligendi sunt de esse restricto, & minimo, non de esse absoluto, & perfecto. Quam doctrinam tradit Probabilioristarum Princeps P. Antoninus Cellader in suo appendice, & iuxta illam intelligendi sunt N. PP. Salmant.

4 Sed dices, valde familiare esse Doctoribus, sive scribentibus,

mant. & complut. locis à N. Christ.
alleg. part. 2. de consc. q. 3. art. 2.
§. 1. n. 559.

§. II.

Explicatur quid sit probabile.

5. **P**robabile ergo iuxta D. Tho. 1. Ethicor. cap. 2. est idem ac *verosimile, seu apparens verum*, seu id, quod habet veritatis appariētiam. Hoc probabile dividetur in probabile per se, & probabile per aliud: probabile per se, est, quod per se, & ex ipsa apprehensione terminorum est tale; probabile per aliud, est, quod ex alio infertur. Nam sicut dantur aliquæ propositiones, quarum veritas est per se nota, & istæ dicantur veræ, & aliæ quarum veritas non est per se nota, sed ex alia per se nota infertur, & istæ dicuntur veræ per aliud, seu scibiles; sic similiter dantur aliquæ propositiones, quarum verisimilitudo est per se nota, ut hæc: *Mater diligit filium suum*, & istæ dicuntur verisimiles, seu probabiles per se, & dantur aliæ quarum verisimilitudo non est per se nota, sed ex alia per se nota infertur, & istæ dicuntur verisimiles per aliud, seu opinabiles. Probabile per se dicitur

etiam probabile activum, quia est principium probandi; & probabile per aliud, seu opinabile, dicitur probabile passivum, quia per aliud probari potest.

Vtrumque probabile agnovit, & mirifice explicuit Philos. lib. 2. Rhet. cap. 2. ubi sic ait: *Rationibus autem in fidem auditores inducimus, cum verum, aut vero simile ex probabilibus, quæ in unoquoque sunt, esse demonstramus.* Et iterum eodem capite. *Nam cum credibile cuidam credibile sit, & aliud quidem per se ipsum illico sit credibile, atque probabile, aliud quoniam propter talia videtur.* Et lib. 1. Rhet. cap. 2. sic etiam ait: *Probabile namque est, quod ferè semper fieri solet, verum non simpliciter, ut quidam definiunt, sed quod cum de his sit, quæ aliter se possunt habere, sic se habet ad aliud, ad quod est probabile, sicut universale, & particulare.* Ex quibus verbis evidenter constat, quam falsò, & contra mentem Philosophi definiant Probabilioristæ probabile particulare, seu opinabile, de quo nobis toto hoc opere præcipue est sermo, per *plerumque contingens*; Cum Philosophus per *plerumque contingens* solum definiat probabile per se, & quod sic se habet ad aliud ad quod est probabile, sicut uni-

universale, & probabile per aliud, solum appellat verum, intellige rationale, seu verosimile, quod ipsummet est, quod Probabilistæ dicunt. Si autem quis velit explicare opinabile per *plerumque contingens*, potest illud explicare per *plerumque contingens*, non absolute sed cum restrictione, & præcisè quantum ex vi sui motivi.

Quod confirmari potest ex ipso Philos. lib. 2. Prior. cap. 28. ubi ait: *Eicos est probabilis propositio, quod enim, ut in pluribus sciunt sic factum, vel non factum, aut esse, vel non esse, hoc est Eicos, ut odire invidentes, vel diligere amantes.* Ex quibus liquidd constat, quod propositio probabilis, quam definit Philosophus per *plerumque contingens*, est propositio probabilis universalis, & per se, ut sunt *diligere amantes, odire odientes.* Quare probabile activum iuxta Philos. constituitur in esse talis per *plerumque contingens*; probabile autem passivum seu opinabile per verisimilitudinem, seu appariētiam veritatis; aut si velis per *plerumque contingens*, non absolute, sed præcisè, quantum est ex vi sui motivi: quæ verisimilitudo, seu appariētia veritatis consistit in subiectione, & connexionione cum fundamento magno, & gravi, seu

probabili activè. Nam hoc ipso, quod aliquid habeat pro se principium simpliciter probabile, ut re ipsa est fundamentum magnum, & grave; quia hoc ipso, quod magnum, & grave sit, notabiliter connectitur magis cum veritate, quàm cum falsitate nequit non esse simpliciter probabile passive, seu opinabile: si quidem ut inquit Ang. Doctor opus. 48. cap. 1. *in omni materia existentibus veris, vel probabilibus premissis semper sequitur conclusio vera, vel probabilis.*

6. Hoc probabile passivum, seu opinabile, dividitur in probabile ab extrinseco, & probabile ab intrinseco: probabile ab extrinseco est, quod fundatur in gravi, & magna autoritate: probabile ab intrinseco est, quod solida, & magna nititur ratione. Sed crediderim, hanc divisionem non esse probabilis quoad esse; sed solum quoad cognoscit: nam opinio, quæ pro se non habet magnas, & graves rationes, non est simpliciter probabilis, etsi à mille Doctoribus probabilis appelletur. (Si fieri posset, quod opinio levibus nixa motivis tot Doctoribus placeret, mihi enim ferè impossibile videtur) Doctores namque non tribuunt opinioni probabilitatem, sed eam

in se habere testificantur. Dicitur tamē opinio aliquando probabilis ab extrinseco, aliquando ab intrinseco, quia eius intrinseca probabilitas aliquādo cognoscitur à priori, & ab intrinseco penetrando rationes, à quibus talis opinio habet esse probabilis simpliciter: aliquando verò cognoscitur à signo, & ab extrinseco, quia à viris aded doctis non defenderetur si non esset in se verè probabilis, gravibusq̄ rationibus suffulta: talis tamen opinio non est probabilis in se, quia pluribus viris doctis placet, sed ideo illis placet, quia est in se probabilis.

7 Rursus dividitur opinio probabilis, in opinionem speculative probabilem, & in opinionem practice probabilem. Opinio probabilis speculative, est illa, quæ versatur circa veritatem speculative, seu practice modo speculative, & in universali, sive in ordine ad cognoscendum, quod obiectum re ipsa est in se: Opinio probabilis practice est, quæ versatur circa veritatem practice obiecti modo pratico, seu circa veritatem practice obiecti, ut hic, & nunc occurrentis.

Alij dividunt opinionem practice, in tutam, & tutiorem: sed hæc divisio, loquendo de tutitate

formali, nobis non probatur, quia vel opinio excludit omnino peccatum, vel non? Si omnino non excludit peccatum, nullo modo erit tuta, etsi omnino illud excludit, omnino erit tuta, nec dabitur ipsa tutior alia.

8 Tandem probabile passivum dividitur in certo probabile, & in probabiliter probabile. Probabile certo, illud est, quod habet fundamenta certo gravia; probabiliter tantum probabile est, quod habet fundamenta, quorum gravitas, & magnitudo non est certa, sed tantum probabilis, & quæ ab aliquibus probabiliter negatur. Opinio ergo simpliciter probabilis illa est, quæ gravi, & solido nititur fundamento. Erit simpliciter probabilis quoad se, si quoad se fundamentum sit grave, & solidum; & erit simpliciter probabilis quo ad nos, si fundamentum nobis videatur verè magnum, & grave, post adhibitam debitam diligentiam, etiam si in se non sit verè magnum, & grave.

* *



AR.

ARTICVLVS II.

Virum opinio re ipsa falsa possit esse simpliciter probabilis?

§. I.

Vera sententia eligitur, & rationibus in auctoritate fundatis probatur.

9 **D**icendum est, opinionem re ipsa falsam posse esse simpliciter probabilem. Et probatur primò conclusio: si opinio simpliciter probabilis non posset esse re ipsa falsa, esset infallibiliter vera; hoc est falsum: ergo probatur minor primò: Si opinio simpliciter probabilis esset infallibiliter vera, probabile simpliciter tale non recte definiretur per plerumque contingens, sed deberet definiri per semper eveniens, & nunquam fallens; hoc est omnino falsum, ut patet: ergo Probatur secundo eadem minor: si opinio simpliciter probabilis esset infallibiliter vera, qui non haberet infallibilem certitudinem de veritate reali alicuius opinionis, non posset habere infallibilem certitudinem de illius probabilitate simpliciter tali; hoc est falsum:

ergo Probatur min. omnes Catholici habemus certitudinem infallibilem, ad minus de probabilitate simpliciter tali opinionis piæ, assertis Beatam Virginem Mariam fuisse sine peccato originali conceptam; & nihilominus non habemus certitudinem infallibilem de eius veritate reali: ergo Consequētia est legitima, maior certa, cum Ecclesia præcipiat exhibere cultū Conceptioni Virginis Mariæ determinatè secundum sententiam piam, ad quod ad minus requiritur, quod talis sententia sit simpliciter probabilis; & minor etiam est certa: quia nec est declaratum ab Ecclesia, nec ad est ratio infallibiliter convincens, Beatam Virginem Mariam fuisse sine peccato originali conceptam; licet hoc apud fideles ingenti certitudine iam gaudeat, ita ut obruat sententiam contrariam.

10 Probatur secundo conclusio ratione, qua evertitur vnum ex præcipuis adversariorum moti- vis: idè doctrina re ipsa falsa non potest esse simpliciter probabilis, quia doctrina re ipsa falsa non potest esse doctrina sana; hoc est falsum: ergo doctrina re ipsa falsa potest esse simpliciter probabilis. Probatur minor; doctrina re ipsa falsa potest edificare charitatem,

&

& eo perducere, quo perducit doctrina re ipsa vera; doctrina, quæ potest ædificare charitatem, & perducere, quo perducit doctrina re ipsa vera, est doctrina sana: ergo doctrina re ipsa falsa, potest esse doctrina sana. Consequentia est legitima, maior certa, & min. tradit expressè D. Aug. D. Hieron. D. Bern. D. Ant. D. Chris. vt vidimus supra quæst. 1. art. 5.

Probari etiam poterat hoc ipsū ex D. Aug. lib. 3. contra Cresconium cap. 75. vbi ait: *quia, & probabile, quando dicitur, non consequenter est verum, cum ea dicuntur, quæ fieri possunt, ac solent, & idè probantur, & creduntur, etiã si facta non sint.* Et ex D. Tho. 1. 2. quæst. 105. ar. 2. ad 8. vbi asserit, quod ad hoc, vt quis prudenter se gerat in negotijs humanis, sufficit probabilitas, secundum quam Rethor persuadet, quæ, est certum, quod non semper affert secum veritatem realem.

§. II.

Ratione probatur conclusio.

PROBATUR conclusio hac ratione: Opinio, quæ verè gravi, & solido nitatur fundamento, est simplici-

ter probabilis; stat, quod opinio re ipsa sit falsa, & quod verè gravi, & solido nitatur fundamento: ergo stat, quod re ipsa sit falsa, & quod sit simpliciter probabilis. Consequentia est legitima, maior certa, & minor probatur. Nā stat, quod opinio re ipsa falsa habeat vrgentiora, & graviora motiva, quam opinio re ipsa vera, cū stat, quod sit probabilior iuxta illud tritum Philosophi axioma: *plura sunt falsa probabiliora veris*: ergo stat, quod opinio falsa gravi, & solido nitatur fundamento.

Ad hanc rationem respondet P. Ant. Celladei lib. 2. de recta doctrina morū quæst. 9. neg. min. Quia si opinio est re ipsa falsa, eius fundamentum solum est grave ex ignorantia, & quod solum est tale ex ignorantia, non est tale simpliciter, sed solum secundum quid, & apparenter. Verum quidem est, quod motivum opinionis re ipsa falsæ potest graviter impellere, & magis quam motivum opinionis re ipsa veræ, intellectum doctissimorum virorum, sed cum hoc impulsu, & gravitate solum gaudeat ob ignorantiam, talis gravitas non est verè talis, sed solum secundum

De opinione probab. in ordine ad licite iudicandum. Art. 2. 169
secundum quid, & respectivè ad intellectum malè dispositum.

12 Sed contra: stat, quod aliquid sit tale ex ignorantia, & quod sit verè, & simpliciter tale: ergo stat, quod motivum sit magnum, & grave ex ignorantia, & quod sit verè magnum, & grave. Probatur antecedens primò; peccatum, cui causam dat ignorantia, est tale ex ignorantia; & nihilominus est simpliciter tale: ergo stat, quod illud, quod est tale ex ignorantia, sit simpliciter tale. Probatur secundò idè antecedens: Omne dubium est tale ex ignorantia, quia cum notitia de re non compatitur dubium, & nihilominus dantur plura dubia simpliciter talia: ergo idem, quod prius. Tertio, dubium probabile est tale ex ignorantia, & nihilominus est verè tale, & non solum apparenter: ergo stat, quod aliquid sit tale ex ignorantia, & quod sit simpliciter tale.

Laborat ergo in æquivoco hic Auctor, non distinguens inter esse aliquid ex ignorantia obiective, & inter esse aliquid ex ignorantia causaliter: tunc aliquid est tale ex ignorantia obiectivè, quando ex ignorantia iudicatur esse, quod re ipsa non est, vt quando ex ignorantia iudicatur verum aurū, quod verū aurū non est: & quod sic est

tale ex ignorantia, semper est tale secundum quid. Tunc autem aliquid est tale ex ignorantia causaliter, quando ignorantia alicuius alterius rei est causa, vt ipsum datur, nec potest dari nisi tali ignorantia præsupposita: sicut ignorantia veritatis est causa, vt detur dubium circa talem veritatē, nec potest dari hoc dubium, illa ignorantia non præsupposita: & quod sic est tale ex ignorantia, non semper est tale secundum quid; sed aliquando est tale simpliciter, vt cernere licet in dubio. Probabilitas autem opinionis falsæ in re, non oritur ex ignorantia primò modo sed secundo: Non enim est probabile, quia ex ignorantia veræ probabilitatis iudicetur probabile, quod probabile non est; sed est probabile ex ignorantia veritatis, cum quo benè stat, quod sit verè probabile, quia vera probabilitas consistit in apparientia veritatis, seu in verisimilitudine, & stat, quod aliquid habeat apparientiam veritatis, seu verisimilitudinem, quin habeat veritatem, quia stat, quod sit verum secundum quid, quin sit verum simpliciter: sicut stat, quod aliquid habeat veram apparientiam auri, & quod non sit verum aurū, vt aurichalcum, quod est aurum

apparenter, & non verè, sed est verum aurichalcum, quia veritas aurichalci consistit in vera apparentia auri: sic similiter opinio probabilis falsa solum est vera secundum quid, & quoad apparere, non simpliciter, & quoad esse; est tamen verè probabilis, quia vera probabilitas consistit in vera apparentia veri, seu in veritate tantum secundum quid.

§. III.

Refertur sententia contraria.

13 **C**ONTRA nostram sententiã sentit P. Antonius Celladei Probabilioristarum Princeps, loco §. præc. citato, & cum illo plures Probabilioristæ, nomine enim opinionis simpliciter probabilis eam solum intelligunt, quæ potest esse recta regula moralitatis, quod solū reperitur iuxta ipsorum principia in opinione re ipsa vera. Arguiturque primo pro hac sententia ex N. Christ. part. 2. quæst. 2. ar. 7. §. 1. Si doctrina re ipsa falsa posset esse simpliciter probabilis, plures ex propositionibus damnatis fuissent ante damnationem simpliciter probabiles; hoc est falsum: ergo Probatur minor; si ante damnatio-

nem fuissent simpliciter probabiles, ante damnationem fuissent recta regula moralitatis; hoc est falsum: ergo consequentia est legitima, maior videtur certa, & minor probatur primò: quia tales opiniones erant ante damnationem scandalosæ, & perniciosæ, ob hocque damnarunt eas Pontifices: ergo ante damnationem non erant recta regula moralitatis. Secundò: quia si illæ opiniones, seu propositiones essent ante damnationem recta regula moralitatis, earumque praxis esset honesta, & meritoria, decretum Pontificium reddens illas scandalosas, & perniciosas, non esset salubre, sed noxium: ergo Tertio; quia si præcisa damnatione erant recta regula moralitatis, qui illas in praxi amplectebatur, gradiebatur per viam rectam; huic oppositum supponit Pontifex, illas damnando, nam illas damnat, *ut à via lata, & spatiosa, que ducit ad perditionem, oves sibi creditas in rectam semitam evocaret: ergo.*

Ad hoc argumentum respondetur, quod tales propositiones erant ante damnationem scandalosæ, & perniciosæ materialiter, non formaliter, quia earum pernicietas, & scandalum invincibiliter ignorabatur.

rabatur. Quod autem sint propositiones perniciosæ, & scandalosæ materialiter, non tollit, quod sint simpliciter probabiles, & recta regula morum, quoties talis pernicietas, & scandalum invincibiliter ignoratur. Licet enim pernicietas, sicut, & falsitas cognita pugnet cum probabilitate simpliciter tali, non tamen, ut invincibiliter ignorata. Quod instatur evidenter: nam si hostia, quam elevat Sacerdos, non est rite consecrata, doctrina asserens, talem hostiam esse dignam adoratione, est materialiter non solum falsa, sed hæretica, & nihilominus talis doctrina est recta regula, & actus ea regulatus evadit positivè meritorius, nisi aliunde vitietur. Similiter: iudicium, quo B. V. Maria iudicavit probabiliter, puerum Iesum esse in comitatu, fuit re ipsa obiectivè falsum, & nihilominus tale iudicium fuit simpliciter probabile, & simpliciter meritorium. Instari etiã potest in materia obedientiæ, & tandem instatur: nam quod doctrina sit tuta pugnat cū eo, quod sit scandalosa, & perniciofa; & nihilominus stat, quod doctrina sit re ipsa, & materialiter scandalosa, & perniciofa, & quod formaliter sit tuta: ergo similiter stabit optimè, quod doctrina sit

materialiter scandalosa, & quod sit formaliter recta; Maximè cum implicatoriū sit, ut vidimus quæst. 1. art. 3. dari regulam tutam, quæ non sit recta formaliter. Consequens est legitima, & maior ab omnibus conceditur.

Ad secundam probationem respondetur, neg. antecedens: quia licet illæ propositiones ante damnationem essent recta regula, non erant recta regula, tam materialiter, & obiectivè, quam formaliter; sed solū formaliter, & quādo propositiones solum sunt recta regula formaliter, & supposita ignorantia invincibili, & errore, decretum manifestans talem errorem, ut dictæ propositiones nequeant esse ultra regulam, est decretum saluberimum.

Ad tertiam probationem respondetur; quod licet illæ propositiones ante damnationem essent via recta, erant tantum formaliter, & supposito errore invincibili, non tamen materialiter, & obiectivè; ideoque qui per illam gradiebantur, ita ibant per viam rectam formaliter, quod irent per viam latam materialiter, & obiectivè, & quæ illos in perditionem duceret, nisi ignorantia excusaret, ob quod corrigendi erant. Doctrina huius, & præcedentis probationis

tionis est expressa D. Aug. lib. 1. de doctr. Chr. cap. 36. his verbis: *Sed quisquis in scripturis aliud sentit, quam ille, qui scripsit, illis non mentientibus, fallitur. Sed tamen, ut dicere ceperat, si ea sententia fallitur, que edificat charitatem, que finis precepti est, ita fallitur, ac si quisquam errore defferens viam, eo tamen per agrum pergat, quo etiam via illa ducit. Corrigen- dus est tamen, & quam sit utilius viam non defferere demonstrandum est, ne consuetudine deviandi etiam in transversum, aut perversum ire cogatur.* Hucusque D. Aug. ubi nostram doctrinam expresse tradit.

14 Arguitur secundo ex Celadei: apparientia veri, quæ solum est gravis relate ad intellectum, nõ relate ad obiectum, est gravis tantum secundum quid; sed apparientia veri, quæ est in motivo ad suadendum falsum, est solum gravis relate ad intellectum, non relate ad obiectum, cum sit falsa: ergo apparientia veri, quæ est in motivo ad probandum falsum, solum est gravis secundum quid. Consequentia est legitima, maior certa: quia gravitas motivi præcipue specificatur ab obiecto. Et min. probatio in illa est inclusa: quia si apparientia veri ad probandum falsum esset gravis relate ad obiectum,

apparientia, quam hæreticus habet de veritate sui erroris, esset gravis relate ad obiectum, & consequenter simpliciter.

Ad hoc argumentum responderetur, negando suppositum maioris, supponit namque, posse aliquod motivum esse grave quoad intellectum, quin sit grave quoad obiectum, quod est omnino falsum: nam motivum dicitur grave respectivè ad intellectum, quia illum graviter movet, & dicitur grave relate ad obiectum, quia illud vividè, magnaque cum apparientia veri representat, & fieri nõ potest, quod motivum vividè representet obiectum intellectui, & quod illum graviter non moveat, aut quod graviter moveat intellectum ad assensum, motivum, quod non representat obiectum vividè, magnaque cum apparientia, cum non aliter moveat graviter intellectum ad assensum, nisi illi vivaciter representando obiectum: nec solet esse minus vivida representatio obiecti re ipsa falsi, ac obiecti re ipsa veri, consequenterque sive obiectum sit re ipsa verum, sive falsum, potest motivum stans pro illo esse grave tam relate ad intellectum, quam relate ad obiectum.

Ad illud, quod dicitur de apparientia, quam hæreticus habet

de

de veritate sui erroris, dico, quod vel laborat ignorantia invincibili, vel non? Si non laborat ignorantia invincibili, sed vincibili, talis apparientia non est simpliciter gravis nec quoad intellectum, nec quoad obiectum: quia non est gravis ex se, & antecedenter, sed solum consequenter, nec graviter movetur ad præstandum assensum suæ hæresi ex meritis motivi repræsentati; sed ex pravo, & obstinato affectu suprente merita motivi. Si autem hæreticus laborat ignorantia invincibili, dicta apparientia est magna, & gravis tam respectivè ad obiectum, quam respectivè ad intellectum, saltem quo ad ipsum hæreticum. Vide Lùbier circa prop. damnat ab Innocentio 11. n. 161.

15 Arguitur tertio: onus, quod solum est aliquibus grave ex mala eorum dispositione, non est simpliciter grave sed solum secundum quid; sed onus grave solum ex ignorantia, aut errore, est onus grave solum ex prava dispositione, cum ignorantia, & error sint prævæ dispositiones intellectus: ergo onus grave ex ignorantia, aut errore non est onus grave simpliciter. Sed motivum pro oppositione falsa solum est grave ex ignorantia aut errore: ergo motivum pro opinione falsa non est

grave simpliciter. Et quidè si motivum ex ignorantia, aut errore grave, est grave vere, & simpliciter, non erit cur, motivum ex ignorantia certum non sit simpliciter certum.

Ad hoc argumentum responderetur, distinguendo maiorè: onus grave materiale, concedo maiorè: onus grave intellectuale, nego maiorem. Et concessa minori, negatur Consequentia: quia onus grave materiale non petit essentialiter esse tale ex mala dispositione: secus verò onus grave intellectuale: quia hoc quoad vim, & gravitatem suam, nequit esse in bene dispositis, in habentibus, scilicet, scientiam de veritate. Et licet onus, quod non petit essentialiter esse grave ex mala dispositione, aut quod essentialiter non petit esse in male dispositis, sit secundum quid grave, quando solum est grave ex mala dispositione; secus verò quando petit essentialiter esse tale ex mala dispositione. Instatia est clara indubio, quod semper est tale ex mala dispositione, ignorantia, scilicet, quim ex hoc sequatur, quod non possit esse simpliciter grave, & consequenter motivum ad dubitandum pro vtraque parte, non obstante, quod vnum ex motivis sit re ipsa falsum. Vel dici potest, quod licet onus

Tt

gra-

grave ex ignorantia circa ipsam gravitatē, non sit simpliciter grave, secus verò quando non est grave ex ignorantia circa ipsam gravitatem oneris, sed ex ignorantia circa veritatem.

Ad illud, quod dicitur de motivo certo ex ignorantia, respondeo, quod dato, motivum in re falsum posse ita crescere in gravitate, ut pertingat usque ad certitudinem, tale motivum est certum ex ignorantia obiectiva, seu est certum ex ignorantia veræ certitudinis quia vera certitudo consistit in adhæsiōe intellectus ad verū, & consequenter non est certum simpliciter, sed tantum secundum quid. Et ratio est: quia motivum non solum incertum, & fallibile, sed determinate falsū iudicari certum, & infallibile, est iudicari certum, & infallibile ex ignorantia veræ certitudinis, & infallibilitatis, & consequenter est iudicari certum ex ignorantia obiectiva.

16 Sed replicabis: ergo motivum falsum iudicari infallibile, est iudicari infallibile ex ignorantia obiectiva, seu ex ignorantia veræ infallibilitatis: ergo motivum nullum iudicari grave, erit iudicari grave ex ignorantia veræ gravitatis, consequenterque ex ignorantia obiectiva: quia motivum re

ipsa nullum non est, re ipsa verè grave.

Ad hanc replicam respondetur, conc. 1. cons. distinguendo consequens: motivum nullum tã scientificè, quam probabiliter, iudicari grave, est iudicari grave ex ignorantia veræ gravitatis, concedo consequentiam: motivum nullum scientificè, grave tamen probabiliter, est iudicari grave ex ignorantia veræ gravitatis, sub disting. conseq. Ex ignorantia veræ gravitatis scientificæ, seu infallibilis, concedo consequentiam. Ex ignorantia veræ gravitatis absolute, nego consequentiam. Quia dupliciter potest motivum esse grave, & esse nullum: nam potest esse grave per se, & potest esse grave tantum ex suppositione, & substitutivè: motivum grave per se, & proprietariè, est motivum certum, infallibiliterque connexum conclusionem: motivum grave ex suppositione, & tantum substitutivè, est motivum probabile, quia hoc solum est grave in absentia motivi veri, & gravis per se. Et similiter aliquod motivum est nullum nullitate opposita utriusque gravitati, quia nec in absentia, nec in presentia est grave, & aliquod motivum est, quod licet sit nullum in presentia veritatis, non tamen in absen-

absentia: quia licet non habeat veritatem, habet tamen veritatis appariētiā, quæ in defectu veritatis pro illa substituit. Quando motivum utraque nullitate nullum, iudicatur grave, est grave secundum quid, quia est grave ex ignorantia obiectiva totius veræ gravitatis; at quando motivum solum est nullum nullitate infallibili, & iudicatur grave gravitate fallibili, licet iudicetur grave ex ignorantia veræ gravitatis infallibilis, quia solum est grave in absentia istius, non tamen iudicatur grave ex ignorantia obiectiva, quia verè est grave fallibilitèr, sicut iudicatur. Et hinc sumitur maior ratio disparitatis inter motivum falsum iudicatum certum, & iudicatum probabile: nam certitudo verè talis essentialiter excludit ignorantiam veritatis, gravitas autem verè talis motivi illam essentialiter non excludit, & consequenter licet repugnet vera certitudo ex veritatis ignorantia, non tamen repugnat vera gravitas.

17 Arguitur quartò: ratio, quæ est purum sophisma, non est verè gravis; ratio confirmans falsum, est purum sophisma: ergo ratio confirmans falsum non est verè gravis. Probatur minor; ratio confirmans falsum, apparet vera,

& non est vera; ratio, quæ apparet vera, & non est vera, est purum sophisma iuxta Philos. ergo.

Ad hoc argumentum satis sophisticum respondetur conc. mai. negan. min. Et ad eius probationem distingo min. est purum sophisma ei, qui certò scit non esse veram, sed falsam, concedo minorem; hoc ignoranti, nego minorem, & consequentiam. Nam ratio, quæ apparet vera, & non est vera, potest comparari, & ad intellectum sophisticæ sciētis esse nullam, & falsam; & ad intellectum alterius talem nullitatem ignorantis: si comparetur ad intellectum sophisticæ, est purum sophisma, quia respectu illius nec est vera, nec est probabilis, cum sciat illius nullitatem, in cuius scientiæ conspectu perit probabilitas. Si autem talis ratio comparetur ad intellectum ignorantis falsitatem talis motivi, non est purum sophisma, sed ratio verè probabilis, adeòque graviter movens ad assensum, tum ob positivam suam appariētiā, tum ob carentiam rationis fortis in contrariam partem, ut imprudens esset, qui in conspectu illius dissentiret: & ratio sic fortiter movens intellectum, respectu illius non est sophistica, sed verè probabilis.

Secundò, & melius responde-

tur, distinguendo eandem minorem: ratio, quæ apparet vera, & non est vera, est purum sophisma, si apparet vera apparetia vera, nego minorem: si apparet vera apparetia ficta, concedo minorem, & nego consequentiam. Nam aliquæ rationes sunt, quæ etsi non sint veræ, habent tamen veram apparetiam veritatis: alie sunt, quæ nec sunt veræ, nec habent veram apparetiam veritatis: illæ, etsi non sint veræ, sunt verè probabiles; istæ nec sunt veræ, nec verè probabiles, & consequenter sophisticæ. Quare cum Philosophus dicit, esse purum sophisma rationem, quæ apparet vera, & non est vera, intelligendus est de ratione, quæ apparet vera apparetia falsa, orta ex aliqua fallacia, non de ratione, quæ apparet vera, vera apparetia veritatis.

18 Quintò arguit Celadè præcipuè contra opiniones probabiles ab extrinseco: implicat, quod duæ opiniones oppositæ habeant pro se peritiam, & scientiam Auctorum illas docentium: ergo implicat, quod sint probabiles: quia probabilitas ab extrinseco fundatur in peritia, & scientia Auctorum opinionem tradentium; Probatur autecedens: una ex illis necessario est falsa: ergo non potest

utraque supponere peritiam, & scientiam in Authoribus illam tradentibus: quia opinio falsa non supponit peritiam, sed potius imperitiam, cum procedat ex ignorantia.

Ad hoc argumentum respondetur, distinguendo antecedens: implicat, quod duæ opiniones oppositæ habeant pro se peritiam, & scientiam de veritate reali, concedo autem peritiã, & scientiã de veritate rationali, seu de probabilitate, nego antecedens, & consequentiã. Vel alijs terminis: peritiam, & scientiam, sumpta scientia pronotitia evidenti, concedo antecedens: sumpta scientia pro bona dispositione intellectus ad res humano modo percipiendas, nego antecedens. Nam, ut aliqua opinio sit probabilis ab extrinseco, non requiritur, quod Auctor illam tradens habeat notitiam evidenter de re, aut quod præsumatur, illam habere, sed sufficit, quod habeat notitiam certam de probabilitate, & veritate rationali rei, seu quod possit præsumi, esse benè dispositum, ad res humano modo percipiendas. Et licet in Authoribus contrarias opiniones docentibus non possit præsumi certa notitia de veritate rei, cum vnus re ipsa fallatur; potest tamen in utroque præsumi certa noti-

De opinione probab. in ordine ad licite iudicandum. Art. 3. 177
notitia de probabilitate rei, seu de illius veritate rationali: quia licet veritas realis non possit reperiri in utroque extremo contradictionis, benè tamen veritas rationalis.

ARTICVLVS III.

Virum duplex opinio opposita possit esse simul simpliciter probabilis eidem intellectui.

§. I.

Affirmatiua Sententia eligitur, & rationibus in auctoritate fundatis probatur.

19 **D**icendum est, posse duplicem opinionem oppositã esse simul simpliciter probabilem respectu eiusdem intellectus. Hanc sententiã tenent omnes Probabilistæ, qui sunt omnes fere Theologi, quos sequuntur N. Curs. moralis innumeris in locis, in quibus ita adhæret vni parti, ut oppositam dicat verè probabilem, & in praxi tutã. Etiam N. Sapientissimi P. P. Salmati. pluribus in locis, & præcipuè tract. 11. disp. 1. dub. 6. nu. 107. vbi postquam num. 98. proposuerunt tertiam conclusionem af-

ferentem moralitatem obiectivã proximam consistere in quadam ratione intrinseca obiecto, & consequenter adhæserant huic sententiæ, ut simpliciter probabilis, hæc habent verba: *Resolutioni huius dubij quantum ad tertiam assertionem non ita adheremus, quin ut æquè, vel fere æquè probabilem admittamus alium dicendi modum, constituentem moralitatem obiectivam in denominatione extrinseca.* Vide quomodo dicti P. P. præstant assensum vni extremo ut simpliciter probabilis in conspectu oppositi sibi æquè, aut fere æquè probabilis. Sentiunt ergo, non solum vnã opinionem esse simpliciter probabilem in conspectu oppositæ æquè, aut fere æquè probabilis, sed etiam posse intellectum illi licite assentiri, quod plus est, quam nunc intendimus.

Tum etiam disp. 7. dub. 2. vbi ita adhærent sententiæ D. Tho. assentientis non dari actus indifferentes in individuo, ut nu. 27. dicant, negari non posse opinionem oppositam esse probabilem, saltem ab extrinseco, ita ut, qui illi velit accommodari, non peccet, consequenterq; sentiunt, esse simpliciter probabilem: opinio namque, quæ non est simpliciter probabilis, non excusat eam illa ope-

rantem à peccato. Et trac. 20. disp. 1. dub. 7. num. 110. vbi sic aiunt: Hoc verò admissò, adhuc non infertur, quod absolute possit; sed dumtaxat sequitur, esse probabile, & credibile fide humana fallibili, quod Pontifex possit talem dispensationem conferre. Id verò minime negamus, sed plane concedimus, contrariam nobis opinionem, probabilem esse saltem ab extrinseco ob tot Autorum ipsi subscribentium multitudinem. Et Paulo inferius: ut enim Pontifex licet, & prudenter se gerat in dispensando, sufficit, quod sequatur dictamen opinionis probabilis, qualis est affirmans. Et opinio, quæ sufficiens est ad formandum prudens dictamen, non est simpliciter improbabilis, sed esse debet simpliciter probabilis. Quare si opinio affirmans horum, Patrum iudicio est sufficiens ad formandum prudens dictamen, est eorum iudicio simpliciter probabilis non obstante, quod oppositam teneat ut probabiliore. Et paucis interiectis: Idque inductive potest manifestari in dispensationibus, & dispositionibus Pontificijs circa alias materias, in quibus solent concurrere opiniones contrarie probabiles. Nam potest quamlibet sequi, eamque sequens non desinit, nec damnat contrariam. Quid pro Pro-

babilismo clarius? Et Probabiliorismo quid magis adversum? Nam iudicio horum Patrum quando occurrit duplex opinio contraria probabilis circa aliquam rem, quælibet potest teneri: ergo iudicio illorū vtraque est simpliciter probabilis, nam si vna tantum ex illis esset simpliciter probabilis, non posset pro libito teneri quælibet, sed hæc solum deberet defendi, cū solum possit defendi opinio simpliciter probabilis. Rursus: horum Patrum iudicio ex duplici opinione contraria, quælibet potest teneri; non quælibet est probabilior altera: ergo potest teneri quælibet eorum iudicio, etsi non sit probabilior altera. Non potest teneri, si non sit simpliciter probabilis: ergo eorum iudicio quælibet ex illis est simpliciter probabilis, etsi non sit probabilior, sed vel æquè, aut minus probabilis altera.

Et eodem tract. disp. 3. dnb. 8. vbi ex professo explicant probabilitatem tam ab extrinseco, quàm ab intrinseco omnino ad mentem Probabilistarum, ipsis citatis. Et ad nostrum intentum specialiter faciunt illa verba, quæ initio dubij proferunt, & sic se habent: Verbi causa, hæc propositio, si Adam non peccasset, Deus non assumpsisset carnem, tantum est probabilis, siue

De opinione probab. in ordine ad licite iudicandum. Art. 3. 179
siue opinativa, seu non excludens formidinem, ac proinde nec probabilitatem partis contrarie: quia non occurrunt motiva, quæ illam omnino convincant: ergo iuxta istos Patres probabilitas vnius partis non excludit, & destruit probabilitatem partis contrarie, sed illam secum permittit. Consequenterque possunt duæ opiniones oppositæ esse simul probabiles eidem intellectui. Missas facio alias dictorum Patrum autoritates: nam datæ sufficiunt, ne quis cordatus de eorū mente in hac parte dubitet. Maxime, cum oppositam numquam, vel leviter insinuaverint.

20 Probatur ergo primò nostra conclusio autoritate Ecclesiæ: Nam Ecclesia in diversis concilijs approbat, & recipit ut tuta, dignaque, ut à fidelibus sine periculo erroris, & peccati teneantur, plurium Sanctorum Patrum opera, ut, D. Hylarij, D. August. D. Ambr. D. Athanas. Basil. & aliorum: maxime in quinta Synodo Gener. Vbi hæc habentur verba: Et suscipimus omnia, quæ de recta fide, & condemnatione hereticorum exposuerunt. Et Conciliū Valentian. sub Leone IV. cap. 10. sic ait: Indubitanter Doctoribus piè, & rectè tractantibus verbum veritatis, ipsi que Sacra Scriptura lucidis-

simis Expositoribus, idest Cypria. Hilar. Ambros. Hierony. August. ceterisque in Catholica pietate quiescentibus reverenter audium, & ob temperanter intellectum submitimus, & quæ ad salutem nostram scripserunt amplectimur.

Ex quibus autoritatibus hæc invincibilis conficitur ratio pro nostra sententia. Non est digna approbatione Ecclesiæ, sed potius reprobatione, & contemptu, doctrina, quæ non est simpliciter probabilis, sed potius simpliciter improbabilis, & falsa, cum non possit defendi sine peccato; Ecclesia approbat omnia, quæ continentur in operibus D. Hierony. D. August. & aliorum Sanctorum Patrum: ergo omnia, quæ in dictis operibus continentur, sunt simpliciter probabilia iudicio Ecclesiæ, non simpliciter improbabilia. Sed in dictis operibus, maxime Hierony. & D. Augustini continentur plures sententiæ oppositæ, & inter se pugnantibus circa res fidei, & Scripturæ Sacræ quoad germanum illius sensum, ut testatur Eminentiss. Card. de Aguirre tomo 1. Theolog. S. Anselmi disp. 2. sect. 5. nu. 38. ergo sententiæ oppositæ, & inter se pugnantibus sunt iudicio Ecclesiæ simpliciter probabiles.

21 Explicatur hoc amplius, addu-

adducendo in medium unū exemplum; D. August. 2. super Genes. ad liter. & alijs in locis sentit, septem dies, in quibus univēsum hoc creatum est, esse unum diem, reliquis Patribus, & expositoribus oppositam sentientibus. Quo supposito exemplo, hanc formam rationem: Ecclesia optimē vidit, sententiam D. August. esse minus probabilem, vel saltem non esse magis probabilem, quā ceterorum Patrum, & expositorum sententia; & nihilominus illi visa non fuit talis sententia simpliciter improbabilis, & falsa, dignaque proinde reprobatione, & contemptu; sed simpliciter probabilis, & sine periculo erroris, & peccati eligibilis: ergo sententia iudicio Ecclesie minus, aut æquē probabilis, quam opposita, est illius iudicio simpliciter probabilis.

Si dicas, sententiam D. August. visam fuisse Ecclesie probabiliorē opposita, adhuc non effugies difficultatem: nam opposita Sanctorum Patrum, & expositorum sententia visa fuit per te minus probabilis, quā sententia D. August. & nihilominus non visa fuit illi simpliciter improbabilis, falsa, dignaque reprobatione, & contemptu; sed simpliciter probabilis, cum eam approbaverit ut tu-

tam, & sine periculo erroris, aut peccati eligibilem: ergo sententia, quæ iudicio Ecclesie est minus probabilis, quam opposita, est illius iudicio simpliciter probabilis.

Rursus sententia, quæ ab aliquo non habetur ut simpliciter probabilis, sed ut simpliciter improbabilis, & falsa, non est digna, ut ab illo serio, & maturo iudicio approbetur, sed potius ut reprobetur, ut potē suo iudicio periculo erroris, & peccati exposita; utraque inter se pugnant sententia serio, & maturo iudicio approbata fuit ab Ecclesia, ut simpliciter probabilis in dictis concilijs: ergo utraque sententia habita ab Ecclesia fuit, ut simpliciter probabilis, alias serie approbaret, & traderet fidelibus sententiam suo iudicio falsam, & quæ sine peccato non potest suo iudicio teneri.

22 Probatur secundò nostra conclusio ex Sixto IV. Nam cum in Regno Aragonie anno 1482. magna esset exorta contentio inter Thomistas, & Scotistas circa prosum, quæ sic Santissimam Virginem affatur: *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquam foret tanto digna filio*; resque ad dictum Pontificem de lata foret post maturum, prudensque examen quid pronuntiavit? Pronuntiavit non-

ne,

ne, Scotistarum sententiam esse falsam, & improbabilem simpliciter? Minimè, sed dixit, ut videre est in litteris Apostolicis apud Patrem Alonsum Fernandez in concertatione prædicatoria contra hereticos, utramque opinionem circa motivum incarnationis pietati, fidei, authoritatibus, & rationibus subsistere, cōsequenterq; tenendos esse illos versus, utpote probabilium Thomistarum opinioni inixos: *Cumque* (verba sunt Sixti IV.) *priori opinioni versus illi innitantur, dicimus, quidquid contra dictos versus atentatum fuit, temerarium, presumptuosum, & pena dignum, presumpsum fuisse, tamquam contra opinionem à Doctoribus Catholicis positam.* Vide N.N. Salmant. Scol. tract. 17. disp. 9. dub. 4. §. 3. nu. 66. & 87. Et si visum fuit Sixto IV. temerarium, præsumptuosum, & poena dignum, quidquid contra illam Thomistarum sententiam præsumptum fuit, quia est opinio à Doctoribus Catholicis posita: quid diceret de eo, quod ab aliquibus Antiprobabilistis, seu Probabilioristis atentatum est contra Probabilismi opinionem à Catholicis univēsaliter receptam, utpote Thomistis, Scotistis, & Iesuistis communem.

Ex qua autoritate sic arguo

primò: opinio, quæ pietati, fidei, authoritatibus, & rationibus subsistit, est simpliciter probabilis; utraque opinio contraria circa motivum incarnationis simul visa fuit Sixto IV. pietati, & fidei, authoritatibus, & rationibus subsistere: ergo utraque simul visa fuit illi simpliciter probabilis. Probatur minor: talis opinio teneri potest sine periculo peccati, alias non subsisteret pietati; teneri etiā potest sine periculo erroris in fide, alias non subsisteret fidei: ergo est simpliciter probabilis.

Secundò: opinio, quæ hic, & nunc nō videtur alicui simpliciter probabilis, sed simpliciter improbabilis, & falsa, non videtur illi hic, & nunc digna approbatione, & laude, sed reprobatione, & contemptu; sed utraque opinio contraria iam dicta simul visa fuit Sixto IV. digna approbatione, & laude, & utramque de facto approbabit, & laudavit, nec magis approbabit opinionem Thomistarum, quam censuit simpliciter probabilem, quam Scotistarum: ergo utraque simul visa fuit illi simpliciter probabilis. Maior est ab omnibus recepta: minor constat ex Sixti IV. verbis, & consequentia legitime infertur.

Tertiò: Summus Pontifex declaravit,

clatavit, licere electionem, & usum talis opinionis Thomisticæ ad fidem expectantis, consequenterque declaravit, esse simpliciter probabilem; (non enim licet electio, & usus opinionis, quæ simpliciter probabilis non est) quia talis opinio pietati, fidei, rationibus, & autoritatibus subsistit, estque proinde à Catholicis Doctoribus posita: ergo iudicio Pontificis, ut aliqua opinio sit licite eligibilis in conspectu alterius, consequenterque simpliciter probabilis, sufficit, quod sit à Doctoribus Catholicis posita; sed utraque est à Doctoribus Catholicis posita: ergo utraque eius iudicio est simpliciter probabilis: ergo ut aliqua opinio sit licite eligibilis, sufficit, quod pietati, fidei, rationibus, & autoritatibus subsistat; sed utraque Pontificis iudicio pietati, fidei, rationibus, & autoritatibus subsistit: ergo utraque eius iudicio est licite eligibilis.

Quartò: opinio, quam Summus Pontifex declaravit, esse simpliciter probabilem, ab omnibus haberi debet, ut simpliciter probabilis: ergo si Summus Pontifex declaravit, Thomisticam opinionem esse simpliciter probabilem, ab omnibus haberi debet, ut simpliciter probabilis; sed talis opinio

Thomistarum circa motivum incarnationis pluribus Probabilioristis est minus probabilis: ergo nolint, velint Probabilioristæ, inter quos eminent meritò, caputque erigit P. Tyrus, debent habere ut simpliciter probabilem opinionem, quæ suo iudicio est minus probabilis.

23 Explicatur, & urgetur amplius hoc ipsum: nullus iudicare potest, opinionem Thomisticam circa motivum incarnationis non esse simpliciter probabilem in conspectu oppositæ, cum in conspectu oppositæ, quæ Pontifici simul occurrit, & omnibus hinc inde ritè perpensis, illam declaraverit Pontifex simpliciter probabilem; potest quis eligere, & amplecti opinionem contrariam in conspectu opinionis Thomisticæ sine periculo erroris, aut peccati, & defacto illam amplectuntur aliqui ex Probabilioristis: ergo in conspectu opinionis Thomisticæ, quæ ab omnibus haberi debet, ut simpliciter probabilis, potest quis sine periculo erroris, aut peccati, oppositam amplecti. Nō potest quis sine periculo erroris, aut peccati, amplecti opinionem, quæ non iudicat simpliciter probabilem: ergo si potest quis amplecti opinionem Scotistarum in cons-

conspectu Thomisticæ sine periculo peccati, aut erroris, potest iudicare illam simpliciter probabilem in conspectu Thomisticæ quæ ab omnibus haberi debet ut simpliciter probabilis.

Rursus: vel Pontifex iudicavit, opinionem Scotistarum esse simpliciter improbabilem in conspectu Thomisticæ, quæ visa est illi simpliciter probabilis, vel iudicavit, esse simpliciter probabilem? Si hoc secundum dicant adversarij, habeo intentum, quia iam concedunt, utramque opinionem simul visam fuisse Pontifici simpliciter probabilem. Si dicant primum: peto ab eis, an ipsi etiam habeant opinionem Scotistarum, ut simpliciter improbabilem in conspectu Thomisticæ, vel non? Si illam habent ut simpliciter improbabilem, quomodo à pluribus ex illis amplectitur? Etsi habetur ab eis ut simpliciter probabilis, rursus inquirō, an ita habeatur ab eis ut simpliciter probabilis in conspectu Thomisticæ, ut simul habeant hanc ut simpliciter probabilem, vel ita ut Thomistica iudicetur ab eis in conspectu alterius simpliciter improbabilem? Si dicatur primū, habeo intentum. Si dicant secundum, ut temerarij reiiciendi erunt, cum contra declarationem Pontificis

iudicent opinionem Thomisticam in conspectu oppositæ, simpliciter improbabilem, falsam, dignamque reprobatione, & contemptu.

§. II.

Prosequitur assumpti probatio ab autoritate.

24 **P**robatur quartò nostra conclusio autoritate D. Aug. lib. 2. Retract. cap. 26. ubi ait: *In quo libro, quod dixi ex Abraham capisse gentem Hebraorum, est quidē, & hoc credibile, ut Hebrei velut Habraei dicti esse videantur: sed ex illo verius intelliguntur appellati, qui vocantur Heber, tamquam Heberei.* Ex quibus verbis clarè vides, D. Augustinum ita iudicare unam opinionem esse veriorē, & probabiliorē, ut oppositam non dicat esse falsam, & simpliciter incredibilem sed credibilem: ergo iudicio D. Augustini utraque opinio est credibilis penes magis, & minus.

Et cap. 28. eiusdem libri sic ait: in lib. 7. de *vasis aureis, & argenteis in domo magna constitutis sensum Cypriani sequutus sum, qui hoc accepit in bonis: in malis autem lignea, & fictilia, ad illa referens, quod dictum est: alia quidē*

dem in honorem: ad hoc autē quod dictum est: alia verò in contumeliam. Sede magis approbo, quod apud Tyconium postea reperi, vel adverti, in utrisque intelligendum, quedam in honorem, non sola, scilicet, aurea, & argentea: & rursum in utrisque, quedam in contumeliam, non utique sola lignea, & fictilia. Quibus in verbis D. Augustinus non vnam opinionem approbat, & aliam reprobatur, sed utramque approbat, vnam tamen plus, quam aliam: consequenterque utramque iudicat simpliciter probabilem, seu approbabilem; non enim est approbabile, sed reprobabile, ut falsum, quod simpliciter probabile non est; vnam tamen altera approbabilior.

Et lib. 1. Retract. cap. 21. ait: in hoc libro dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in petra fundata sit Ecclesia: qui sensus etiam cantatur ore multorum in verbis B. Ambrosii, ubi de Gallo gallinaceo ait: hoc ipsa petra Ecclesia canente, culpam diluit. Sed scio me postea sepius sic exposuisse, quod à Domino dictum est ei: tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, ut super hanc intelligatur, quam confessus est Petrus dicens: tu es Christus Filius Dei vivi: ac si Petrus

ab hac petra appellatus, personam Ecclesie significet, que super hanc petram edificatur, & accepit claves Regni Cælorum. Non enim dictum est illi, tu es petra; sed tu es Petrus, petra autem erat Christus: quam confessus similiter, sicut cum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum, que sit probabilior eligat lector. Vide quomodo D. Augustinus duplicem opinionem contrariam à se probabiliter traditam refert, quam probabilitatem hic non reprobatur, sed illa in utraque supposita, excessum vnius præ alia iudicio lectoris remittit.

Et tandem in eodem lib. cap. 23. ait: Quod autem ait: inquam, scimus, quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato: satis ostendit non posse impleri legem nisi à spiritualibus, quales facit gratia Dei. Quod utique non ex persona Apostoli accipi volui, qui iam spiritualis erat; sed hominis sub lege positi, non dum sub gratia; sic enim prius hæc verba sapiebam, que postea, lectis quibusdam divinorum tractatoribus eloquiorum, quorum me moverat autoritas consideravi diligentius, & vidi, etiam de ipso Apostolo posse intelligi, quod ait: scimus quoniam lex spiritualis est, ego autem carnalis.

De opinione probab. in ordine ad licite iudicandum. Art. 3. 185
lis sum. Vide, quomodo D. Augustinus post diligens examen ita intelligit hunc textum de homine sub lege posito, nondum sub gratia, & consequenter non intelligit de D. Paulo, qui iam spiritualis erat, ut iudicet oppositum etiam posse dici, consequenterque esse simpliciter probabile: quod namque simpliciter probabile non est, sed falsum, & simpliciter improbabile, dici non potest.

25 Probatur quintò conclusio autoritate D. Hieronymi lib. 1. adversus Rufinum propè finem, ubi sic ait: Audio præterea obijci mihi à Crisogono sectatore eius: cur in Baptismate dixerim universa peccata dimitti, & mortuo bi marito, novum virum in Christo resurgere, atque istius modi Sacerdotes in Ecclesia esse non nullos? Cui brevi sermone respondebo: habent libellum, quem in crimen vocant, ille respondeat, & scripta scriptis arguat. Quid austeritate frontis, & contractis, rugatisque naribus concaeva verba irulinatur, & sanctitatem apud vulgus ignobile simulato rigore mentitur? Audiat iterum proclamantes: veterem Adā in labacro totum mori, & novum cum Christo in Baptismate suscitari, perire chorcum, & nasci super caelestem. Hæc dicimus, non quod

ipsi propicio Christo hac questione teneamur, sed interrogati à fratribus, quid nobis videretur, respondimus, nulli præiudicantes sequi, quod velit, nec alterius decretum nostras sententia subvertentes. Quibus in verbis clarè manifestat D. Hieronymus, se Probabilistam esse, posseque duplicem opinionem esse simul simpliciter probabilem respectu eiusdem intellectus. Tum: Nam D. Hieronymus interrogatus à fratribus, ita illis suam sententiam dixit, ut non præiudicaret illis sequi, & opinari oppositam: ergo ita illis dixit vnam partem esse simpliciter probabilem, ut non ob hoc assereret, oppositam esse falsam, improbabilem simpliciter, & inopinabilem. Tum etiam: nam D. Hieronymus ita adhæret suæ sententiæ, ut dicat, se nullo modo subvertere oppositam, illam dicendo falsam, simpliciter improbabilem, & inopinabilem: ergo ita adhæret suæ sententiæ, ut relinquat aliam simpliciter probabilem.

Sentit ergo D. Hieronymus ut verus Probabilista, probabilitatem simpliciter talem vnius opinionis non evertere probabilitatem simpliciter talem oppositæ, sed componibilem esse cum illa. Tum denique nam D. Hieronymus ita fratribus suum iudicium circa illam

lam materiam manifestavit, ut illis in sua libertate relinqueret sequi, & opinari licite, quod vellent: Sentit ergo D. Hieronymus ex illa duplici opinione quamlibet esse licite sequibilem, & opinabilem. Non potest licite teneri, quod non est simpliciter probabile: ergo sentit, quamlibet ex illis esse simpliciter probabilem, & non solum suam. Etsi adversarij contendant, D. Hieronymo non estare pro nobis, sed pro ipsi; enixe illos deprecor, ut interrogati, quid illis videatur circa aliquam rem inter DD. communiter controversam, dicant cum D. Hieronymo. Sibi videri hoc, nulli tamen præiudicare sequi, & opinari, quod velit. Dicant cum D. Hieronymo. sibi hoc ita videri, non tamen ob hoc subvertere sententiam aliorum. Si enim hoc dicant, contentio erit sedata, & illos inter probabilistas annumerabo: nos namque nihil aliud dicimus, aut intēdimus. E contra verò Probabilioristæ ita adhærent suæ sententiæ, ut oppositam omnino subvertant, illam dicendo falsam, simpliciter improbabilem, dignamque reprobatione, & contemptu, nec posse teneri sine peccato. Longissimè ergo distat D. Hieronymo. à Probabilioristarum conatu, mireque consonat nostris principijs.

26 Probatur sextò conclusio ex D. Tho. 1. par. quæst. 66. art. 3. ad 2. ubi sic ait: *ad secundum dicendum, quod satis probabile est, quod Cælum Empyreum secundum quosdam, cum sit ordinatum ad statum glorie, non habet influentiã in inferiora corpora, quæ sunt sub alio ordine, ut pote ordinata ad naturalem rerum decursum. Probabilius tamē videtur dicendum, quod sicut supremi Angeli, qui assistunt, habent influxum super medios, & ultimos, qui mittuntur, quambis ipsi non mittantur secundum Dionysium, ita Cælum Empyreum habet influentiam super corpora, quæ moventur, licet ipsum non moveatur.* Sed opinio, quæ non est simpliciter probabilis, sed simpliciter improbilis, & falsa, non est satis probabilis, sed potius satis improbilis: ergo si iuxta D. Tho. opinio minus probabilis in conspectu probabilioris est satis probabilis, est in cōspectu illius simpliciter probabilis. Rursus: in communi modo loquendi, dicere, aliquid esse satis probabile, idem est, hac dicere, quod est multum probabile; quod est, multum, vel valde probabile, est simpliciter probabile: ergo si iuxta D. Tho. opinio minus probabilis in conspectu probabilioris est satis probabilis, & est simpliciter probabilis.

De opinione probab. in ordine ad licite iudicandum. Art. 3. 187

babilis. Alia via ex verbis D. Tho. probatur nostra conclusio: apud D. Tho. non est idem, aliquam opinionem esse simpliciter probabilem in conspectu alterius, ac esse illa probabilior: ergo probabilitas simpliciter talis unius opinionis in conspectu alterius non consistit iuxta D. Tho. in probabilioritate. Probatur antecedens: D. Tho. est certus de probabilitate simpliciter tali opinionis asserentis Cælum Empyreum habere influxum super corpora, quæ moventur, non secus ac de probabilitate oppositæ quam absolute dicit satis probabilem; & nihilominus non est certus de illius probabilioritate: ergo apud D. Tho. non est idem, aliquam opinionem esse simpliciter probabilem in conspectu alterius, ac esse illa probabilior. Probatur minor: D. Tho. non dicit: *probabilius tamen dicendum, sed probabilius tamen videtur dicendum*, qui modus loquendi est proprius opinantis, formidoloseque asserentis: ergo D. Tho. non est certus de illius probabilioritate. Rursus: D. Tho. in dictis verbis non sumit ly *probabilius* adverbative ad non probabile, seu improbabile; sed comparative ad satis probabile: ergo non sumit ly *probabilius* in vi positivi, sed in vi

termini comparativi, consequenterque sentit, probabilitatem non consistere in indivisibili, sed suscipere magis, & minus. Quæ omnia ab imis evellunt Probabiliorismum.

Probatur etiam ex D. Tho. 3. sent. dist. 1. p. 1. art. 3. ubi inquit: *Utrum si homo non peccet, Deus fuisset incarnatus?* Et in corpore articuli postquam dixit, veritatem huius quæstionis illum solum scire posse, qui natus, & oblatus est, quia voluit, refert fundamenta pro utraque parte, illisque relatis, non circa utramque suspendit iudicium, non unam approbat, & aliam reprobat, dicendo illam esse falsam, & improbabilem; sed in genuè fatetur, utramque esse probabilem, posseque probabiliter sustineri: ergo utraque opinio visa fuit D. Tho. simpliciter probabilis, non enim diceret absolute, & sine addito probabilem, opinionem, quæ suo iudicio esset absolute, & sine addito improbilis, & solum cum addito, & secundū quid probabilis. Rursus: utraque opinio in re adeo gravi est iudicio D. Tho. probabiliter defensibilis; non est probabiliter defensibilis opinio, quæ non est simpliciter probabilis, sed simpliciter improbabilis, hæc enim sine peccato defendi

fendi nequit: imo nec physicè potest defendi iuxta adversarios ab eo, à quo simpliciter improbabilis iudicatur: ergo iudicio D. Thomæ utraque opinio est simpliciter probabilis. In articulis sequentibus alias auctoritates huius Sanctissimi Præceptoris dabimus, quæ plus probant, quam nunc intendimus.

27. Probatur septimò conclusio ex praxi universitatum, apud quas Doctores Thomistæ multoties defendunt ex Cathedra doctrinas Schoti suæ Scholæ adversas, & Scotistæ sententias Thomistarum, & Iesuitæ doctrinas Thomistarum, & Scotistarum, etsi suæ Scholæ adversentur, genio propugnatoris se aptantes. Et Thomista se opponens ad Cathedram Scoti, aut Durandi, defendit sententiam, & mentem horum Doctorum, eamque, quo potest conamine, illustrat, quæ sortè illi obtrigit, etsi Scholæ Thomisticæ adversetur: & idem est de Scotistis, & Iesuitis ad Cathedram D. Thomæ se opponentibus; & hoc non solum in speculabilibus, sed etiam in opinionibus ad fidem, & mores spectantibus; sed nemo potest defendere sententias, quas non iudicat simpliciter probabiles, sed potius simpliciter improbabiles: ergo hi Authores defendentes, & il-


lustrantes publicè sententias propriæ sententiæ oppositas, iudicant illas simpliciter probabiles in conspectu propriæ, quam iudicant etiã simpliciter probabilem, & probabiliorum. Consequentia est legitima, maior ipsa experientia nota, & minor est evidens: quia ab intrinseco est malum, asserere, esse veram, ut veramque propugnare opinionem, quam quis iudicat simpliciter improbabilem, & falsam.

28. Probatur tandem conclusio auctoritate nostræ Sacræ Religionis, quæ apud omnes maxima est, præcipuè in rebus moralibus: nam Religio nostra in diversis Capitulis Generalibus sancivit, Lectores Theologiæ Scholasticæ defendere, & discipulis tradere omnes, & quascumque sententias Cursus Salmanticensis, & pariter ordinavit Lectoribus Theologiæ Moralibus propugnare, tradereque discipulis omnes, & quascumque sententias Cursus moralis: ergo omnes, singulæque sententiæ utriusque cursus visæ sunt serio iudicio nostræ Religionis simpliciter probabiles. Sed plures sententiæ utriusque cursus sunt inter se oppositæ: ergo plures opiniones inter se oppositæ sunt iudicio maturo nostræ Religionis simpliciter probabiles.

biles. Consequentia est legitima, & minor subsumpta constabit illos legentibus: nunc sufficiat unã, vel alteram sententiam, in qua se opponunt, referre: Cursus Moralibus defendit tract. 15. cap. 1. punt. 3. nu. 42. Summum Pontificem posse dispensare gravi urgente causa cum Religiosis in voto solemnium castitatis, & paupertatis: huius oppositum tenent cursus scholasticus tract. 20. disp. 1. dub. 7. Cursus moralis ibidem nu. 30. asserit, votum solemnem in professione emissum solum dirimere subsequens matrimonium iure Ecclesiastico: Cursus Scholasticus defendit dicta disp. dub. 6. nu. 76. & 77. illud dirimere iure naturali divino. Cursus moralis defendit essentiam sacrificij Missæ consistere in recto in sola consecratione; Cursus verò Scholasticus asserit, consistere in recto in consecratione, & consumptione, & sic de alijs. Ex quibus constat manifestè, quàm summam probabilitatem habeat

nostra sententia ab auctoritate.

* * *



§. III.

Proponitur prima ratio pro nostra sententia, & solutio Reverendissimi Patris Tyrsi consutatur.

29. **P**robatur primo ratione nostra conclusio: opinio habens pro se fundamenta verè magna, & gravia, est simpliciter probabilis; sed opinio probabilis in conspectu oppositæ, æque, aut magis probabilis habet pro se fundamenta verè magna, & gravia: ergo opinio simpliciter probabilis perseverat simpliciter probabilis in conspectu oppositæ, æque, aut magis probabilis. Consequentia est legitima, maior certâ, & minor probatur. Habet eadem fundamenta, ac in absentia, talia fundamenta in absentia essent verè magna, & gravia: ergo, & in præsentia.

Ad nostram rationem respondet P. Tyrsus disert. 3. num. 57. opinionem minus probabilem in conspectu oppositæ probabilioris non remanere probabilem, sed simpliciter improbabilem, dignamque reprobatione, & contemptu: quia eius fundamenta non remanent gravia, & magna, sed levia, contem-

nenda, indignaque, ut ex illis prudens timere possit suę sententię falsitatem.

Sed contra est primò: ergo non potest quis adherere opinioni contrarię opinioni D. Augustini, aut D. Tho. illamque iudicare simpliciter probabilem, nisi spernendo, & contemnendo ut falsam, & improbabilem D. Augus. & D. Tho. sententiam; sed nemini licet spernere, & contemnere, ut improbabilem, & falsam opinionem horum Doctorum, eorumque auctoritatem flocci facere: ergo nemini licet adherere opinionibus contrarijs D. Augus. & D. Tho. Prima consequentię legitimè inferitur, & minor subsumpta facilè probatur: Tum, nam doctrina D. Augustini, & aliorum Sanctorum Patrum indubitanter accipitur ab Ecclesia, ut vidimus num. 1. 1. eo modo, quo ab ipsis tradita est; quę ab ipsis tradita est ut certa, accipitur, ut certa, quę ut probabilis, accipitur ut probabilis; eisque auditum, & intellectum reverenter, & obtemperanter submittit; sed nulli Catholico licet contemnere, & respuere ut improbabile, & falsum, quod Ecclesia ut probabile amplectitur, & flocci facere auctoritatē Doctorum, quibus ipsa reverenter, & obtemperanter se submittit: ergo ne-

mini licet spernere, & contemnere ut improbabilem, & falsam sententiam D. Augustini, & D. Thomę, eorumque auctoritatem flocci facere. Tum etiam: nam in Concilio Romano II. sub Zacharia Papa, Clemens quidam hæreticus damnatus est, eo quod Sacros Canones spreverit, atque Expositiones Sanctorum Patrum Ambrosij, Augustini, & ceterorum respuit dicta Sanctorum. Ergo illicitum est respuere, & contemnere sententiam D. Augustini. Contra est secundò: nemini licet iudicare improbabilem, falsam, dignaque reprobatione, & contemptu doctrinam, quam Christus Dominus, omnibus benè inspectis, approbat, quam Sedes Apostolica, ut veridicam, & Catholicam præcipit sectari, & defendi, certamque regulam Christianę Doctrinę affirmat, & quę habet, præ cæteris, excepta Canonica, veritatem sententiarum: hæc omnia habet doctrina D. Th. ut videre est apud RR. Mag. Fr. Ioann. à S. Thoma in approbatione doctrinę D. Thomę: ergo.

Dices, te non dicere, oppositam sententiam esse iudicio Ecclesię, & aliorum improbabilem; sed solum iudicio tuo. Bene: ergo omnibus inspectis, est iudicio tuo improbabilis, falsa, dignaque re-

pro-

probatione, & contemptu, opinio, quę iudicio Ecclesię est, omnibus inspectis, simpliciter probabilis, dignaque veneratione: ergo iudicium tuum totaliter opponitur iudicio universalis Ecclesię.

Rursus: vel auctoritas Ecclesię, & aliorum Doctorum asserentium opinionem D. Thomę circa motivum incarnationis esse simpliciter probabilem, est respectu tui intellectus oppositam tenentis, tenuis, improbabilis, dignaque reprobatione, & contemptu; vel gravis, & magna? Si dicas primum, damnandus eris ut temerarius, non impugnandus. Si secundum: ergo in sensu composito opinionis tibi probabilioris, fundamenta oppositę sunt tibi verè magna, & gravia.

Urgetur amplius hoc ipsum: vel iudicas, fundamenta, quibus Ecclesia, & alij Doctores, omnibus hinc indè ritè perpensis, moventur ad asserendum talem sententiam esse simpliciter probabilem, & ut talem tenendam, esse re ipsa magna, & simpliciter probabilia, sicut ab ipsis iudicantur; vel iudicas, non esse re ipsa magna, & simpliciter probabilia, sed eis per ignorantiam videri talia? Hoc secundum dici non potest sine in-

genti temeritate. Etsi dicas primum: ergo iam tibi videntur talia fundamenta, omnibus inspectis, esse re ipsa gravia, magna, simpliciterque probabilia, non obstante, quod oppositam habeas.

Secundò impugnatur principalis solutio: vnum ex fundamentis ad asserendum, sententiam D. Th. circa motivum incarnationis esse simpliciter probabilem, est auctoritas Ecclesię hoc declarantis; auctoritas Ecclesię nequit tibi videri levis, & contemnenda; sed magna, gravis, & summa veneratione digna: ergo fundamentum oppositę sententię est tibi magnum, & grave, non obstantante, quod illam non teneas.

Tertiò: qui videt, stare pro parte negativa graves Authores D. Tho. v.g. omnesque Thomistas, nequit non assentiri parti affirmativę cum prudenti formidine partis contrarię: ergo fundamenta ab auctoritate, & ratione partis negativę sunt illi gravia, & magna; non levia, & contemnenda; alias imprudenter formidaret in vi illorum. Probatur antecedens: suum probabilius nullum habet privilegium præ probabiliori D. Tho. & Thomistarum, ut non sit falsum: ergo nequit non prudenter timere, ne suum probabilius sit falsum

falsum, sicut sibi videtur esse iudicium probabilis D. Thomæ, & Thomistarum. Ego certè imprudentissimum reputarem eum, qui ita adhæret suæ sententiæ, tantumque suo cerebro deferret contra iudicium D. Augustini, & D. Thomæ, ut indubitanter, & sine prudenti formidine assereret, suum iudicium esse verum, & iudicium oppositum D. Augustini, aut D. Thomæ esse falsum.

30 Quartò impugnatur solutio: Qui iudicat probabilis, aliquam formam esse validam formam Baptismi, & hoc iudicio ductus aliquem cum ea baptizat, non solum potest, sed tenetur, illum sub conditione iterum baptizare; sed non solum non teneretur, sed nec posset, si fundamenta sententiæ oppositæ non essent illi gravia, & magna: ergo in conspectu opinionis probabilioris sunt illi magna, & gravia fundamenta oppositæ sententiæ minus probabilis.

Dices, talia fundamenta esse alijs gravia, & hoc sufficere, ut teneatur, illum iterum baptizare. Sed contra est primò: vel iudicas, fundamenta alijs gravia, esse omnibus inspectis re ipsa gravia, ut ab illis iudicantur; vel non esse omnibus bene inspectis, re ipsa verè

gravia, & magna, sed ab illis per ignorantiam gravia reputari? Si dicas primum: ergo iam tibi videntur gravia fundamenta, quæ gravia ab illis iudicantur. Secundum autem insufficientes est, ut tu possis rebaptizare, cum videas solum per ignorantiam esse illis gravia, non verò in rei veritate.

Secundò: ut quis possit, & debeat aliquem iterum sub conditione baptizare, non sufficit levissimus, suspitio, aut scrupulus de valore Baptismi, ut communiter tradunt Doctores; sed requiritur morale, & prudens dubium; sed non potest quis prudenter, & rationabiliter dubitare sine fundamento sibi magno, & gravi: ergo non potest quis aliquem sub conditione iterum baptizare, nisi habeat fundamentum sibi magnum, & grave pro invaliditate primi Baptismi: fundamentum namque, quod suo iudicio est simpliciter improbabile, leve, & contemnendum, non est respectu illius fundamentum ad prudenter rationabiliterque dubitandum: quia dubitare prudenter, & rationabiliter, est dubitare ex fundamento iudicio dubitatis gravi: si enim non iudicat tale fundamentum esse sufficiens ad prudenter dubitandum, quomodo potest in vi illius rationabiliter, prudenterque

De opinione probab. in ordine ad licite iudicandum. Art. 3. 193
terque dubitare?

Explicatur hoc ampliùs: vel quod ab alijs talia fundamenta gravia iudicentur, est tibi sufficiens fundamentum ad prudenter, rationabiliterque dubitandum de valore Baptismi, vel non? Si dicas hoc secundum: ergo, etsi ab alijs iudicentur gravia, non poteris rebaptizare sub conditione: quia ad hoc requiritur prudens, & rationale dubium de valore Baptismi prioris. Si dicas primum: ergo authoritas Doctorum sententiæ contrariæ est apud te magna, & gravis, redensque tibi ipsum valorem Baptismi prudenter, & rationabiliter dubitabilem, cum sit sufficiens, ut tu in vi illius prudenter, & rationabiliter dubites de tali valore.

Impugnatur tandem principalis solutio, & detegitur adversariorum æquivocatio: ideo motivum probabile non esset verè magnum, & grave, in conspectu oppositi æque, aut magis probabilis, quia est insufficientes ad inclinandum graviter intellectum: hæc ratio nulla est: ergo Probatur minor: Licet sit insufficientes ad inclinandum intellectum, est sufficiens ad impediendam gravem inclinationem, aut ad intellectum graviter inclinatum ad oppositam

partem suspendendum; motivum sufficiens ad impediendam gravem inclinationem intellectus ad oppositum, aut ad illum graviter inclinatum suspendendum, est motivum verè grave: ergo tale motivum est verè grave. Consequentia est legitima, & maior probatur facile: Si intellectui graviter inclinato ad partem affirmativam superveniat motivum æque probabile pro parte negativa, tale motivum suspendit illam gravem inclinationem, & impedit, ne intellectus deinceps graviter inclinatur: ergo motivum probabile in conspectu oppositi æque probabilis suspendit, & impedit gravem inclinationem intellectus in oppositam partem. Probatur hoc ipsū in motivo minus gravi: Licet motivum grave ut quinque non impediatur omnino inclinationem intellectus ad oppositam partem in vi motivi gravis ut septem, impedit tamen intensiorem talis gravis inclinationem, & facit, quod inclinatio, quæ alias esset ut septem, non sit nisi ut duo: nam motivum ut septem solum potest inclinare intellectum in eo gradu, in quo excedit aliud motivum, qui tantum est ut duo. Quod optimè explicatur in balance: nam etsi pondus grave positum in vna lance non

fit sufficiens ad illam inclinādam in conspectu æqualis ponderis positi in altera lance, est tamen sufficiens ad impediendam gravem inclinationem alterius lancis, illamque suspendendam: & licet pondus grave ut quinque positum in vna lance non sit sufficiens ad absolute suspendendam inclinationem alterius lancis habentis pondus ut septem, est tamen sufficiens ad minuendam talem inclinationem, & faciendum, quod talis inclinatio non sit ut septem, sed ut duo: ergo similiter in nostro casu.

Et nunc probatur minor eiusdem syllogismi: non requiritur motivum minus grave ad intellectum graviter inclinatum suspendendum, ac ad illum absolute graviter inclinandum; ad illum graviter inclinandum requiritur motivum grave respectu talis intellectus: ergo ad illum graviter inclinatum suspendendum requiritur motivum, quod sit magnum, & grave respectu illius. Consequentia est legitima minor certa, & maior facile probatur: motivum insufficiens ad absolute inclinandum intellectum inclinatione ut septem, in sufficiens est ad impediendam gravem inclinationem ut septem: sicut pondus insufficiens ad inclinandum

dam absolute lancem ut septem, insufficiens est ad lancem inclinādam ut septem suspendendam: ergo non requiritur motivum minus grave ad intellectum graviter inclinatum suspendendum, ac ad illum graviter inclinandum. Sed ad intellectum graviter inclinandum requiritur motivum verè magnum, verèque probabile respectu talis intellectus: ergo ad intellectum graviter inclinatum suspendendum requiritur motivum verè magnum, verèque probabile respectu talis intellectus. Vide aliā efficacissimam impugnationem.

Quæst. 4. art. 2.

§. IV.

Solutio Illustris. Palan. rejicitur.

31 **A**D nostram rationem respondet secundò Illustriss. Palanco, distinguendo maiorem, opinio habens pro se verè magna, & gravia fundamenta expedita ad probandum, est verè probabilis, concedo maiorem; si illa habeat impedita ab exercitio probandi, nego maiorem; & distincta eodem modo minori, negatur consequentia. Quia ad hoc, ut opinio sit simpliciter

citer probabilis, non sufficit; quod eius fundamenta sint magna, & gravia, sed insuper requiritur, quod non sint impedita ab exercitio probandi: quia si sunt impedita ab exercitio probandi, sic se habent ad reddendam opinionem simpliciter probabilem, ac si gravia non essent. Quare, cum fundamenta opinionis probabilis, etsi gravia, sint impedita ab exercitio probandi in conspectu oppositæ æquæ, aut magis probabilis, nequeunt illam reddere simpliciter probabilem.

Solutio hæc falsò supponit, motiva probabilis impedi ab exercitio probandi per opposita æquæ, aut magis probabilis, ut articulis sequentibus videbimus. Sed quidquid sit de hoc, impugnatur primò solutio: perseverate in motivo vis movendi simpliciter talis, perseverat in opinione probabilis simpliciter talis; in conspectu motivi oppositi æquæ, aut magis probabilis, perseverat in alio motivo vis movendi simpliciter talis, etsi impedita ab exercitio movendi: ergo perseverat in opinione probabilis simpliciter talis. Consequentia est legitima, & minor probatur primò: vis, quæ perseverat iuxta adversarium, est vis ad movendum intellectum in sensu

diviso, seu in absentia oppositi motivi æquæ, aut magis probabilis, vis ad movendum intellectum in sensu diviso, seu in absentia oppositi motivi æquæ, aut magis probabilis, est simpliciter probabilis: ergo in conspectu motivi æquæ, aut magis probabilis perseverat in alio motivo vis movendi probabiliter simpliciter talis. Maior cum consequentia patet, & minor est etiam certa: quia sola vis movendi probabiliter simpliciter talis potest movere intellectum probabiliter in absentia oppositi motivi æquæ, aut magis probabilis.

Probatur secundò eadem minor: nam eadem vis movendi intellectum perseverat in motivo probabilis in præsentia oppositi æquæ, aut magis probabilis, ac habebat, in absentia; sed in absentia habebat vim movendi intellectum probabiliter simpliciter talem, ut suppono: ergo & in præsentia perseverat in eo vis movendi probabiliter, simpliciter talis.

Probatur tertio eadē minor: vis, quæ perseverat in motivo probabilis in conspectu oppositi æquæ, aut magis probabilis, impeditur per illud iuxta adversarium ab exercitio movendi probabiliter intellectum, simpliciter tali, vis, quæ impeditur ab exercitio movendi pro-

probabiliter intellectum, simpliciter tali, est vis movendi probabiliter, simpliciter talis: ergo vis, quæ perseverat in motivo probabili in præsentia oppositi æquè, aut magis probabilis, est vis movendi probabiliter, simpliciter talis. Maior cum consequentia patet, & minor etiam est certa: quia movere intellectum motione simpliciter probabili est propriū exercitium virtutis movendi probabiliter, simpliciter talis: ac proinde vis, quæ à tali exercitio impeditur, nequit non esse vis movendi probabiliter, simpliciter talis. Quare tam longè ab est, ut motivum probabile, impediendo aliud motivum probabile ab exercitio movendi intellectum probabiliter, excludat ab eo probabilitatem simpliciter talem, quod clarè manifestat, ibi adesse; si enim probabilitas simpliciter talis non perseveraret, eam à suo exercitio impedire non posset.

Quarto probatur eadem minor: vel motivum probabile pro licito superveniens intellectui habenti iam motivum simpliciter probabile pro illicito, est respectu talis intellectus simpliciter probabile, vel non? Si dicatur primum, habeo intentum. Si dicatur secundum: ergo motivum, præexistens

non potest amittere probabilitatem simpliciter talem, quæ habet respectu talis intellectus per motivum probabile superveniens, aut impedi à suo exercitio: quia motivum, quod respectu alicuius intellectus non est simpliciter probabile, non potest destruere probabilitatem simpliciter talè, quam oppositum motivum iam habebat respectu talis intellectus, nec illud à suo exercitio impedire.

Sic probata minori, maior eiusdem Sylogismi probatur: implicat, quod motivum sit potens simpliciter probare conclusionem, & quod conclusio non sit simpliciter probabilis per tale motivum: ergo si motivum probabile in conspectu oppositi æquè, aut magis probabilis, est simpliciter potens probare conclusionem, & conclusio est simpliciter probabilis per tale motivum. Antecedens est evidens, & consequentia legitime infertur. Explicatur amplius hoc ipsum: motivum probabile in conspectu oppositi æquè, aut magis probabilis est per se simpliciter potens probare conclusionem, seu est simpliciter probabile activè, licet probabilitate impedita ab exercitio probandi: ergo & conclusio est simpliciter potens probari per tale motivum, seu est simpliciter pro-

probabilis passivè, licet probabilitate impedita ab exercitio terminandi actualem probationem. Rursum: motivum pro parte affirmativa est simpliciter probabile activè, seu est simpliciter probativum partis affirmativæ, non obstantè, quod sit impeditum ab exercitio probandi: ergo, & pars affirmativa erit simpliciter potens probari per tale motivum, seu simpliciter probabilis passivè, non obstante, quod sit impedita ab exercitio terminandi actualem probationem. Quare omnino implicatorium censeo, dicere, motivum probabile partis affirmativæ perseverare verè probabile activè in conspectu oppositi æquè, aut magis probabilis, & partem affirmativam non perseverare probabilem passivè, cum hæc duo correlativa sint.

§. V.

Triplici alia ratione probatur conclusio.

32 **P**robatur secundò nostra conclusio alia ratione: esse probabiliter verum, non est esse verum absolute, & simpliciter, sed secundum quid, respectivè, & cum restrictione; seu est esse verum quan-

tum est ex vi probationis, & respectivè ad principium, cui innititur, quidquid sit, an in re ita sit sicut ex vi principij, cui innitur, videtur esse; sed nulla implicatio est in eo, quod duplex opinio opposita ita sit vera: ergo nulla implicatio datur in eo, quod sit vera probabiliter. Consequentia est legitima, maior certa: quia vera, probabilitas non dicit in suo conceptu veritatem realem, & simpliciter talem, sed solum veritatem secundum quid, obiecto extrinsecam, & restrictam, seu quantum est ex vi sui motivi, & si aliud dicunt contrarij, conceptum probabilitatis veræ ignorant. Et minor probatur: licet detur implicatio in eo, quod utraque pars contradictionis simul iudicetur ab eodem intellectu absolute, & simpliciter vera adhuc per diversa media & in eo, quod simul iudicetur vera veritate respectiva, probativè, & cum restrictione in vi eiusdem medij; nulla tamen datur in eo, quod simul iudicetur vera veritate restricta, & quantum est ex vi probationis, in vi diversi motivi, & medij; duplex opinio opposita importat diversa media suæ probabilitatis: ergo nulla datur implicatio in eo, quod in vi illorum iudicetur vera, veritate restricta, & respectiva.

pectiva. Probatur maior primò: quia iam non est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, & secundum idem formaliter, cum sit de obiecto diversi modè apprehenso, & vt diversimodè apprehenso, & ideo licet sit idem obiectum in re, non tamen in ratione apprehensi, quo solum pacto est subiectum veritatis respectivæ, & probabilis, hæc enim est omnino extrinseca obiecto pro vt est in se, & solū convenit illi pro vt est in intellectu. Probatur secundo eadem maior: Si de ratione fidei non esset obscuritas simpliciter talis, sed solum restricta, respectiva, & præcisè quantum est ex vi mediij, per quod fides procedit; & similiter de ratione scientiæ non esset claritas simpliciter, & absolute talis, sed tantum modificata, & restricta, præcisèque in vi mediij, per quod scientia procedit, in confesso est apud omnes, quod fides, & scientia de eodem obiecto possent esse simul in eodem intellectu: ergo si de ratione opinionis probabilis nõ est veritas simpliciter, & absolute talis, sed solum restricta, respectiva, & præcisè quantum est ex vi sui motivi, nulla erit implicatio in eo, quod duplex opinio contraria sit simul eidem intellectui simpliciter probabilis. Patet consequen-

tia: quia non est minor implicatio in eo, quod de eadem propositione verificetur, quod est clara, & obscura, quam in eo, quod verificetur, quod est vera, & quod est falsa: ergo si illud posset verificari cum restrictione dicta, etiam istud.

33 Probatur conclusio alia ratione: si solū illa opinio esset probabilis in conspectu alterius, quæ esset altera probabilior, communiter loquendo, non daretur certitudo de vera probabilitate vnius opinionis in conspectu alterius, hoc est omnino falsum, & absurdum: ergo non solum opinio probabilior, sed etiam minus probabilis, est verè probabilis. Probatur maior: communiter loquendo, non datur certitudo de probabilitate alicuius opinionis: ergo nec dabitur de probabilitate alicuius opinionis in conspectu alterius, si hæc consistit in probabilitate. Probatur antecedens: probabilitas opinionis communiter loquendo est inter opiniones; de eo, quod est inter opiniones non datur certitudo ergo. Consequentia est legitima minor certa, & maior ipsa experientia cõstat: nam Thomistæ negant opinionem Scottistarum esse probabiliorem, Scottistæ hoc affirmant: ergo communiter

niter loquendo probabilitas opinionis est inter opiniones.

34 Probatur vterius cõclusio alia ratione: opiniones oppositæ circa motivum incarnationis non sunt oppositæ in probabilitate: ergo possunt esse simul probabiles eidem intellectui. Probatur antecedens: vna opinio non negat probabilitatem alterius: ergo non sũt oppositæ in probabilitate. Probatur antecedens primò: negare probabilitatem alicuius ex dictis opinionibus est damnatum à Sixto IV. vt vidimus ar. 3. nu. 23. nulla ex his opinionibus est, damnata ab ipso: ergo nulla ex his opinionibus negat, aut impugnat probabilitatem alterius. Secundo ad impugnandam, vel negadam probabilitatem alicuius opinionis requiruntur rationes evidentes, & demonstrativæ, nulla ex dictis opinionibus habet pro se rationes evidentes, & demonstrativas, alias non esset opinio: ergo nulla ex dictis opinionibus negat, aut impugnat probabilitatem alterius. Consequentia est legitima, minor certa, & maior, quæ conceditur ab Illustriss. Palanco quæst. 24. nu. 15. probatur: Tum, nam dubiū vnius partis non destruitur per rationes dubias alterius partis: non enim est bona consequentia: *dubium est*

Petrum currere: ergo in dubium est Petrum non currere: ergo similiter per rationes probabiles pro vna parte non destruitur, aut impugnatur probabilitas oppositæ partis, alias esset bona consequentia: probabile est quod Adamo non peccante Verbum Divinum Incarnasse: ergo improbabile est, quod Adamo non peccante Verbum Divinum non Incarnasset.

Confirmatur hæc ratio: hæc propositio; *probabile est, Petrum currere* non opponitur contradictoriè, aut contrariè huic, *probabile est Petrum non currere: ergo non destruit veritatem illius. Consequentia patet, & antecedens probatur primò: hæc propositio modalis contingens est Petrum currere non opponitur contrarie, aut contradictoriè, sed solum subcontrariè huic: contingens est Petrum non currere: ergo similiter. Secundo: propositio modalis opposita huic: *probabile est Petrum currere, est hæc: improbabile est Petrum currere: ergo non est hæc probabile est Petrum non currere. Tertiò: si veritas huius propositionis: probabile est Petrum currere destrueret veritatem istius probabile est Petrum non currere, non posset hæc duplex opinio esse**

re ipsa in se verè probabilis, nec vtriusque fundamenta possent esse in se verè gravia; hoc est omnino falsum, vt suppono: ergo. Consequentia est legitima, minor vera, alias vna ex illis semper esset intellectui probabilis solum ex ignorantia veræ probabilitatis, quod est esse solum probabilem secundum quid. Et maior per se patet: quia ex prædicatis se invicem excludentibus, si vnum re ipsa reperitur in subiecto, alterum re ipsa reperiri nequit.

Dices, vtramque esse in se verè probabilem respectivè ad diversos intellectus, vel ad eundem intellectum divisivè, non verò ad eundem intellectum simul. Sed contra est: hæc propositio: *Paterius currit*, vel est tibi probabilis, solum ex ignorantia oppositæ habentis graviora fundamenta, vel esset tibi probabilis, & si oppositam habentem graviora motiva non ignorares? Si hoc secundum dicas, habeo intentum, quia iam esset tibi probabilis, & si occurreret in conspectu alterius habentis graviora motiva, & consequenter vtraque esset simul probabilis respectivè ad eundem intellectum. Si dicas primum: ergo talis opinio non est tibi probabilis simpliciter, sed solum secundum quid, cum

solum sit probabilis ex ignorantia veræ probabilitatis: si enim graviora fundamenta alterius partis te non laterent, tibi non esset probabilis.

Adde primò: opposita opinio est tibi improbabilis ex ignorantia veræ probabilitatis illius; quod solum est improbabile ex ignorantia veræ illius probabilitatis, solum est improbabile secundum quid: ergo per probabilitatem vnius partis solum redditur opposita improbabilis secundum quid.

Adde secundò: ergo opposita opinio solum est tibi improbabilis ex ignorantia veræ probabilitatis: ergo opinio, quam tenes, solum est tibi probabilis ex ignorantia suæ veræ improbabilitatis. Probatur consequentia: per te in eo sensu, in quo vna opinio est tibi probabilis, altera est tibi improbabilis, & e contra: ergo si vna solum est tibi improbabilis ex ignorantia veræ probabilitatis, altera solum erit tibi probabilis ex ignorantia suæ veræ improbabilitatis, & consequenter secundum quid. Ex quibus omnibus satis constat, probabilitatem vnius opinionis non posse impugni, aut destrui nisi per principia certa, & evidentia. Quare cum principia opinionis pro-

De opinione probab. in ordine ad licite iudicandum. Art. 3. 201
probabilis non sint evidentia, & certa, minimè possunt impugni, & destruere probabilitatem opinionis oppositæ.

§. VI.

Expenditur ultimum fundamentum pro nostra sententia.

35 **P**ROBATUR tandem nostra cõclusio: opinio Iesuitica circa physicam prædeterminationem est simpliciter probabilis; & tamen non est Thomistis probabilior: ergo stat, quod sit simpliciter probabilis aliqua opinio, quin sit altera probabilior. Consequentia est legitima, minor certa, & maior negari non potest prudenter.

Ad hanc rationem respondet Illustriss. Palanco cum cæteris probabilioristis, opinionem Iesuiticam circa physicam prædeterminationem esse simpliciter probabilem Iesuitis, quibus est probabilior; non verò Thomistis, quibus talis opinio est minus probabilis: nec Thomista tenetur illam habere vt simpliciter probabilem, licet imprudentiæ argueretur, si illam non iudicaret esse simpliciter probabilem Iesuitis, ab eisque verè probabiliter conceptam.

Vt hæc solutio, cui multum fidunt adversarij, nervosius convellatur, veritasque nostræ doctrinæ manifestius appareat, notandum est primò, quod illud, quod est tale ex errore obiectivo, quia erroneè iudicatur tale, cum re ipsa tale non sit, non est simpliciter tale, sed solum secundum quid, sicut aurichalcum erroneè iudicatum aurum, non est aurum simpliciter, sed solum secundum quid, quia solum est aurum ex errore obiectivo. Quare opinio, quæ solum est probabilis ex errore obiectivo, seu quæ iudicatur probabilis, cum re ipsa probabilis non sit, non est probabilis simpliciter, sed solum secundum quid, seu apparenter. Secundò est notandum ex iam dictis, illam opinionem esse re ipsa probabilem, quæ re ipsa habet fundamentum magnum, & grave, & illam esse probabiliorem re ipsa, quæ habet fundamentum re ipsa gravius, & maius. Tertio est notandum ex ibidem dictis, illud fundamentum esse re ipsa magnum, & grave, quod re ipsa magis connectitur cum veritate, quam cum falsitate, seu quod re ipsa raro fallit, & plerumque contingit: & illud fundamentum esse in rei veritate maius, & gravius altero, quod in rei veritate magis notabiliter

connectitur cum veritate, minusque raro fallit, quam aliud. Quare cum implicatorium omnino sit, vnum fundamentum esse re ipsa magis connexum cum veritate, quam aliud, & re ipsa non esse magis connexum, sed minus; pariter implicatorium est, vnum fundamentum esse re ipsa magis grave, quam aliud, & non esse re ipsa magis grave, sed minus, & consequenter vnam opinionem esse re ipsa magis probabilem quam altera, & non esse re ipsa magis probabilem, sed minus. Ex quo per evidentem consequentiam colligitur, probabilitatem non posse reperiri re ipsa in utroque extremo contradictionis, sed in vno tantum, & consequenter alterum solum posse esse probabilius ex errore obiectivo, seu apparenter: quod est esse probabilius secundum quid.

His notatis, impugnatur evidenter solutio: ergo opinio Iesuitica circa physicam prædeterminationem est Iesuitis simpliciter probabilis: ergo non est illis probabilis ex errore obiectivo, sed est re ipsa probabilis, vt ab ipsis iudicatur: ergo errant omnes, qui non proferunt idem iudicium, sed oppositum, ac Patres Societatis circa talem opinionem: ergo Illustriss.

Palanco, & alij Thomistæ errant, si iudicant oppositum, ac Patres Societatis circa probabilitatem simpliciter talem talis opinionis. Omnes istæ consequentiæ sunt clariore supra meridiem. Secundò impugnatur solutio: circa probabilitatem talis opinionis necesse est, quod Thomistæ, vel Iesuitæ errant re ipsa, cum isti affirmant, quod illi negant, & necessarium sit talem opinionem esse, vel non esse altera probabiliorem. Nunc peto ab Illustriss. Palanco, an circa probabilitatem talis opinionis errent Iesuitæ? an Thomistæ? nam quidquid dicat, evidenter vincitur. Si dicat dictos Patres circa probabilitatem errare, in hunc modum vincitur: opinio Iesuitica est Iesuitis simpliciter probabilis in conspectu oppositæ; non est illis simpliciter probabilior, cū solum sit illis probabilior ex errore obiectivo: ergo non est idem opinionem esse simpliciter probabilem in conspectu alterius, ac esse probabiliorem. Rursus: Patres Societatis per te falluntur circa probabilitatem talis opinionis; per te non falluntur, & errant circa probabilitatem simpliciter talem illius in conspectu oppositæ, cum per te in conspectu oppositæ sit illis simpliciter probabilis: ergo distinctum

De opinione probab. in ordine ad licite iudicandum. Art. 3. 203
tinctum quid est, opinionem aliquam esse simpliciter probabilem in conspectu alterius, ac esse probabiliorem.

Si autem dicat, Thomistas errare circa probabilitatem talis opinionis, eodem modo vincitur: ergo Thomistæ errant circa probabilitatem suæ opinionis; & tamen non errant circa illius probabilitatem in conspectu alterius: ergo.

§. VII.

Refertur sententiâ contrariâ.

36 **C**ontrariam sententiâ defendunt omnes Antiprobabilistæ, & in illius favorem arguit primo RR. P. Thyrsus loco supra citato nu. 58. ex D. Augustino lib. 3. contra Cresconium cap. 73. vbi late ostendit, non rectè inferri, opinionem Cresconij esse probabilem ex eo, quod dixerit *traditionem probabilius nos vobis objicimus*. Quia comparativum non semper supponit positivum: ergo iuxta D. Augustinum *ly probabilius* non sumitur in vi comparativi, sed in vi termini positivi.

Hoc argumentum levi manu tetegi, quia leviusculum est. Tum:

nam ex illo solum sequitur, quod *ly probabilius* non sit sumendum necessariò in vi comparativi; non verò quod debeat semper sumi in vi positivi. Tum, & maxime: nam D. Augustinus in eodem loco evidentissimè sumit *ly probabilius* in vi comparativi, & nostram sententiam tradit. Dicit ergo D. Augustinus: *omittam, quia, & probabile, quando dicitur, non consequenter est verum, cum ea dicantur, que fieri possunt, ac solent, & ideo probamur: hoc est approbatur, & creamur; etiamsi facta non sint: quod autem verum est, cum ostenditur, necessario probabile est (en positivum,) & illo vique probabilius. (En comparativum.)* Quid clarius, & pro nostra conclusione evidentius? Nam D. Augustinus in opinione falsa, & vera cognoscit probabilitatem in gradu positivo, sed in vera secundum magis, & illo vique probabilius: ergo iuxta D. Augustinum vtraque opinio potest esse probabilis secundum magis, & minus, consequenterque probabilitas non consistit in indivisibili, sed admittit gradus.

37 Arguit secundò Celandei: postquam hic auctor probavit, non posse duplicem opinionem oppositam esse simpliciter probabilem adhuc divisivè, nititur pro-

probare, non posse esse simpliciter probabilem saltem simul, hac ratione, quam ipse appellat demonstrativam: nam forma incompatibilis cum alia determinatè in vno extremo, vagè, & indeterminatè conveniens alterutri duorum extremorum, est impossibilis cum simultate eiusdem illius formæ in utroque extremo; sed certitudo falsitatis est impossibilis cum probabilitate simpliciter tali, seu conscientiæ comparativè ad vnam determinatè conclusionem: ergo est impossibilis comparativè ad duas determinatè conclusiones cum probabilitate conscientiæ in utraque simul. Sed in omni contradictione conclusionum adest talis certitudo, & evidentia comparativè ad vnam earum duarum indeterminatè conclusionum: ergo est impossibilis cum probabilitate conscientiæ in utraque simul.

Ad hoc arg. resp. illud evidentè instando cum P. Moya in select. 2. quæst. 2. nam necessitas existendi est in compatibilis cum contingentia in vno determinato extremo; & nihilominus necessitas existendi vagè, & indeterminatè conveniens alteri duorum extremorum, non est incompatibilis cum contingentia utriusque extre-

mi: ergo ex eo, quod certitudo falsitatis incompatibilis cum probabilitate in vno determinatè extremo vagè conveniat alteri duorum extremorum, non sequitur, quod sit incompatibilis cum probabilitate utriusque extremi. Consequentia est legitima, maior, & minor sunt evidentes: nam ita est necessarium Petrum existere, vel non existere, quod sit contingens existere, & sit contingens non existere.

Insto evidentè secundo cum eodem Moya: non minus pugnat certitudo falsitatis cum dubio in vno determinato extremo, ac cum probabilitate; & nihilominus stat, esse certum, vnum ex extremis esse falsum, & utrumque simul esse dubium: ergo similiter stat, esse certum, vnum ex extremis esse falsum, & utrumque esse simul probabile.

Iam ad argumentum respondeo directè, concessa maiori, distinguendo minorem. Sed certitudo falsitatis est incompatibilis cū probabilitate conscientiæ, certitudo falsitatis vagæ, nego minorem. Certitudo falsitatis certæ, & determinatæ, concedo minorem, & nego consequentiam. Quia quod opponitur probabilitati, non est falsitas in re, sed falsitas vt certa, seu

vt certò cognita, quare cum nullo extremum sit certò falsum, licet sit certum, aliquid ex extremis esse falsum in re, utrumque extremum potest esse probabile: sicut quia non opponitur contingentia utriusque extremi, quod sit necessarium, aliquid ex extremis esse, sed quod aliquid ex extremis sit necessariò, optime componitur esse necessarium, aliquid ex extremis esse, & quod utrumque sit contingens. Et similiter, sicut non implicat dari certitudinem de falsitate vnius ex extremis, & quod utrumque extremum sit dubitabile; licet implicet, aliquid ex extremis esse certò falsum, & quod utrumque dubitabile sit. Et ratio à priori est: quia licet implicet certitudo falsitatis, & probabilitas circa idem formaliter obiectum, non tamen circa diversa, & in præsentia diversum formaliter obiectum est illud, de quo prædicatur certò falsitas, ac obiecta, de quibus prædicatur probabilitas: quia probabilitas prædicatur de quolibet extremo, falsitas autem certa de nullo extremo prædicatur, seu falsitas non prædicatur certè de aliquo ex extremis, sed solùm prædicatur de utroque vagè sumpto, reduplicativè vt vagè sumpto, quo pacto est distinctum formaliter obiec-

tum, & idè stat optimè, esse certum, vnū ex extremis esse falsum, & utrumque esse simul probabile, & dubitabile, licet implicet, utrumque extremum esse simul dubitabile, & quod aliquid ex extremis sit certò falsum. Vel alijs terminis potest distingui eadem minor: certitudo falsitatis est incompatibilis cum probabilitate, certitudo falsitatis circa idem obiectum, concedo minorem, circa diversum obiectum formaliter, nego minorem: distinctio patet ex dictis. Quare quod ex argumento convincitur est, quod circa falsitatem, aut veritatem vnius ex extremis vagè sumptis, non potest dari probabilitas, quia circa illā datur certitudo, non verò circa veritatem, aut falsitatem cuiuslibet extremi determinati.

38 Arguit tertio Celadei: implicat, quod utraque opinio contraria sit tuta: ergo implicat, quod utraque sit probabilis simpliciter, & provt requiritur ad conscientiam. Antecedens probatur: implicat, quod utraque sit sana: ergo implicat, quod utraque sit tuta. Probatur antecedens: implicat, quod utraque sit vera: ergo implicat, quod utraque sit sana. Probatur consequentia primò: si aliqua ex illis est falsa, aliqua ex illis

lis seducit credentem; si seducit credentem, non est sana: ergo si vtraque non est vera, vtraque nequit esse sana. Secundo: si vtraque non est vera, vtraque non potest infundi à Deo; si vtraque non potest infundi à Deo, vtraque non est sana: quia doctrina sana bene potest infundi à Deo: ergo si vtraque non est vera, vtraque non est sana. Tertio: sanitas doctrinæ est veritas, quia falsitas, aut error est malum intellectus: ergo si vtraque opinio nequit esse vera, nec potest esse sana.

Prius quam ad argumentum respondeatur, libet illud in arguente multipliciter retorquere: primo: stat, quod doctrina falsa sit tuta; doctrina tuta per te est sana: ergo stat, quod doctrina falsa sit sana. Probatur maior: doctrina, quæ licite potest teneri, est tuta; stat, quod doctrina falsa licite possit teneri, vt liquet in errore invincibili: ergo stat, quod doctrina falsa sit tuta.

Secundo: stat, quod aliqua doctrina sit vera, & non sana: ergo stat, quod sit sana, & non vera. Probatur antecedens: doctrina favens libertati re ipsa vera, aliquando non est sana, quando, scilicet, concipitur temere, & absque rationabili fundamento, tunc enim nõ

excusat à peccato: ergo stat, quod aliquando doctrina sit vera, & non sit sana.

Tertio: sæpe vtraque opinio est tuta: ergo aliquando falsa est tuta, & consequenter sana: Antecedens probatur in casu, in quo ex duplici opinione contraria, opinio favens libertati sit vera: nam in hoc casu opinio favens libertati est tuta, & etiam opinio favens legi re ipsa falsa est omnino tuta, cum in illius usu nulla lex violetur formaliter, aut materialiter.

Iam ad argumenti solutionem deveniendo, nego antecedens: Et ad eius probationem; nego etiam antecedens; ad cuius probationem distinguo antecedens: implicat, quod vtraque sit vera, veritate reali, concedo antecedens; veritate rationali, nego antecedens, & consequentiam. Quia tripliciter potest aliqua doctrina esse sana, & idè dico de securitate: nam potest esse sana obiectivè tantum, subiectivè tantum, & obiectivè, & subiectivè simul: seu alijs terminis, potest esse sana materialiter tantum, formaliter tantum, materialiter, & formaliter simul: est sana materialiter tantum, & subiectivè, quando in se est re ipsa sana, non tamen est sana respectu operantis. Est sana formaliter, & obiectivè tan-

tantum, quando respectu operantis est sana, in se tamen non est sana. Est sana materialiter, & formaliter simul, quando in se est sana, & etiam est sana respectu operantis. Vt aliqua doctrina sit sana subiectivè, & materialiter, requiritur, & sufficit, quod sit in se vera; vt sit sana formaliter, & obiectivè sufficit, & requiritur, quod intellectui videatur vera, seu quod sit illi verè probabilis, vel saltem ab ipso verè probabilis invincibiliter iudicetur, etiamsi verè probabilis non sit. Vt autem aliqua doctrina sit sana tam subiectivè, quam obiectivè, seu tam formaliter, quam materialiter, requiritur, quod sit vera tam veritate reali, quam rationali, vel saltem ita iudicetur invincibiliter. Ad hoc autem, vt aliqua opinio sit probabilis probabilitate conscientie, non requiritur, quod sit sana, & tuta tam subiectivè, quam obiectivè; sed sufficit, quod sit sana, & tuta simpliciter obiectivè, consequenterque non requiritur, quod sit in se vera veritate reali, sed solum veritate rationali, seu quod habeat pro se motivum verè rationale, & probabile. Contra quod non facit prima probatio: quia doctrina, quæ non est vera, est tamen verè probabilis, non seducit, quia non dicit rem

absolutè esse, sed tantum dicit, videri ita esse, in quo non datur aliqua deceptio, alias omnes Doctores tradentes opiniones re ipsa falsas, dici deberent seductores. Et dato, quod doctrina falsa probabilis seducat, seducit materialiter, non formaliter. Ex quo solum sequitur, quod non sit sana materialiter, & subiectivè; non vero quod non sit sana formaliter, & obiectivè. Nec facit secunda probatio: quia, vt doctrina non possit à solo Deo infundi, sufficit, quod sit falsa in aliquo sensu, cum Deus non possit infundere falsum, sed quatinvis non possit se solo infundere doctrinam probabilem falsam, potest ad opinionem falsam, verè tamen probabilem, concurrere, non quæ parte est falsa subiectivè, & materialiter, sed quæ parte est vera veritate rationali, quo pacto etiam est sana. Nec facit tandem tertia: quia vera probabilitas opinionis falsæ non oritur ex errore, sed ex ignorantia, quæ est malum intellectus negativum, non privativum. Ex quo solum sequitur, quod talis opinio non sit sana materialiter, & subiectivè, non verò, quod non sit simpliciter sana formaliter, & obiectivè.

39 Arguit quarto Celadei, & ex illo Illustriss. Palanco: vtraque

que pars contradictionis nequit esse simul simpliciter credibilis respectu eiusdem intellectus: ergo nequit esse simul simpliciter probabilis respectu eiusdem intellectus. Consequentia videtur certa à paritate, & antecedens probatur: si duo testes stent pro parte affirmativa, & alij duo æqualis auctoritatis pro parte negativa, neutra pars est absolutè, & simpliciter credibilis, imprudenter namque assentiret quis in tali casu parti affirmativæ: ergo utraque pars: contradictionis nequit esse simul simpliciter credibilis respectu eiusdem intellectus.

Ad hoc argumentum respondeo, negando antecedens. Et ad eius probationem dico, quod vel testes affirmant certò, & absolutè partem affirmativam esse veram, & partem negativam esse veram, ut communiter faciunt, quando rem cum iuramento testificantur; vel solum affirmant; esse veram cum restrictione, & suo videri? Si hoc secundo modo se gerant, qui est proprius probabiliter iudicantium, omnes merentur fidem, & potest audiens iudicare, utrumque videri verum ab auctoritate: quia potest, & debet præsumere, omnes moveri fundamentis gravibus, verèque probabilibus. Si autem

testes primò modo se gerant, nullus ex illis meretur fidem: quia ad affirmandum certo, & absolutè, rem esse, non sufficit fundamentum probabile, sed omninò requiritur fundamentum verum: quare cum fundamentum verum dari nequeat pro utraque parte contradictionis, sed solum pro parte re ipsa vera, evidens est, aliquos ex illis rem affirmare sine fundamento, consequenterque esse indignos fide: & cum ex alia parte audiens nullam habeat rationem, cur isti sint falsi testes, & indigni fidei præ alijs, neutris credere potest, sed testimonium duorum per aliorum testimonium enervatur. Credere verò potest quis Authoribus æqualis auctoritatis opposita probabiliter opinantibus: quia isti non affirmant formaliter contradictoria: non enim dicunt absolutè, partem affirmativam esse re ipsa veram, & partem negativam esse re ipsa veram, ad quod non posset dari ex parte omnium sufficiens fundamentum; sed solum affirmant, partem affirmativam sibi videri veram, & partem negativam sibi videri veram, in quo nulla datur implicatio, & ad quod asserendum dari potest ex parte omnium grave, solidumque motivum. Licet enim implicet, dari motiva suffi-

cien-

cientia ad affirmandum absolutè, & sine formidine, utraque partem contradictionis; non tamen implicat, dari motiva sufficientia ad illam cum formidine, & restrictione asserendam. Vel responde negant. & ad probationem nega antecedens: licet enim non possit quis in tali casu iudicare unam partem esse veram præ alia; bene potest eligere unam præ alia, ad illi præstandum assensum, si ad hoc ad sit aliquod motivum. Vide dicenda duobus articulis sequentibus.

40 Arguitur quintò: Opinio, quam quis rejicit, non est illi probabilis: ergo quando quis rejicit aliquam opinionem, ut oppositæ adhæreat; illa nequit esse illi simpliciter probabilis. Probatur antecedens: opinio, quam quis rejicit, non approbatur ab illo; opinio, quæ non approbatur, sed potius reprobatur ab aliquo, non est illi probabilis: ergo.

Ad hoc argumentum respondetur, distinguendo antecedens: quam quis rejicit tam obiectivè, quam subiectivè, concedo antecedens; quam quis rejicit tantum subiectivè, nego antecedens. Quia dupliciter potest esse in intellectu aliqua opinio, & ab intellectu rejici, obiectivè tantum, vel obiectivè, & subiectivè simul: tunc est opi-

nio in intellectu obiectivè tantum, quando non informat intellectum per modum actus, est tamen obiectum alicuius actus intellectus, quo iste iudicat, illam esse verè probabilem. Tunc autem est opinio in intellectu obiectivè, & subiectivè simul, quando non solum iudicat reflexè, & signatè illam esse verè probabilem, sed habet illam in se per modum actus, quo probabiliter iudicat rem esse, aut non esse. Quando ergo quis ita rejicit aliquam opinionem, ut illam nec probabilem iudicet, talis opinio non est illi simpliciter probabilis: quando verò ita illam rejicit subiectivè, quia non vult illi adhæreere, ut illam non rejiciat obiective, ut communiter contingit, sed iudicat, esse simpliciter probabilem, talis opinio est illi simpliciter probabilis obiective, & si non subiective, quod nos intendimus in præfati articulo.

41 Arguitur sextò: illa opinio est absolutè, & simpliciter probabilis alicui intellectui, quæ omnibus attentis tali intellectui notis, apparet absolutè vera; sed implicat, utramque partem contradictionis apparere simul intellectui absolutè veram, attentis omnibus sibi notis: ergo implicat, utramque partem contradictionis

Ecc

esse

esse simul simpliciter probabilem eidem intellectui. Consequentia est legitima, minor evidens, quia nulli intellectui potest apparere absolute, & simpliciter verum, quod eadem res sit, & non sit. Et maior ex terminis est nota.

Ad hoc argumentum respondetur, distinguendo maiorem, quæ apparet absolute vera veritate reali, nego maiorem, veritate rationali, concedo maiorem. Et distincta eodem modo minori, nego consequentia. Quia de ratione opinionis simpliciter probabilis non est; quod sit vera veritati reali, sed sufficit, quod sit vera veritate rationali, seu quod sit vera quantum est ex vi sui motivi, quidquid sit, an in re sit vera, sicut ex vi sui motivi videtur esse, ab hoc enim opinio probabilis omnino prescindit. Quare ut duplex opinio sit simul eidem intellectui simpliciter probabilis, non requiritur, quod illi obijciatur cum veritate reali, sed cum veritate rationali, in quo nulla datur implicatio, quia ad hoc sufficit, quod utraq; simul habeat pro se gravia fundamenta.

42 Sed replicabis: ut aliqua opinio sit simpliciter probabilis, requiritur, quod appareat determinate vera, implicat, quod duplex opinio opposita appareat si-

mul eidem intellectui determinate vera, quia intellectui apparet evidenter impossibile, utramque partem contradictionis esse simul veram: ergo implicat, quod duplex opinio opposita sit simul eidem intellectui simpliciter probabilis.

Ad hanc replicam respondeo distinguendo maiorem, quod appareat determinate vera veritate absoluta, nego maiorem; veritate restricta, & precise quantum est ex vi sui motivi, concedo maiorem. Et distincta eodem modo minori, nego consequentia. Quia licet implicet, quod unum extremum appareat determinate verum veritate absoluta, & quod oppositum simul appareat verum eadem veritate; non tamen implicat, quod utrumque appareat simul verum veritate restricta, & quantum est ex vi sui motivi, cui innititur. Nec ex hoc sequitur, (tacita præcluditur evasio) quod sit possibilis apparientia simultatis, sicut est possibilis simultas apparientia veritatis utriusque extremi: quia licet non implicet, utrumque extremum contradictionis esse simul verum duplici veritate rationali, seu esse simul verum in vi duplicis motivi, & apparientia, & precise quantum est ex vi illius; implicat tamen omnino, esse si-

mul

mul verum unica veritate rationali, & in vi unius motivi, & apparientia: quia implicat, dari unam opinionem, seu rationem probabilem asserentem, utrumque extremum contradictionis esse simul verum, seu habentem pro obiecto simultatem veritatis utriusque extremi: implicat siquidem, esse probabile, utrumque extremum contradictionis esse simul verum; non tamen implicat, utrumque extremum esse simul probabiliter verum diversa probabilitate.

43 Sed replicabis: quod apparet verum precise in vi sui motivi, & quantum est ex vi illius, non verò attentis omnibus motivis, non est simpliciter apparens verum, seu verò simile: ergo ut aliquid sit simpliciter verum, seu verosimile, consequenterq; probabile, requiritur, quod appareat verum attentis omnibus motivis. Probatur antecedens; est esse verosimile cum restrictione: ergo non est esse simpliciter verosimile.

Ad hanc replicam respondeo distinguendo antecedens. Si motivum, in vi cuius apparet verum, seu verosimile, non est simpliciter verosimile, concedo antecedens; si est simpliciter verosimile, nego antecedens: quia ad probabilita-

tem, seu verosimilitudinem passivam solum requiritur, quod probabilitas, seu verosimilitudo principij sit simpliciter talis: implicat namque, quod principium sit simpliciter probativum conclusionis, & quod conclusio non sit simpliciter probabilis per tale principium; quidquid sit, an sit probabilis per aliud principium, vel non: hoc enim non requiritur ad probabilitatem simpliciter talem, alias non posset duplex opinio esse probabilis quo ad se, & in re: quia quo ad se una opinio solum est probabilis in vi sui motivi, non verò in vi oppositi.

44 Arguitur septimo ex Illustriss. Palanco tract. de conscientia quest. 23. Opinio probabilis in conspectu oppositæ æque, aut magis probabilis, solum est probabilis attento suo motivo, non verò attentis omnibus motivis, hoc est, probabilem esse secundum quid, non verò absolute, & simpliciter: ergo opinio probabilis in conspectu oppositæ æque, aut magis probabilis, non est absolute, & simpliciter probabilis, sed solum secundum quid. Probatur maior primò ab exemplo: qui simul cognosceret, Mariam esse Matrem Petri, & simul esse ab ipso graviter iniuriatam, licet attento præ-

cise

cisè motivo maternitatis, esset ei probabile, Mariam diligere Petrum; non tamèn attento utroque motivo inter se collato maternitatis, & gravis iniuriæ: ergo opinio probabilis in cõspectu oppositæ æquè, aut magis probabilis, solum est probabilis ex vi præcisè sui motivi, non verò omnibus motivis attentis.

Secundo probatur eadem maior ratione: in eo sensu aliquid est simpliciter probabile respectu alicuius intellectus, in quo potest talis intellectus facere consequentiam probabilem ad illud; sed in prædicto casu intellectus, attentis omnibus motivis pro parte affirmativa, & uegativa, non potest facere consequentiam probabilem ad illud: quia minimè probabilis est hæc consequentia: *Dantur motiva, & rationes æquè probabiles pro parte affirmativa, & negativa: ergo affirmativa est vera: ergo idem, quod prius.*

Ad hoc argumentum respondetur, distinguendo maiorem: solum est probabilis, attento suo motivo secundum quid tantum probabili, nego maiorem; simpliciter probabili, concedo maiorem, & negata minori in sensu dicto, negatur consequentia. Quia hoc ipso, quod opinio nitatur

motivo simpliciter probabili, nequit non esse simpliciter probabilis; & si adveniat opposita æquè, aut magis probabilis: quia sicut motivum istius non aufert ab oppositò probabilitatem simpliciter talem, sic nec illa aufert ab opposita opinione esse simpliciter probabilem. Quod autem motivum probabile pro parte affirmativa non amittat probabilitatem simpliciter talem per præsentiam oppositi æquè, aut magis probabilis, constat ex dictis, quia perseverat semper verè magnum, & grave; & cum eadem vi intrinseca, & connectione cum veritate ut implurimum, in quo essentia motivi simpliciter probabilis consistit: quidquid sit, an impediatur per motivum oppositum ab exercitio probandi. Explicatur hoc exemplo adducto: nam cognoscenti simul, Mariam esse Matrem Petri, & ab eo graviter iniuriatam, æquè probabile, est simul, & illum diligere, & odio habere. Qua Mater est, probabile est illi, illum diligere: quia simpliciter est illi probabile, Matrem diligere filium. Qua mulier iniuriata est, est etiam illi probabile, illum odio habere: quia probabile est simpliciter, mulierem iniuriatam odio habere iniuriantem. Quare sicut est illi simul simpliciter

citer

citer probabile, Matrem diligere filium suum, & mulierem graviter iniuriatam odio habere iniuriantem, quia utrumque objicitur illi ut plerumque contingens, nec contingentia, ut plerumque unius destruit contingentiam ut plerumque alterius: sic etiam est illi simul simpliciter probabile, & quod Maria, quæ Mater, diligit Petrum, & quæ iniuriata, illum odio habet.

Ad secundam maioris probationem respondetur, concessa maiori, negando minorem, & ad probationem ibi insertam libenter concedo, non posse inferri absolute partem affirmativam esse veram ex eo, quod dentur motiva æquè probabilia pro utraque parte; sed nec posset inferri, & si solùm occurreret intellectui motivum probabile pro parte affirmativa; nam sicut motivum probabile nõ est verum absolute, sed solum probabiliter, sic consequentia ex illo illata, nequit esse vera absolute, sed solum cum addito, & probabiliter, seu quoad videri: cum quo optimè componitur, quod sit absolute, & in re falsa, quod semper habet, & si occurrat simul motivum probabile simpliciter pro parte negativa: nam cum utrumque motivum sit simul simpliciter probabile, necesse est, utramque con-

sequentiam ex illis deductam esse simpliciter probabilem, dicente D. Tho. opusc. 48. cap. 1. *In omni materia existentibus veris, vel probabilibus premissis semper sequitur conclusio vera, vel probabilis.* Et hoc est, quod intendo: non enim intendo, quod utraque pars contradictionis sit simul vera respectu eiusdem intellectus, sed quod sit simul probabilis, utpote habens motiva simpliciter probabilia simul respectu eiusdem intellectus.

45 Agitur octavo: implicat, quod utraque pars contradictionis sit simul simpliciter verosimilis respectu eiusdem intellectus: ergo implicat, quod sit simul simpliciter probabilis. Probatur antecedens, implicat, quod utraque pars contradictionis sit simul simpliciter verosimilis, & falso similis: ergo: probatur antecedens, implicat, quod sit simul simpliciter verosimilis, & verodissimilis: ergo &c. nam quod est falso simile, est verodissimile.

Ad hoc arg. resp. disting. ant. quod sit simpliciter verosimilis secundum eandem rationem, concedo ant. secundum diversam rationem, nego ant. & consequentiam. Quia licet utraque pars contradictionis verè probabilis, sit simpliciter verosimilis, & consequenter

Fff

quenter

quenter simpliciter verosimilis, & verodisimilis, non tamen secundum eandem rationem, sed secundum diversam, in quo nulla datur implicatio. Explicatur hoc exemplo iam adducto Mariæ Matris Petri, & ab eo graviter iniuriatæ: nam licet in hoc casu sit simpliciter verosimile, Mariam diligere Petram, & illum odio habere, non tamen secundum eandem rationem: quia est simpliciter verosimile, illam diligere Petrum, in quantum mater; & est simpliciter verosimile, illam eum odio habere, non in quantum mater, sed in quantum mulier graviter iniuriata: in quo nulla datur implicatio.

ARTICVLVS IV.

Vtrum positis omnibus requisitis ad assensum probabilem alicuius extremi, possit intellectus tali extremo dissentire?

Suppono, intellectum posse assentire opinioni probabiliori ut tali. Suppono etiam, esse in potestate nostra applicare intellectum ad considerandum utrumque extremum contradictionis, vel ut vnum præ alio con-

sideret, ut sic hoc appareat illi minus probabile ob defectum considerationis. Et solum inquiri, an positis omnibus requisitis ad assensum probabilem alicuius extremi, possit intellectus tali extremo dissentire? Quod idem est, ac inquirere, utrum assensus probabilis sit actus liber in se libertate contrarietatis?

§. I.

Vera sententia eligitur, & auctoritate D. Tho. probatur.

46 **D**icendum est, positis omnibus requisitis ad assensum probabilem alicuius extremi, posse intellectum tali extremo dissentire. Hanc sententiam tenet Mag. Ioannes à S. Thom. 1. 2. quæst. 18. disp. 12. art. 3. §. ultimo per totum. Mag. Ferre. tract. 6. de probab. opin. §. 4. 5. 6. 7. & alij Probabilistæ, quos sequuntur NN. PP. Salmant. tract. 17. disp. 3. dub. 1. agentes de libertate assensus fidei divinæ, circa quem actum eadem est difficultas, ac circa assensum fidei humanæ, seu circa assensum probabilem, immo maior difficultas est circa illum, cum nitatur motivo omnino infallibili.

Pro-

Probatur ergo conclusio auctoritate D. Tho. 1. 2. quæst. 17. art. 6. in corp. ubi ait: *alius autem actus rationis est, dum his, que apprehendit, assentit, si igitur fuerint talia apprehensa, quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia, assensus talium, vel dissensus non est in potestate nostra, sed in ordine nature: & ideo proprie loquendo, nature imperio subiacet. Sunt autem quedam apprehensa, que non adeo convincunt intellectum, quin possit assentire, vel dissentire, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam.* Sed hæc apprehensa, quæ ita inclinant intellectum, ut non adeo illum convincant, quin possit illis assentire, vel dissentire, non sunt alia (assensu fidei excepto) quam magis probabile, & minus probabile: ergo iuxta D. Tho. intellectus potest assentire, & dissentire magis probabili, & minus probabili; & consequenter positis omnibus requisitis ad assensum probabilem alicuius extremi, potest intellectus illi dissentire.

Ad hanc adeo convincentem, & manifestam auctoritatem D. Tho. respondet Illustriss. Palanco cum alijs Probabilioristis tract. de consec. quæst. 26. num. 133. positis om-

nibus requisitis ad assensum probabilem alicuius extremi, posse intellectum ex imperio voluntatis illi dissentire, non potestate immediata, & directâ, sed mediata, & indirectâ, quatenus potest intellectum suspendere à consideratione motivorum militantium pro illo extremo, cui non vult assentire, & applicare illum, ut vnicè, vel magis consideret alterius extremi motivâ, ut sic tale extremum illi appareat probabilius, vel vnicè probabile, & consequenter dignum assensu, quod, & non amplius intendit D. Tho.

Sed solutio hæc facile confutatur: primò, ergo licet in potestate voluntatis sit facere, quod obiectum apprehensum ut probabilius, non appareat probabilius ob defectum considerationis, sed minus probabile, ut sic intellectus illi dissentiat; non tamen est in potestate voluntatis, quod intellectus assentiat, vel dissentiat probabiliori ut tali: ergo probabilius ut tale, est de illis apprehensis, quæ ita convincunt intellectum, ut non possit illis dissentire, & quorum assensus non est in potestate nostra quo ad speciem, & obiectum, sed in ordine nature. Hæc consequentia conceditur libenter ab adversarijs. Sed hinc insurgit inges repli-

replica: nam iuxta D. Tho. præter illa apprehensa, quæ ita convincunt intellectum, ut intellectus illis naturaliter assentiat, ita ut intellectus non possit illis dissentire, dantur alia apprehensa, quæ non ita convincunt intellectum, quin intellectus possit illis assentire, vel dissentire: ergo si probabilius ut tale est ex illis apprehensis, quæ ita convincunt intellectum, ut illis intellectus non possit dissentire, præter probabilius ut tale dabitur aliud apprehensum, quod, & si inclinaret intellectum, non tamen illum ita convincat, quin illi possit assentire, & dissentire. Nunc peto ab Illustriss. Palanco, ut assignet mihi hoc apprehensum. Nam præter verum, ut verum, & probabilius, ut probabilius, assignari nequit aliud, nisi minus probabile; ut minus probabile, probabile, ut probabile, & improbabile, ut improbabile, vel etiam credibile: & si cuilibet ex his apprehensis ut talibus potest intellectus assentire, & dissentire, habeo vnde quaque intentum; ut vel tenui luce consideranti constabit.

Secundò impugnatur eadem solutio: vel est possibilis assensus circa minus probabile ut tale, vel non? Si est possibilis, habeo intentum. Si non est possibilis: ergo

non est possibilis assensus, qui sit in potestate nostra, cum assensus circa probabilis ut tale non sit iuxta adversarios in potestate nostra. Quod expresse est contra D. Thom. qui distinguit duo genera assensuum, quorum aliqui, & si sint in potestate nostra præsupositivè, quatenus in potestate nostra est considerare, vel non considerare obiectum, non tamen sunt in potestate nostra formaliter. Alij autem non solum sunt in potestate nostra præsupositivè, sed etiam formaliter, subiacentque imperio intellectus. Quare iuxta D. Thom. dantur diversa genera apprehensorum diverso modo moventium, & convincentium intellectum ad actum quo ad speciem; at iuxta adversarios non dantur diversa genera apprehensorum diverso modo moventium, & convincentium intellectum ad speciem actus: quia licet in potestate voluntatis sit, quod probabilioritas, vel probabilitas reperitur in hoc, vel illo extremo, tamen apprehensum, quod movet ad assensum probabilem semper est probabilius ut tale, vel vnicè probabile, & hæc apprehensa eodem modo movent, & convincunt intellectum quo ad speciem actus, scilicet necessariò: quod idem est ac

dice

De opinione probab. in ordine ad licite indicandum. Art. 4. 217
dicere, esse in potestate voluntatis in occurso duplicis opinionis oppositæ, quod alicui parti insit aliud prædicatum, ratione cuius intellectus illi possit assentire assensu necessario, quo ad speciem; non vero assensu, qui quo ad speciem sit liber, subiaceatque intellectus imperio, sed tantum naturæ, quod pugnat eum verbis D. Tho. dicentis, dari aliquos assensus, qui quo ad speciem subiacent imperio intellectus, non quidem præsupositivè tantum, quia hoc pacto etiam assensus scientificus, aut primorum principiorum subiacet; sed formaliter.

Tertiò impugnatur vrgèter: iuxta D. Tho. dantur aliqua apprehensa, quæ, & si moveant, & inclinent intellectum, non illum omnino convincunt ad actum, quo ad speciem; hæc apprehensa sunt probabilis ut talia, quia vera omnino convincunt intellectum, improbabilia, apprehensa ut talia, nullo modo inclinant: ergo probabilis ut talia sunt illa apprehensa, quæ ita inclinant intellectum ad actum quo ad speciem, ut illum non omnino convincant: ergo ita inclinant intellectum ad actum quo ad speciem, ut illum non necessitent, alias illum convincerent omnino.

Vrgetur amplius hoc ipsum: iuxta D. Tho. dantur aliqua apprehensa, quæ non ita convincenter movent intellectum ad assensum, quin intellectus possit illis dissentire; apprehensa, quæ non ita convincenter movent intellectum ad assensum, quin intellectus possit illis dissentire, movent intellectum ad assensum liberè libertate contrarietatis: ergo dantur aliqua apprehensa moventia intellectum ad assensum liberè libertate contrarietatis, quæ nequeunt esse alia nisi probabilis, vel credibilia ut talia, ut cuique est notum.

Consequentia est legitima, maior D. Tho. & minor probatur primò; apprehensa, quæ ita convincunt intellectum ad assensum, quod intellectus non possit illis dissentire, movent intellectum ad assensum necessariò necessitate contrarietatis: ergo quæ non ita convincenter movent intellectum ad assensum, quin intellectus possit illis dissentire, non movent intellectum ad assensum necessariò necessitate contrarietatis, sed liberè. Probatur secundò eadem minor: apprehensa, quæ non ita convincenter movent intellectum ad assensum, quin intellectus possit illis dissentire, non auferunt ab intel-

tellectu posse ad dissentium, ut ex ipsis terminis liquet: ergo movent liberè libertate contrarietatis. Probatur tertio eadem minor: in sensu composito apprehensorum non omnino convincenter moventium ad actum, sed potius non ita convincenter moventium, quin intellectus possit illis assentire, & dissentire, intellectus potest illis dissentire: ergo in sensu composito talium apprehensorum intellectus gaudet libertate contrarietatis. Probatur tandem eadem minor D. Tho. asserit, intellectum posse assentire, & dissentire talibus apprehensis, eo quod inconvincenter movent ad actum quo ad speciem; movere inconvincenter ad actum probabilem quo ad speciem, est movere liberè libertate contrarietatis, quia est movere non necessitando, & omnino convincendo ad actum quo ad speciem: ergo iuxta D. Tho. talia apprehensa movent liberè libertate contrarietatis.



§. II.

Proponitur prima ratio nostre conclusionis.

47 **P**robatur primò ratione nostra conclusio: intellectus potest assentire opinioni probabili in conspectu oppositæ magis probabilis: ergo positis omnibus requisitis ad assensum probabilem alicuius objecti, intellectus potest illi dissentire. Consequentia patet, & antecedens probatur: Opinio probabilis est simpliciter probabilis in conspectu oppositæ magis probabilis: ergo intellectus potest assentire opinioni probabili in conspectu oppositæ probabilioris, seu potest assentire opinioni minus probabili ut tali. Antecedens satis constat ex dictis art. præcedenti, & insuper probatur primò: opinio minus probabilis, ut talis, non est simpliciter dubitabilis, pro ut dubitabilitas distinguitur à probabilitate, nec est simpliciter improbabilis, & falsa: ergo est simpliciter probabilis. Antecedens quo ad primam partem libenter conceditur ab Illustriss. Palanco; & quo ad secundam probatur ex D. Tho. quest. 14. de verit. art. 1. in corp.

De opinione probab. in ordine ad licite iudicandum. Art. 4. 219
corp. ubi ait: *Quandoque verò intellectus inclinatur magis ad unam partem, quam ad alteram, sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc, quod determinet ipsum in unam partium totaliter. Unde accipit quidam unam partem, tamen semper dubitat de opposita, & hæc est dispositio opinantis.* Ex quibus verbis sic probatur antecedens. Tum, nam opinio inclinans intellectum ad assensum non est simpliciter improbabilis, & falsa respectu talis intellectus; opinio minus probabilis, ut talis iuxta D. Tho. inclinat intellectum ad assensum, & si minus, cum intellectus aliquando inclinatur magis ad unam partem, quam ad aliam: ergo iuxta D. Tho. opinio minus probabilis ut talis non est simpliciter improbabilis, & falsa. Consequentia est legitima, minor D. Tho. & maior certa: quia opinio, quæ hic, & nunc est intellectui simpliciter improbabilis, & falsa, nullo modo inclinatur ad assensum. Tum etiam: opinio non est simpliciter probabilis, quia magis inclinatur, sed quia inclinatur, in inclinare intellectum iuxta D. Tho. convenit opinio minus probabilis cum probabiliori: ergo, & in probabilitate simpliciter tali: Tum, & maxime: nam iuxta D. Tho. in casu inæqualis probabilitatis intellectus ita accipit unam partem, quod semper dubitet de opposita; pars, de qua intellectus semper est dubius, non est illi simpliciter improbabilis, & falsa, ut ex ipsis terminis liquet: ergo iuxta D. Tho. in ocursu duplicis opinionis oppositæ inæqualis probabilitatis intellectus ita adhæret uni parti, ut opposita non sit illi simpliciter improbabilis. Rursus iuxta D. Tho. in tali casu intellectus ita accipit unam partem, ut semper maneat dubius de opposita: ergo opposita semper est illi dubia; sed non dubietate rigurosa iuxta Illustriss. Palanco, & iuxta veritatem: ergo dubietate probabilis: ergo opinio minus probabilis ut talis iuxta D. Tho. non est simpliciter improbabilis, sed simpliciter probabilis.

48 Probatur secundo principale ant. ad hominem contra RR. Tyrsum: opinio probabilissima alicui intellectui est illi simpliciter probabilis; opinio minus probabilis ut talis, est huic Authori probabilissima: ergo opinio minus probabilis ut talis est iudicio illius simpliciter probabilis. Consequentia legitime infertur. Maior est certa, & minor probatur ex tom,

tom. 1. select. disp. 2. sec. 2. n. 18. ubi sic adhæret opinioni Thomistarum afferenti, futura existere hypotycticè in æternitate, ut de opposita dicat: *ut qui communiorum inter nostros sententiam sequi mauerit, quæ sanè probabilissima est, eam ab aduersariorum obiectionibus facile vindicare valeat*: ergo opinio huic Authori minus probabilis, est iudicio illius probabilissima, & consequenter simpliciter probabilis.

49 Probatur tertio idem ant. ad hominem contra Illustriss. Palanco, qui tract. de char. quæst. 8. refert duplicem sententiam oppositam, & de prima num. 154. sic ait: *verum tamen licet sententia non displiceat, tamen rationes non convincunt intentum*. Et de secunda hoc iudicium profert. *Vnde probabilius censeo*: ergo ita vna opinio est huic Authori probabilior, ut opposita illi non displiceat; opinio, quæ alicui non displicet, non est illi simpliciter improbabilis, & falsa: ergo ita vna opinio est illi probabilior, ut opposita non sit illi simpliciter improbabilis, sed probabilis.

Rursus num. 159. sic ait: *Ex his sententijs quacumque sine absurdo teneri potest, & per utramque satis probabiliter explicatur*

concursum potentie immediatus ad rationem genericam intellectiois: ergo iuxta Illustriss. Palanco utraque opinio opposita teneri potest, & sine absurdo: ergo nulla est suo iudicio falsa, & improbabilis, vel iudicat teneri posse, & sine absurdo, opinionem simpliciter improbabilem, & falsam ut talem. Rursus ergo iuxta Illustriss. Palanco utraque est satis probabilis: ergo simpliciter probabilis, non improbabilis: opinio namque, quæ alicui non est simpliciter probabilis, sed improbabilis, non est illi satis probabilis, sed potius satis improbabilis.

50 Sic multipliciter probato antecedenti; probatur etiam consequentia: nam opinionem esse simpliciter probabilem, seu opinabilem, nihil aliud est, quam posse probari, seu opinari ab intellectu: ergo si opinio minus probabilis, ut minus probabilis, est simpliciter probabilis, seu opinabilis ab intellectu, opinio minus probabilis, ut talis, potest ab intellectu probari, seu opinari.

Confirmatur hæc ratio primò, & magis explicatur: si possibilis est minoritas, & maioritas in probabilitate vtriusque extremi contradictionis, possibilis est minoritas, & maioritas in probatione,

tione, si possibilis est minoritas, & maioritas in probatione, possibilis est probatio terminata ad minus probabile ut tale: ergo si possibilis est minoritas, & maioritas in probabilitate simpliciter tali, possibilis est probatio terminata ad minus probabile ut tale. Consequentia est legitima: minor certa: quia probatio minor comparativè ad probatiorem, qua potest alterum extremum probari, est probatio terminata ad minus probabile ut tale. Et maior, quæ ex ipsis terminis videtur nota, facile probatur. Tum, nam si possibilis est maioritas, & minoritas in probabilitate passiva vtriusque extremi contradictionis, vnum extremum contradictionis potest probari ab intellectu probatione, quæ sit minor probatione, qua potest alterum extremum probari: ergo si possibilis est minoritas, & maioritas in probabilitate passiva simpliciter tali vtriusque extremi contradictionis, possibilis est minoritas, & maioritas in vtriusque extremi contradictionis probatione.

Tum etiam: si possibilis est minoritas, & maioritas in probabilitate passiva vtriusque extremi contradictionis, possibilis est minoritas, & maioritas in probabilitate activa; si hæc est possibilis, est pos-

ibilis minoritas, & maioritas in probatione: ergo si est possibilis minoritas, & maioritas in probabilitate passiva vtriusque extremi contradictionis, est possibilis minoritas, & maioritas in probatione. Consequentia est legitima, maior certa, & minor probatur: nam principium simpliciter probativum, minus alio, quàm simpliciter probativum, continet probationem, & qua minus probativum altero, continet probationem minorem contenta in altero principio magis probativo simpliciter: ergo si est possibilis minoritas, & maioritas in probabilitate activa simpliciter tali vtriusque extremi contradictionis, est possibilis minoritas, & maioritas in vtriusque extremi contradictionis probatione.

Confirmatur secundò eadem ratio: Si probabilitas vnius extremi contradictionis non opponitur probabilitati simpliciter tali alterius, sed est naturaliter compatibilis cum illa, nec probatio vnius extremi opponitur probabilitati alterius, sed est cum illa compatibilis; hoc ipso potest intellectus assentire, vel dissentire opinioni probabili in cōspectu oppositæ quæ, aut magis probabilis: ergo si probabilitas vnius extremi non opponitur

nitur probabilitati alterius, sed est compatibilis cum illa, intellectus potest assentire, vel dissentire opinioni probabili in conspectu oppositæ æquæ, aut magis probabilis. Probatur maior: Tum, si probabilitas, seu opinio simpliciter talis vnius extremi non opponitur opinioni simpliciter tali, seu probabilitati alterius, nec assensus probabilis vnius extremi opponitur assensui probabili alterius; si non opponitur assensui probabili alterius, nec opponitur opinioni probabili alterius extremi: ergo si opinio simpliciter probabilis vnius extremi non opponitur opinioni simpliciter tali alterius extremi, nec assensus probabilis vnius extremi opponitur opinioni probabili alterius extremi. Consequentia est legitima, maior certa: quia si assensus probabiles, eorumque obiecta opponerentur, etiam opiniones; seu principia talium assensuum opponerentur; cum ab illis capiant speciem, convenientque cum ipsis actibus in tendentia specifica ad obiectum. Minor etiam est certa, quia assensus probabilis vnius extremi non opponitur opinioni probabili alterius extremi, nisi mediante oppositione cum eius actu, quare si non opponitur cum eius actu, minus opponetur

cum illa.

Per quod magis explicatur vis confirmationis: nam assensus opinativus vnius extremi non opponitur opinioni simpliciter probabili alterius extremi immediate, & directe, sed indirecte, & mediate, mediante, scilicet, oppositione cum eius actu, vel mediante oppositione sui principij cū tali opinione; sed nec opponitur cum eius actu, ut probatum manet, nec principium talis assensus opponitur cum opinione probabili alterius extremi, cum simul sint naturaliter in eodem intellectu: ergo assensus probabilis vnius extremi contradictionis non opponitur opinioni probabili alterius extremi.

Urgetur tandem hoc ipsum: licet habitus opinionis sit incompatibilis cum habitu fidei, tamen quia potest dari principium elicitivum actus opinionis compatibilis cum habitu fidei, actus opinionis potest coniungi cum habitu fidei: ergo si potest dari principium assensus probabilis, & de facto datur, compatibile cum opinione opposita poterit etiam dari assensus probabilis simul

cum opinione opposita.

* *

§. III.

§. III.

Probatur conclusio alia ratione.

51 **P**robatur secundò conclusio ratione: Ex duplici medio conducente ad aliquem finem potest eligere voluntas æquæ, aut minus conducens: ergo ex duplici opinione probabili conducente ad perficiendum intellectum, potest voluntas eligere, quæ æquæ, aut minus conducit, & ad illius assensum applicare intellectum; consequenterque potest applicare intellectum ad assentiendum opinioni æquæ, aut minus probabili. Antecedens est doctrina communis Theologorum, & consequentia constat à paritate.

Sed illam negat Illustriss. Palanco, & reddit disparitatem: quia cum bonitas non consistat in indivisibile, potest aliquod obiectum esse secundum aliquam rationem bonum, & secundum aliam rationem malum, & consequenter potest voluntas proximè illud amare, vel odio habere; quia si illud amet, siue odio habeat, non exponitur periculo proximo frustrandi suam affectum, & inveniendi malum oppositum bono amato;

vel bonum oppositum malo averfato: nam si tale obiectum amat, verè invenit bonitatem, quæ amat, & si illud odio prosequitur, verè est in illo malitia, à quæ fugit. Eccontra verò accidit in intellectu propter oppositam rationem: quia cum verum consistat in invisibili, nec possit pars affirmativa, v. g. esse simul vera, & falsa, si stante æquali motivo, ut sit vera, ac ut sit falsa, vel maiori, ut sit falsa, intellectus illi assentitur, ut veræ, exponitur proximo periculo frustrandi talem actum, & inveniendi falsum loco veri, vel averfandi verum loco falsi: quod impossibile est intellectui, alias posset intellectus dicere: *credo hoc, siue sit verum, siue falsum.*

Sed contra est primò: ideo voluntas potest amare minus bonum, quia minus bonum est amabile: ergo etiam intellectus poterit probare minus probabile, ut tale, si sit simpliciter probabile. Sed est simpliciter probabile, ut supponimus: ergo poterit illud probare.

Secundò impugnatur solutio: ideo voluntas non exponitur periculo proximo frustrandi suam affectum, siue amet vnum extremum, siue aliud, quia semper amat quod est amabile, cum vtrumque

extre-

extremum supponatur amabile: ergo si utrumque extremum supponatur simpliciter probabile, intellectus non se exponit periculo frustrandi suam probationem, si ve probet vnum, si ve aliud, quia semper probat, quod est simpliciter probabile.

Tertio: idem voluntas non se exponit periculo frustrandi suum actum, si ve amet vnum extremum, si ve aliud, quia in utroque extremo invenitur ratio formalis specificativa amoris, scilicet bonitas, sed etiam in utroque extremo contradictionis simpliciter probabili invenitur ratio formalis specificativa probationis, seu assensus probabilis: ergo si ve intellectus probet vnum extremum, si ve aliud, non exponitur periculo frustrandi suum actum. Maior est doctrina adversariorum, consequentia legitima, & minor probatur: obiectum constituitur in ratione probabilis simpliciter per rationem formalem specificativam probationis: ergo implicat, quod utrumque extremum sit simpliciter probabile, & quod in utroque extremo non inveniatur ratio formalis specificativa probationis. Consequentia est legitima, & antecedens est certum: nam sicut obiectum constituitur in ratione

amabilis per rationem formalem obiectivam speculativam amoris, & idem implicat, quod sit amabile, & quod non habeat in se rationem formalem speculativam amoris, sic obiectum constitui debet in ratione probabilis, per rationem formalem specificativam probationis, implicabitque proinde utrumque extremum esse probabile, & non inveniri in utroque extremo rationem formalem obiectivam specificativam probationis.

Probatur secundò eadem minor: in utroque extremo contradictionis simpliciter probabili invenitur ratio formalis specificativa principij simpliciter probativi illius: ergo in utroque extremo contradictionis simpliciter probabili invenitur ratio formalis specificativa probationis. Consequentia est legitima: Quia principium probativum, & probatio gaudent eodem specificativo, cum conveniant in tendentia specifica ad obiectum, & principium probativum non respiciat suum obiectum, nisi media probatione. Et antecedens facile probatur: nam simul datur in intellectu principium simpliciter probativum utriusque extremi contradictionis, ut nunc supponimus: ergo simul datur in utroque extremo contradictionis ratio formalis

malis specificativa talis principij: Rursus: principium simpliciter probativum specificatur ab obiecto probabili, ut probabili: ergo si utrumque extremum est simul simpliciter probabile per suum principium, in utroque extremo invenitur ratio formalis specificativa sui principij probativi.

Probatur tertio eadem minor: Ratio formalis specificativa probationis, si ve assensus probabilis, non est veritas realis, & intrinseca, sed veritas rationalis, seu verisimilitudo; hæc reperitur in utroque extremo contradictionis simpliciter probabilis: ergo in utroque extremo contradictionis simpliciter probabili invenitur ratio formalis specificativa probationis. Probatur maior: Ratio formalis specificativa probationis invenitur in obiecto simpliciter probabili, si ve in re sit verum, si ve non; sed veritas, quæ invenitur in obiecto probabili simpliciter, si ve in re sit verum, si ve non, non est veritas realis, ut ex ipsis terminis liquet, sed solum veritas rationalis, si ve verisimilitudo: ergo ratio formalis specificativa assensus probabilis non est veritas realis obiecto intrinseca, sed solum rationalis. Tum etiam: dabilis est assensus simpliciter probabilis circa obiectum

non habens veritatem specificativam realem, sed potius falsitatem; non est dabilis assensus simpliciter probabilis circa obiectum non habens veritatem specificativam talis assensus, ab eoque essentialiter exactam: ergo veritas specificativa assensus probabilis non est veritas realis, sed solum veritas rationalis, seu verisimilitudo. Consequentia est legitima, minor ex ipsis terminis nota; quia repugnante specificativo alicuius actus repugnat actus. Et maior est certissima; quia probabilis ut tale terminare potest iuxta omnes assensum simpliciter probabilem, & plura sunt falsa probabiliora veris.

Ex quibus de novo impugnatur solutio: intellectus præstans assensum opinioni minus probabili, assequitur id ipsum quo ad substantiam, quod consequi potest per assensum partis probabilioris: ergo præstans assensum parti minus probabili, non exponitur periculo frustrandi talem actum, aut non inveniendi, quod inquit. Antecedens probatur: quod consequitur per assensum partis probabilioris est frui veritate rationali, seu verisimilitudine; hoc etiam consequitur per assensum partis minus probabilis: er-

go idem consequitur per assensum partis minus probabilis, ac per assensum partis oppositæ probabilioris. Probatur minor: quod consequitur per assensum partis probabilioris est frui veritate, quæ est obiectum talis assensus, veritas, quæ est obiectum talis assensus, non est veritas realis, sed solum rationalis, ut probatum reliquimus: ergo quod consequitur per assensum partis probabilioris est frui veritate rationali, non veritate reali; & si alias tale obiectum habeat in se talè veritatem, hoc enim de materiali se habet ad assensum probabilem, cum optimè salvetur sine illa.

52 Sed dices cum N. Christ. part. 2. quæst. 3. art. 2. §. 4. nu. 574. paritatem in nos esse retorquendam: nam potius oppositum tradunt N. Salmant. super art. 6. quæst. 14. 1. 2. D. Tho. & tract. 10. de voluntario, & involuntario disp. 2. nu. 16. voluntatem ex duplici medio æqualiter conducente ad aliquem finem non posse eligere, quod æquè aut minus conducit.

Ad hoc dicimus, falsum esse, nostros Salmant. talem doctrinam tradere. Nam in primo loco solum docent, non posse voluntatem ex duplici medio æqualiter

conducente ad aliquem finem eligere vnum præ alio, nisi in electione illius intellectus aliquam maiorem convenientiam, & utilitatem deprehendat, quàm in electione alterius, non obstante, quod vtrumque sit æqualiter conducat ad finem; non verò negant, quod proposito per iudicium indifferens duplici medio æquali in bonitate, & conducentia ad finem, non possit voluntas eligere aliquod ex illis, mediante alio iudicio intellectus cum præcedenti compatibili, proponente illi aliquam maiorem convenientiam, utilitatem, aut delectationem in vnius, quam in alterius electione, non obstante, quod vtrumque sit æqualis bonitatis intrinsecæ. Idem docent in 2. loco: ibi enim solum intendunt contra aliquos, quod præter iudicium proponens voluntati extrema, cum indifferentia, ut voluntas se determinet ad hoc extremum præ illo, indiget novo actu intellectus, à quo proponatur illi, ut magis conveniens hic, & nunc eligere hoc extremum, quam illud, siue illa convenientia maior sit intrinseca tali extremo, siue solum extrinseca, ut quando quis eligit ex duobus medijs æqualibus vnum præ alio, solum quia vult.

Sed quia in hoc latet æquivocatio,

§. IV.

Expenditur ultima ratio pro nostra conclusione.

53 **P**robatur tandem conclusio alia ratione: positis omnibus requisitis ad credendum, potest intellectus discredere: ergo positis omnibus requisitis ad assensum probabilem alicuius obiecti, potest intellectus tali obiecto dissentire. Consequentia est legitima, & antecedens communiter docent Theologi. Sed respondet Illustriss. Palanco, actum fidei solum esse liberum mediatè, quatenus est in potestate voluntatis applicare intellectum ad consideranda, vel non consideranda motiva nostræ fidei; vel minus consideranda, quàm motiva opposita; quare posita debita consideratione motivorum nostræ fidei, ita ut illa appareant intellectui evidenter credibilia; intellectus non potest illis dissentire.


Ut hæc solutio, quæ est expressè contra D. Tho. melius, efficaciusque impugnetur, est notandum, quod assensum fidei antecedit duplex actus intellectus, alius est actus, quo quis considerat, & inves-

catio, advertere necesse est: quod ly *quia voluntas vult* potest sumi dupliciter, vel per modum causæ efficientis, quo pacto omne, quod voluntariè fit, dicitur esse, quia voluntas vult: vel potest sumi per modum causæ allicientis, & movētis ipsam voluntatem, ut velit eligere hoc extremum præ illo: quo pacto solum se habet voluntas in electione æqualis, aut minoris boni; quia cum ex parte æqualis, aut minoris boni non resplendat aliqua ratio sufficiens ad movendam voluntatem, ut eligat illud præ opposito, intellectus proponit voluntati ut conveniens hic, & nunc, quod exerceat suam libertatem circa illud, eique applicet suam gratiam, & voluntas mota ab hac convenientia, quam intellectus illi proponit in exercendo suam libertatem circa illud extremum, æquè, aut minus bonum, illud eligit, quia vult, ly *quia vult* se tenente non solum ex parte causæ efficientis, sed etiam ex parte causæ allicientis per modum motivi pro-

positi voluntati ab in-

tellectu.

* * *



investigat credibilitatem obiecti; alius est actus, quo quis post motiva benè perpenſa iudicat certo, & evidentèr eſſe credibile. Notandum eſt ſecundo ex D. Tho. quæſt. 14. de verit. art. 1. & 2. 2. quæſt. 2. art. 9. & 2. 2. quæſt. 17. art. 6. iudicium certum, ſive ſcientificum, ſive primorum principiorum non ſubjici libero arbitrio, aut cadere ſub imperio intellectus, licèt cadat ſub imperio noſtro, & ſit ſub noſtra poteſtate conſiderare, vel non conſiderare talia obiecta. Notandum eſt tertio ex ipſo D. Tho. loco citato ex 1. 2. art. 10. in corp. actum fidei ſubiacerè noſtræ voluntati non ſolū quo ad uſum, ſeu quo ad exercitium; ſed etiam quo ad aſſenſum, ſeu ſpecificationem: *Reſp. dicendum, verba ſunt D. Tho. quod ſicut dictum eſt, actus fidei poteſt eſſe meritorius, in quantum ſubiacerè voluntati non ſolum quantum ad uſū, ſed etiam quantum ad eſſenſum.*

His notatis: impugnatur ſolutio ex D. Tho. quia poſitis omnibus requiſitis ad aſſenſum certum, ſcientificum, vel primorum principiorum, intellectus non poteſt diſſentire, aut non aſſentire, talis aſſenſus non eſt liber, nec quo ad ſpeciem, nec quo ad exercitiū; non obſtante, quod ſit omnino

in poteſtate noſtra conſideratio talis obiecti in abſentia præmiſſarum: ergo ſi poſitis omnibus requiſitis ad aſſenſum fidei, intellectus non poteſt diſſentire, talis aſſenſus non erit liber libertate contrarietatis, & ſi in poteſtate noſtra ſit obiectum talis aſſenſus conſiderare, vel non conſiderare.

Rurſus: implicat, quod actus fidei ſit mediate liber, ſi actus immediate præcedens ex parte intellectus non eſt liber; ſed actus immediate præcedens ad actum fidei non eſt liber: ergo nec actus fidei dici poteſt mediate liber. Probat minor: actus immediate præcedens actum fidei eſt iudicium certum de credibilitate obiecti; tale iudicium non eſt liberū, ut ex dictis conſtat, & ipſi adverſarij fatentur: ergo nec actus fidei dici poteſt mediate liber.

Adde tandem iuxta D. Tho. diverſo modo ſubiacerè imperio noſtro, noſtroque arbitrio aſſenſus fidei quo ad uſum, & aſſenſum, ac aſſenſus ſcientificus, ſed hic ſubiacerè mediate, quo ad uſum, & aſſenſum, quatenus in poteſtate noſtra eſt conſiderare, vel non conſiderare obiectum: ergo aſſenſus fidei eſt in poteſtate noſtra immediate: alias magis liber libertate cōtrarietatis eſſet aſſenſus ſcientificus,

De opinione probab. in ordine ad licite iudicandum. Art. 4. 229
tificus, ac aſſenſus fidei; cum immediatus eſſet ad actum liberum; aſſenſusque fidei non poſſet dici liber libertate contrarietatis, niſi in eo ſenſu, in quo aſſenſus ſcientificus dici poteſt liber libertate contradictionis, & contrarietatis; quo ab omnibus recordatur.

54 Impugnatur ſecundò ſolutio ex eodem Ang. Præcep. loco cit. de verit. ubi ſic ait: *Quandoque vero intellectus poſſibilis determinatur ad hoc, quod totaliter adherent uni parti; ſed hoc eſt quandoque ab intelligibili quādoque à voluntate. Ab intelligibili quidem, quandoque mediate, quandoque immediate, quando ex ipſis intelligibilibus ſtatim veritas propoſitionum intelligibilium infallibiliter apparet, & hæc eſt diſpoſitio intelligentis principia, que ſtatim cognoscuntur noſtris terminis, ut Philoſophus dicit, & ſic ex ipſo quod quid eſt intellectus immediate determinatur ad huiusmodi propoſitiones. Mediate vero, quando cognitio diſſinitionibus terminorum intellectus determinatur ad alteram partem contradictionis, virtute primorum principiorum, & iſta eſt diſpoſitio ſcientis. Quandoque vero intellectus non poteſt determinari ad alteram partem contradictionis, nec ſtatim per ipſas diſſinitiones*

terminorum, ſicut in principij; nec etiam virtute principiorum, ſicut in conſiſionibus demonſtrativis: determinatur autem per voluntatem, que eligit aſſentiri uni parti determinatè, & præciſè propter aliquid, quod eſt ſufficiens ad movendam voluntatem, non autem ad movendū intellectum, utpote quod videtur bonum, vel conveniens huic parti aſſentire. Et iſta eſt diſpoſitio credentis, ut cum aliquis credit dictis alicuius hominis, quia videtur decens, & utile, & ſic etiam movemur ad credendum dictis in quantum nobis reprimitur, ſi crediderimus, premium eterne vite. Aded expreſſè D. Tho. militat in his verbis propoſita ſententia, ut nulli explicationi, aut tergiverſationi relinquat locum.

Nam D. Tho. aſſerit, intellectum aliquando determinari ad aſſentiendum alteri ex extremis contradictionis, non à voluntate, ſed ab intelligibili: & ab hoc aliquando immediate, & hæc eſt diſpoſitio intelligentis principia, aliquando mediate, ſeu in virtute principiorum, & hæc eſt diſpoſitio ſcientis: aliquando vero non determinari ab intelligibili mediate, aut immediate, ſed à voluntate, & hanc aſſerit eſſe diſpoſitionem credentis: ergo iuxta D.

Tho. intellectus non determinatur ad credendum, potius quam ad discredendum ab ipso obiecto, sed à voluntate, & consequenter determinatur liberè.

Tum etiam: intellectus iuxta D. Tho. non determinatur ad alteram partem contradictionis, nec per ipsas diffinitiones terminorum, nec in virtute alicuius principij, sed à voluntate: ergo iuxta D. Tho. positis omnibus principijs requisitis ad credendum aliquod misterium fidei, indiget adhuc intellectus determinatione voluntatis, ut illud credat, & non discredat.

Tum denique: non obstante, quod intellectus determinatur à voluntate ad consideranda prima principia, aut obiectum scibile, quia tamen ipsis sufficienter propositis intellectui, intellectus non potest illis dissentire, asserit D. Tho. intellectum determinari ad actum intelligentiæ, vel scientiæ ab obiecto, non à voluntate: ergo si iuxta D. Tho. intellectus determinatur à voluntate ad credendum in eo sensu, in quo non determinatur à voluntate ad assensum scientificum, determinatur à voluntate ad credendum non solum mediata, & præsuppositivè, quatenus determinatur ad confi-

derandum obiectum: sed etiam immediate, quatenus adhuc supposita debita obiecti consideratione, determinatur à voluntate ad unam partium contradictionis; alias verificaretur, intellectum determinari ad unam partium contradictionis ab obiecto credibili debite considerato, sicut determinatur ab obiecto intelligibili, seu scibili sufficienter proposito.

Sed ubi adest sequens impugnatione, superfluum reliquæ: Nam iuxta D. Tho. *Quandoque intellectus non potest determinari ad alteram partem contradictionis, nec statim per ipsas diffinitiones terminorum, sicut in principijs; nec enim virtute principiorum, sicut in conclusionibus demonstrativis est: determinatur autem per voluntatem, quæ eligit assentiri uni parti determinate, & præcisè propter aliquid, quod est sufficiens ad movendam voluntatem, non autem ad movendum intellectum, utpotè, quod videtur bonum, vel conveniens huic parti assentire. Et ista est dispositio credentis: Ergo iuxta D. Tho. quandoq; (scilicet in credibilibus, & opinabilibus) non potest determinari ad alteram partium contradictionis in virtute principiorum: ergo in credibilibus, & opinabilibus iuxta D. Tho. non sunt princi-*

principia, quæ determinant intellectum ad alteram partium contradictionis, cum ad hoc non habeant virtutem, sed determinatio intellectus provenit à voluntate, & consequenter liberè. Rursus: principia ad credendum iuxta D. Tho. non habent virtutem ad determinandum intellectum ad unam partium contradictionis: ergo positis ipsis adhuc intellectus caret determinatione, indigetque proinde determinari à voluntate.

55 Impugnatur tertio solutio ratione: habitus fidei est habitus liber libertate contrarietatis: ergo actus fidei est actus liber libertate contrarietatis, & consequenter non solum consideratio obiecti fidei est omnino libera, sed etiam actus circa obiectum fidei ut sufficienter propositum, & consideratum, qui est actus fidei. Consequentia est legitima: Tum; quia actus elicited ab habitu libero nequit non esse liber. Tum etiam; quia actus habet actu, quod habitus habitu: quare si habitus habet habitu, seu in actu primo libertatem contrarietatis, eius actus debet illam habere in actu secundo. Tum denique: nam habitus liber libertate contrarietatis respicit actum liberum libertate contrarietatis:

quare implicat, quod habitus sit liber libertate contrarietatis, & quod actus eius simili libertate non gaudeat, alias ad quid illa libertas in actu primo. Adde: si habitus est liber libertate contrarietatis, eius obiectum reduplicativè ut tale est obiectum liberum libertate contrarietatis, seu est obiectum liberè movens libertate contrarietatis; si obiectum movet liberè libertate contrarietatis, actus circa tale obiectum nequit non esse liber libertate contrarietatis: ergo.

Sic demonstrata consequentia, probatur nunc antecedens: habitus fidei non necessitat intellectum ad speciem actus, licet illum determinet: ergo est habitus liber libertate contrarietatis. Consequenter, & antec. quod certissimum est, facile probatur: Nam homo fidelis potest errare in fide: habet enim potestatem, ut sit hæreticus, destruendo fidem per actum hæresis: ergo.

56 Impugnatur tandem solutio ratione, quam adducunt N. Sapientissimi PP. Salmantic. & in hunc modum proponunt loco supra citato nu. 4. *Quia ille actus est liber quo ad speciem, qui elicited à potente elicere actum oppositum; sed actus fidei elicited à potente elicere actum*

actum oppositum: ergo est liber quo ad speciem. Probatum minor: tum, quia positis omnibus requisitis ad credendum adhuc obiectum credendum non convincit intellectum, siquidem manet in se obscurum: ergo intellectus ita elicit actum fidei, quod potest discredere amplectendo contrarium. Tum etiã, quia positis illis requisitis, solet homo peccare per actus heresis, idololatriæ, aut iudaismi, qui non sunt mera omisso actus debiti, sed etiam actus fidei contrarij: ergo qui credit, potest committere hæc peccata: ergo actus fidei elicitur a potente elicere actus oppositos.

Confirmatur: quia actus fidei est magis liber, quam actus scientiæ: si quidem obiectum obscurum minus determinat intellectum, quã obiectum evidens: sed actus scientiæ est liber quo ad exercitium, siquidem potest homo ab obiecto scientiæ divertere: ergo actus fidei est liber non solum quo ad exercitium, sed etiam quo ad speciem. Quæ duo significavit D. Tho. verbis supracitatis, subiacet voluntati non solum quo ad usum, sed etiam quo ad assensum; id est, non solum pendet à libertate, quod intellectus se exercent circa obiectum revelatum, sed etiam quod exercitium sit potius assensus, quam dissensus. Hucusque isti

SS. PP. Sed pro auferenda qualibet æquivocatione notare oportet, quod assensus scientificus non semper est necessarius quo ad exercitium; sed aliquando est necessarius quo ad exercitium, & aliquando liber, quando assensus scientificus elicitur in absentia præmissarum, quo pacto elicitur ab habitu scientiæ, actus scientificus evadit liber quo ad exercitium; quando vero assensus scientificus elicitur in præsentia præmissarum, quo pacto elicitur ab habitu primorum principiorum, talis assensus est necessarius quo ad exercitium: quia assensus præmissarum necessitat intellectum quo ad exercitium ad assensum conclusionis. Videantur N. Salmant. tract. 8. disp. 1. dub. 4. §. 3.

§. V.

Divulsi argumenta contraria.

57 **C**ontra nostram conclusionem sentit Illustriss. Palanco cū reliquis Probabilioristis, quæst. 26. de conscientia, & in eius favorem arguitur primò ex Ang. Præcep. quæst. 12. de verit. art. 1. ubi ait: *Quandoque intellectus non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud,*

De opinione probab. in ordine ad licite iudicandum. Art. 4. 233
aliud, vel propter defectum motum, sicut in problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem equalitatem eorum, quæ movent ad utramque partem, & ista est dispositio dubitantis, qui fluctuat inter duas partes contradictionis: ergo cum intellectus æqualiter movetur, manet dubius inter utramque, & consequenter nulli assentitur, vel assentiri potest, minusque proinde poterit assentiri parti minus probabili, in conspectu probabilioris, consequenterque positis omnibus requisitis ad assensum, non poterit intellectus dissentire, quia iuxta D. Tho. 3. Metaph. cap. 1. *Dubitatio de aliqua re hoc modo se habet ad mentem, sicut vinculum corporale ad corpus, & eundem effectum demonstrat: sicut enim ille, qui habet pedes ligatos, non potest in anteriora procedere secundum viam corporalem, ita ille, qui dubitat, quasi habens mentem ligatam, non potest in anteriora procedere secundum viam speculationis.* Quare si intellectus equaliter motus ab utroque extremo contradictionis manet dubius inter utrumque, neutri poterit probabiliter assentiri.

Ut huic argumento, ex cuius solutione dependet aliorum solutio, liquidò satisfiat, notandum est

primò, quod datur duplex veritas, veritas realis, & intrinseca, & veritas rationalis, & extrinseca; veritas realis, & intrinseca, est illa, quam obiectum re ipsa habet in re, veritas rationalis, & extrinseca, est illa, quã obiectum habet in intellectu, quãtum est ex vi motivi, & rationis, cui innititur, quid quid sit an in re sit ita, vel non? Inter quas veritates hoc datur discrimen, quod veritas realis reperiri nequit in utroque extremo contradictionis, benè verò veritas rationalis, seu verisimilitudo.

Notandum est secundò, quod obiectum assensus veri est verum in re, at obiectum assensus probabilis, seu veri veritate tantum rationali, non est verum veritate reali, sed solum veritate rationali, cū possit dari assensus probabilis, seu verus veritate rationali circa obiectum falsum in re, dummodo veritate rationali gaudeat, ut supra vidimus. Quare stat, quod in intellectu detur obiectum assensus probabilis, & non detur obiectum assensus veri. (intellige veritate reali)

Notandum est tertio, quod sicut datur hæc duplex veritas, dari etiam potest duplex dubium veritatis, dubium, scilicet, veritatis realis, & dubium de veritate rationali:

Quando intellectus est dubius de veritate reali, & rationali alicuius obiecti, non potest illi assentire nec assensu certo, nec assensu probabili, quia deficit illi obiectum utriusque assensus; at verò quando intellectus habet certitudinem de veritate rationali, & si sit dubius de veritate reali, potest assentiri illi assensu verò veritate rationali, & si non assensu verò veritate reali: quia quandiu intellectus circa talem veritatem est dubius, deficit illi obiectum talis assensus.

His notatis: ad argumentum respondetur: quod quando intellectus æqualiter movetur ab utroque extremo contradictionis, est dubius de veritate reali, non verò de veritate rationali, ex quo solum sequitur, quod intellectus non possit tali obiecto assentiri assensu verò veritate reali, de qua non dubitat, sed est certus. Quare ex verbis D. Tho. solum sequitur, quod dubitans de veritate reali obiecti propter motiva æque probabilia, non possit assentire tali obiecto assensu certo, & habente pro obiecto ipsam veritatem realem; non verò, quod non possit assentire assensu verò veritate rationali, habenteque pro obiecto obiectum verum veritate rationali, de qua intellectus non dubitat,

sed est certus: Quia licet dubium de veritate reali obiecti sit incompatible cum assensu certo circa tale obiectum, non verò cum assensu probabili, ut manifestè docuit D. Tho. 2. 2. quæst. 1. art. 4. his verbis: *Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab obiecto proprio, sed per quandam electionem voluntarie declinans in unam partem, magis quam in aliam, & si quidem hoc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis erit opinio.* Quibus in verbis D. Tho. clarè componit cū dubitatione de veritate obiecti assensum probabilem, quod, & non amplius asserimus Probabilistæ. Vide dicta quæst. 2. art. 1.

Arguitur secundo, intellectus non potest assentire opinioni probabili in conspectu oppositæ æque probabilis: ergo nec minus probabili in conspectu probabilioris, consequenterque positis omnibus requisitis ad assensum probabilem alicuius extremi, non potest tali extremo dissentire.

Prob. antec. quotiescumque mobile movetur in partes oppositas à moventibus æqualis activitatis, in neutram declinare potest, sed immobile perseverat, ut videre licet in statera actu pōderante equalia pondera; sed intellectus à dupli-

ci

ci opinione opposita æque probabili æqualiter movetur in partes oppositas: ergo in neutram declinare potest. Prob. 2. idem antec. quando utraque pars contradictionis est intellectui æque probabilis, quælibet pars apparet illi æque falsa, ac vera; sed nullus intellectus potest determinatè assentire parti, quæ sibi non minus apparet falsa, ac vera: ergo nullus intellectus potest assentire parti probabili in conspectu oppositæ æque probabilis.

Ad hoc argumentum respondetur, neg. antec. & ad eius primam probationem resp. distig. maiorem: quotiescumque movetur in partes oppositas à moventibus æqualibus, tam quo ad sufficientiam, quam quo ad efficaciam, in neutram declinare potest, concedo maiorem: quotiescumque movetur præcisè quo ad sufficientiam, negatur maior. & distincta eodem modo minori, negatur consequentia. Quia dupliciter potest mobile moveri in partes oppositas, vel quo ad sufficientiam tantum, vel quo ad sufficientiam, & efficaciam simul. Quando movetur à moventibus in partes oppositas, tam quo ad sufficientiam, quam quo ad efficaciam. Si utrumque movens est æqualis activitatis, mobile non po-

test in alteram partem declinare, sed immobile perseverat. Quando verò mobile movetur à moventibus, solum quo ad sufficientiam, & motio quo ad efficaciam aliunde provenit, stante æquali activitate, & vi ex parte moventium, potest mobile in quamlibet partem declinare dependenter ab illo alio principio, à quo provenit efficacia motionis: quia stante æqualitate in pondere quo ad sufficientiam, seu stante æqualitate in condignitate ad movendum, stare potest inæqualitas pōderis quo ad efficaciam. Et hoc pacto accidit in nostro casu: quia probabile, ut vidimus, non habet movere ex se intellectum quo ad efficaciam, sed solum quo ad sufficientiam, cum non omnino cōvincat intellectum, & omnis efficacia advenit illi à voluntate, quæ voluntariè eligit assentire huic parti præ opposita ratione maioris convenientiæ, quæ ipsi ab intellectu proponitur in talis partis assensu, quæ convenientia est motivum sufficiens ad movendum voluntatem, non verò intellectum. Quæ doctrina est ipsissima mens D. Tho. quæst. 14. de verit. art. 1. ubi ait: *Intellectus determinatur per voluntatem, quæ eligit assentiri uni parti determinate, & præcisè propter aliquid, quod est sufficiens*

ciens

ciens ad movendam voluntatem, non autem ad movendum intellectum, utpote quod videtur bonum, vel conveniens huic parti assentiri. Quid clarius dici potest in nostræ sententiæ favorem? Per quod patet ad exemplum stateræ, statera siquidem movetur pondere non solum quo ad sufficientiam, sed etiam quo ad efficaciam, cum moveatur necessario, & idè nihil mirum, si immobilis persistit, quando à ponderibus æqualibus in partes oppositas movetur.

59 Sed contra hanc solutionem insurgit Illustriss. Palanco: si stantibus æqualibus motivis pro utraque parte contradictionis, voluntas immediatè imperaret assensum partis affirmativæ præ negativam; voluntas in quæstione dubia immediate determinaret partem affirmativam esse veram, & negativam esse falsam; hoc implicat: ergo stantibus motivis æqualiter probabilibus pro utraque parte contradictionis, non potest intellectus assentiri immediatè alicui ex imperio voluntatis. Consequentia est legitima, maior videtur certa, & minor innegabilis: quia voluntas, cum cæca sit, nequit resolvere dubia, sed hoc ad intellectum attinet.

Ad hanc objectionem respondetur, negando maiorem: quia vo-

luntas nõ determinat intellectum, ut ferat iudicium de eo, de quo præsupponitur dubius, sed de eo, de quo præsupponitur signatè certus: intellectus namque supponitur dubius circa veritatem realem obiecti, & certus circa veritatem rationalem, & voluntas non determinat intellectum, ut iudicet de obiecto ratione suæ veritatis realis, sed ratione suæ veritatis rationalis: quia determinat intellectum, ut iudicet probabiliter de parte affirmativa; & iudicium probabiliter, ut iam diximus, non respicit obiectum secundum suam veritatem realem, sed solum secundum suam veritatem rationalem. Quare intellectus assentitur probabiliter obiecto ratione suæ veritatis rationalis, sive sit verum, sive non, veritate reali.

60 Sed dices, intellectus assentitur obiecto probabiliter, ut eius veritate fruatur; non ut fruatur ipsa probabilitate, quia hac iam fruatur per præsuppositum iudicium, quo iudicat, tale obiectum esse probabile: ergo assentitur probabiliter illi, ut fruatur eius veritate reali, consequenterque obiectum assensus probabilis est ipsa veritas realis.

Ad hanc replicam respondetur: intellectum per iudicium certum.

tum de probabilitate obiecti frui ipsa probabilitate, non ut exercite est ratio formalis attingendi obiectum; sed signatè, & ut res quædam est, seu ut est quodam obiectum quod, habens in se suam veritatem realem, ratione cuius est attingibile ab intellectu iudicio certo. Quare ut intellectus fruatur probabilitate, ut exercite est ratio formalis attingendi obiectum, indiget alio iudicio probabili: sicut intellectus per iudicium, quo iudicat signatè, aliquod obiectum esse scibile, fruatur signatè ipsa scibilitate obiecti, & nihilominus eget alia cognitione scientifica, ut fruatur ipsa scibilitate, ut exercite est ratio attingendi obiectum. Per primum actum habet pro obiecto quod directo ipsam scibilitatem obiecti ratione suæ veritatis realis. Per secundum habet pro obiecto quod directo ipsum obiectum ratione suæ scibilitatis. Sic similiter in nostro casu: iudicium certum de probabilitate obiecti habet pro obiecto quod directo ipsam probabilitatem obiecti ratione suæ veritatis realis, vera namque probabilitas sua veritate reali gaudet, sicut quodlibet aliud obiectum: at iudicium probabile de obiecto habet pro obiecto quod ipsum obiectum ratione suæ veritatis rationalis.

Quare primum iudicium dat locum secundo, quia licet fruatur probabilitate obiecti, non fruatur illa omnibus modis.

61 Secundo insurgit Illustr. Palanco contra solutionem: implicat intellectum opinari unam partem esse veram præ oppositam, quin detur aliqua ratio, ut illa sit vera præ opposita; sed stantibus æqualibus motivis pro utraq; parte contradictionis, nulla datur ratio, ut una pars sit vera præ opposita: ergo stantibus æqualibus motivis pro utraque parte contradictionis, intellectus non potest opinari, unam partem esse veram præ opposita. Totus syllogismus est clarus.

Sed clarissimè respondeo, concedendo totum syllogismum, & detengendo æquivocationem. Nam aliud est, voluntatem eligere unam partem præ alia, ut intellectus illam iudicet veram, & non iudicet aliam; aliud est, intellectum iudicare unam partem esse veram præ alia, seu magis, quam est alia. Stantibus æqualibus motivis pro utraque parte contradictionis, voluntas eligit unam partem præ alia, ut intellectus iudicet illam veram hic, & nunc, & non iudicet aliam, & ratio huius electionis est maior convenientia, quæ illi proponitur

in tali iudicio, sed non eligit unam præ alia, ut intellectus illam iudicet esse veram præ alia, seu magis, quam est alia, cum ad hoc non detur sufficientia ex parte talis extremi; sed eligit unam præ alia, ut illam iudicet intellectus veram æqualiter, ac alia iudicari potest: quia solum ad hoc iudicium datur sufficientia ex parte motivorum æque probabiliū, & solum habet locum efficacia voluntatis, supposita sufficientia ex parte obiecti intellectus. Per quod patet etiam solutio ad aliam impugnationem eiusdem Authōris: licet enim non sit ratio in casu æqualis probabilitatis utriusque extremi contradictionis, ut intellectus assentiat vni parti præ alia, iudicando illam veram præ alia, seu magis veram quā alia, adest tamen ratio, ut assentiat vni parti præ alia, illam iudicando æque probabiliter veram, ac videt, aliam esse probabiliter iudicabilem.

Sed ut videat Illustriss. Palanco solutionem datam argumento non esse nostrum unicum recursum, aliter respondetur ad argumentum, negando anteced. & ad eius probationem, omīssa maiori, negatur suppositum minoris: supponit namque, dictas opiniones esse inter se oppositas, assensusque

oppositos respicere; quod est falsum; quia si tales opiniones essent inter se oppositæ, earumque motiva inclinarent in actus oppositos, non possent esse simul, saltem naturaliter, in eodem intellectu, cuius oppositum admittit Illustriss. Palanco nū. 80. & satis efficaciter manet probatum. Quare ex eo, quod mobile motum à moventibus in partes oppositas, immobile persistat, non requiritur, quod intellectus motus à duplici opinione æque probabili in assensus versantes circa obiecta materialiter opposita, persistat immobilis, quia tales assensus non sunt inter se oppositi, nec inclinationes ad illos. Sed iuxta hunc modum dicendi licet intellectus possit dissentire, & assentire probabiliter cuilibet extremo contradictionis, dici nequit propriè habere libertatem contrarietatis, cum tales actus non sint formaliter contrarij.

Ad secundam eiusdem antecedentis probationem respondetur, distinguendo maiorem: apparet æque falsa, ac vera, secundum eandem rationem, & ex vi eiusdem motivi, nego maiorem: secundum diversam rationem, & ex vi diversi motivi, concedo maiorem, & disting. min. Nullus intellectus potest assentire determinatè parti, quæ

quæ, non minus apparet falsa, ac vera, si appareat determinatè vera, non obstante; quod appareat falsa, nego min. Si non appareat determinatè vera, conced. min. & neg. consequentiā. Quia dupliciter potest aliquod extremum apparere æque falsum, ac verum; vel ex vi eiusdem motivi, vel ex vi diversi, & oppositi motivi: tunc apparet æque verum, ac falsum ex vi eiusdem motivi, quando motivum nō magis conecitur cum veritate, quam cum falsitate, sed indifferentè se habet ad utramque: in vi namque huiusmodi motivi extremum æque apparet verum, ac falsum; non quidem positivè, & determinatè, quasi positivè, & determinatè appareat verum, aut positivè, & determinatè appareat falsum; sed negativè. Tunc extremum apparet æque falsum, ac verum ex vi diversi motivi, quando illa diversa motiva habent maiorem connexionem cum veritate, quam cum falsitate, in hac tamen maiori connexionem sunt æqualia: quia qua parte talia motiva habent maiorem connexionem cum veritate, quam cum falsitate, extremum ex vi unius cuiusque ex illis motivis apparet magis verum, quā falsum, habetque proinde determinatè veritatem rationalem, seu

restrictam, quæ in tali apparientia consistit; & qua parte talia motiva in illa maiori cōnexionem sunt æqualia, attentis omnibus illis dictum extremum apparet determinatè verum, æque ac falsum.

Quando extremum est æque verum, ac falsum modo dicto in vi eiusdem motivi, intellectus in vi talis motivi non potest præstare assensum probabilem illi extremo: quia illud motivum, cum non habeat maiorem connexionem cum veritate, quam cum falsitate, non est probabile, & in vi motivi non probabilis intellectus non potest assentire probabiliter. Quando vero extremum apparet æque verum, ac falsum ex vi diversi motivi modo iam explicato, licet intellectus non possit assentire tali extremo ex vi illius motivi, in vi cuius apparet magis falsum, quam verum, bene tamen ex vi illius, in vi cuius apparet magis verum, quam falsum, quia in vi illius est simpliciter probabile, & consequenter probatione dignū.

Quare sicut intellectus posset assentire, vel dissentire pro libito alicui extremo assensu certo, & vero, si tale extremum esset simul verum, & falsum veritate reali; sic similiter, supposito, quod aliquod extremum sit simul verum, & falsum

sum veritate, & falsitate rationali, seu restricta, poterit intellectus prohibito illi assentire, vel dissentire assensu, vel dissensu vero veritate rationali, seu assensu probabili: quia sicut obiectum assensus veri veritate reali est obiectum vt verum veritate reali, ita obiectum assensus veri veritate rationali est obiectum vt verum veritate rationali, seu obiectum vt probabile. Nec mirum esse debet, si intellectus assentiat tali extremo, vt determinate vero veritate rationali, si determinate est verum veritate rationali, non obstante, quod ex vi alterius motivi sit determinate falsum falsitate rationali.

62 Per quod manet enervatæ omnes impugnationes, quas adducit Illustriss. Palanco contra solutionem datam, & consulto omitto. Et ultima specialiter nullius est momenti: positus si quidem motivis graviter moventibus æqualiter voluntatem ad amorem, & odium, potest intellectus probabiliter iudicare, quod voluntas amat, vel quod odio habet: nec hoc cognoscit in principio indifferenti, quia cognoscit, quod amat, aut amabit in voluntate vt graviter inclinata ad amorem: & cognoscit, quod odio habet, aut habebit, in voluntate vt graviter incli-

nata ad odium. Exemplum est in Maria Matre Petri, & ab eo graviter iniuriata: quia quæ Mater, est magis inclinata ad amorem Petri, quam ad odium, & in vi huius maioris inclinationis potest intellectus iudicare illam diligere Petrum: & quia graviter iniuriata, est magis inclinata ad odium illius, quam ad amorem, & in vi huius maioris inclinationis potest quis probabiliter iudicare odio illum habere. Quia licet in tali casu voluntas Mariæ non magis connectatur cum amore, quam cum odio, hoc non est, quia nec connectitur cū amore, nec cum odio; sed quia æquè graviter connectitur cum utroque; in quo casu intellectus utriusque extremo potest probabiliter assentire; cum utrumque sit simpliciter probabile ratione illius maioris connexionis, quam habet cum veritate, quam cum falsitate, in vi motivi, cui innititur.

63 Arguitur tertio: intellectus non potest assentire opinioni minus probabili in conspectu probabilioris: ergo positus omnibus requisitis ad assensum probabilem alicuius extremi intellectus non potest tali extremo dissentire. Prob. antec. primo: Si intellectus posset assentire opinioni minus probabili in conspectu probabilioris, dissentireque

De opinione probab. in ordine ad licite iudicandum. Art. 4. 241
tineque probabiliori, posset iudicare falsam partem, quæ sibi hic, & nunc apparet magis vera; hoc est omnino falsum: ergo. Prob. 2. idem anteced. quælibet potentia tendit naturaliter in obiectum; quantum potest, sed obiectum intellectus est verum: ergo tendit quantum potest in verum: ergo, quando ex duplici extremo opposito vnum apparet magis verum, quam aliud, naturaliter tendit in magis verum, alias non tenderet in verum quantum posset; consequenterque assensus extremi magis veri, seu probabilioris vt talis non erit sub dominio voluntatis. Tertio voluntas ex duplici medio semper eligit illud, quod magis conducit ad finem; sed ad finem opinantis, qui est attingere veritatem, magis conducit assensus partis probabilioris, quam minus probabilis, cum pars probabilior appareat magis vera: ergo voluntas nequit eligere assensum partis minus probabilis; consequenterq; dato, quod assensus partis minus probabilis non repugnet ex parte intellectus, repugnaret semper ex parte voluntatis.

Ad hoc argumentum responderetur, negando anteced. & ad eius probationem disting. mai. posset iudicare falsam partem, quæ sibi

hic, & nunc apparet magis vera, posset iudicare falsam absolute, nego mai. cum restrictione, & quantum est ex vi motivi, cui talis assensus nititur conced. mai. & neg. conseq. cum min. Quia dupliciter potest aliquod extremum iudicari falsum, vel absolute, & in re, vel cum restrictione, & præcise quantum est ex vi sui motivi: iudicatur absolute, & in re per iudicium certum; solum enim iudicium certum habet pro obiecto veritatem, aut falsitatem realem. Iudicatur falsum cum restrictione, & præcise quantum est ex vi motivi, cui tale iudicium nititur, quod est iudicare falsum falsitate rationali, per iudicium probabile: hoc enim habet pro obiecto veritatem rationalem. Extremum probabilius non potest iudicari falsum absolute, & falsitate reali, quod est iudicare falsum iudicio certo, bene tamen potest iudicari falsum cum restrictione, seu falsitate rationali, quod est iudicari falsum probabiliter. Si enim, non obstante, quod tale extremum sit probabilius, oppositum est simpliciter probabile, & consequenter verum veritate rationali, quid mirum, quod iudicetur verum veritate rationali; & in vi eiusdem motivi oppositum iudicetur falsum eadem

falsitate, & si ex vi alterius motivi sit verum veritate rationali, & magis verum, quam oppositum?

Ad secundam probationem respondetur: quod ad suum obiectum adæquatum tendit potentia, quantum potest, & consequenter naturaliter, non verò ad obiectum non adæquans capacitatem potentiae: ad hoc enim tendit liberè. Probabile autem sive magis, sive minus, non est obiectum adæquans capacitatem intellectus, quare illum non omninò convincit, & consequenter non illum trahit naturaliter, sed liberè.

Ad tertiam, & ultimam probationem dico, finem opinantis non esse semper attingere veritatem; non enim semper opinamur, ut speculemur, sed ut operemur, aut propter aliam convenientiam, & utilitatem, quæ in tali assensu opinativo invenitur: quia cum voluntas sit appetitus potius suppositi, non tam attendit ad peculiare bonum intellectus, quam ad bonum totius suppositi: quare si ad hoc invenit maiorem conducentiam in assensu partis minus probabilis, potest illum tam physicè, quam moraliter eligere, licet ad inveniendam veritatem non magis conducatur, ut artic. sequenti latius ostendam.

64 Arguitur tandem: voluntas quærens determinatè in aliquo obiecto delectationem, & habens æqualia motiva, ut tale obiectum sit delectabile, & ut non sit delectabile, aut maiora, ut non sit delectabile, non potest tale obiectum amplecti: ergo intellectus quærens in aliquo obiecto veritatem, & nò habens maius motivum, ut sit verum, quam falsum, aut habens maius motivum, ut sit falsum, non poterit tali obiecto assentire.

Ad hoc argumentum, quod nullam specialem difficultatem continet, respondetur, quod, vel stantibus æqualibus motivis, ut obiectum sit delectabile, & non sit delectabile, potest intellectus iudicare probabiliter, tale obiectum esse delectabile, & illud ut delectabile voluntati proponere, vel non? Si potest, etiam voluntas, poterit illud ut delectabile amplecti: quia voluntas potest prosequi obiectum, quod ut prosequibile ab intellectu proponitur: si non potest, quid mirum, quod voluntas illud non possit amplecti, cum debeat in omnibus ductum intellectus sequi.

Si autem inquiras, an in tali casu possit intellectus iudicare probabiliter, tale obiectum esse delectabile? Respondetur, quod vel voluntas

luntas invenit aliquam maiorem convenientiam in applicando intellectum ad iudicandum tale obiectum esse delectabile, vel non invenit? Si invenit, poterit applicare intellectum, ut iudicet tale obiectum esse delectabile. Si autem non invenit, non poterit, & consequenter nec intellectus poterit potentia consequenti, & quo ad efficaciam illi, ut delectabili probabiliter assentiri.

ARTIC. V.

Utrum licitum sit assentire opinioni probabili in conspectu oppositæ æquæ, aut magis probabilis?

65 **S**Tabilito iam, posse intellectum physicè assentire opinioni probabili in conspectu oppositæ æquæ, aut magis probabilis; videndum nunc est, an possit moraliter, & licitè? In quo stat præcipua controversia inter Probabilistas, & Probabilioristas. Sed est valde notandum, hic fieri non posse recursum ad libertatem indirectam, & mediatam: licet enim possit quis assentire physicè opinioni minus probabili, iudicando illam prius

probabilioribus ob defectum voluntarium debitæ considerationis, non tamen potest hoc modo illi assentire licitè in adversariorum principijs, cum talis assensus ortum ducat ex voluntaria in consideratione, & ex ignorantia vincibili veræ probabilioritatis, sicque assentiens exponat se voluntariè periculo errandi circa veram probabilioritatem. Quare si adest præceptum iudicandi secundum probabilius, non poterit non peccare sic iudicans in omni casu, in quo dictum præceptum obliget: quia præceptum obligans ad iudicandum secundum probabilius obligat consequenter ad maturè, debiteque considerandum, quod extremum sit re ipsa probabilius? Ne per errorem præstetur assensus ut probabiliori, extremo, quod in rei veritate est minus probabile. Quo notato.

S. I.

Probabilistarum sententia eligitur, & auctoritate D. Tho. probatur.

65 **D**icendum est, licitum esse assentire opinioni probabili in conspectu oppositæ æquæ, aut magis

gis probabilis. Hanc sententiam tenent omnes probabilistæ, quos sequuntur NN. SS. PP. Salmant. Iocis supra relatis art. 3. §. 1. quorum verba libet hic reppetere, vt nulli de eorum mente dubitare liceat: sic enim inquit dicti P.P. *vt enim Pontifex licite, & prudenter se gerat in dispensando, sufficit, quod sequatur dictamen opinionis probabilis, qualis est affirmans.* In super eodem loco: *idque inductivè potest manifestari in dispensationibus, & dispositionibus Pontificijs circa alias materias, in quibus solent concurrere opiniones contrarie probabiles, nam potest quamlibet sequi, eamque sequens non desinit, nec damnat contrariam.* Quam sententiam probant vrgentissime autoritates datæ art. 3.

67 Probatur nunc nostra conclusio autoritate D. Thom. quæ rem hanc meo iudicio omnino conficit: nam D. Tho. 2.2. quæst. 60. art. 4. inquit: *Virum dubia sint in meliorem partem interpretanda?* Et in responsione ad primum sic ait: *Ad primum ergo dicendum, quod potest contingere, quod ille, qui in meliorem partem interpretatur, frequentius fallitur. Sed melius est, quod aliquis frequentius fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod*

rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo bono: quia ex hoc fit iniuria alicui, non autem ex primo. Et ad secundum sic ait: *Ad secundum dicendum quod aliud est iudicare de rebus, aliud de hominibus. In iudicio namque, in quo de rebus iudicamus, non attenditur bonum, vel malum ex parte ipsius rei, de qua iudicamus, cui nihil nocet qualitercumque iudicemus de ipsa: sed attenditur ibi solum bonum iudicantis, si verè iudicet, vel malum, si falsò: quia verum est bonum intellectus, falsum autem est malum ipsius, vt dicitur in 6.* Et hic. Et idè vnusquisque debet niti ad hoc, quod de rebus iudicet secundum quod sunt: sed in iudicio, quo iudicamus de hominibus præcipuè attenditur bonum, & malum ex parte eius; de quo iudicatur, qui in hoc ipso honorabilis habetur, quod bonus iudicatur, & contemptibilis, si iudicetur malus. Et ad hoc potius tendere debemus in tali iudicio, quod hominem iudicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat.

Ex quibus verbis efficaciter prob. nostra conclusio: primò, nã in dubio de personis licitum est iuxta D. Tho. sequi in favorem proximi opinionem frequentius falsam quam sua opposita; opinio frequentibus falsa quam sua oppo-

sita,

De opinione probab. in ordine ad licitè iudicandum. Art. 5. 245
sita, non est probabilior sed minus probabilis quam illa: ergo iuxta D. Tho. in dubio de personis licitum est iudicare secundum opinionem minus probabilem. Secundò, in dubio de hominibus debemus iuxta D. Tho. hominem iudicare bonum, nisi manifesta ratio ad sit in oppositum: sed quando solū adest in oppositum opinio probabilior non adest in oppositum manifesta ratio: ergo quando solum adest in oppositum opinio probabilior, non solum est nobis licitum, sed etiam tenemur iuxta D. Tho. hominem iudicare bonū. Tertio, & vltimò: nam iuxta D. Tho. illud iudicium est licitum circa personas, quod circa res esset illicitum; sed iudicium, quod circa res esset illicitum, non est iudicium probabilius, sed æquè, aut minus probabile: ergo iuxta D. Tho. in dubio de hominibus non solum est licitum iudicium probabilius; sed etiam æquè, aut minus probabile.

68 His convictus R.R. Tyrus, Diff. 10. n. 54. concedit, licitum esse assentire opinioni æquè, aut minus probabili, quando dubium est de personis, non tamen quando est de rebus, vt ait D. Tho. sed hæc solutio parum consona est Probabilioristarum principijs: tū,

quia iuxta illam iam est de mente D. Tho. vt re ipsa est meo iudicio, intellectum posse physicè assentire opinioni æquè aut minus probabili, vt tali. Tum etiam: quia iuxta illam non est vniversalitè verum, esse illicitum assentire opinioni æquè, aut minus probabili, vt tali; & consequenter vel intellectus sic assentiendo, non se exponit periculo errandi, vel est illi licitum tali periculo se exponere, quando adest ad hoc aliquod motivum honestum vt re ipsa adest, dum dubium est de personis.

Ex quo impugnatur primò solutio: idè, quando dubium est de malitia, aut bonitate personæ, licitum est assentire opinioni æquè, aut minus probabili; quia ad hoc datur motivum honestum: ergo si detur motivum honestum ad assentiendum opinioni æquè, aut minus probabili in dubio de bonitate, & malitia rerum, etiam erit licitum intellectui assentire in tali dubio opinioni æquè, aut minus probabili.

Secundò: bonitas, & malitia personarum non minus est res quædam, ac bonitas, & malitia rerum; sed quando dubium est de bonitate, & malitia personarum licitum est intellectui assentire opinioni æquè, aut minus probabili,

quia ad hoc adest motivum honestum: ergo quando dubium est de bonitate, & malitia rerum, seu obiectorum, licitum erit etiam intellectui assentire opinioni æquæ aut minus probabili, si ad sit ad hoc motivum honestum, ut re vera adest multoties, quando scilicet dubium non est de rebus absolute, & solitariè acceptis, sed de rebus ut concernentibus personas.

69 Quod, ut melius percipiatur, & mens D. Tho. maneat omnino clara, est notandum, quod voluntas duplicem finem intendere potest in applicando intellectum ad iudicandum, perfectionem, scilicet, ipsius intellectus, vel convenientiam totius suppositi, alterius, vè personæ. Quando voluntas intendit perfectionem ipsius intellectus non potest ad hanc finem eligere assensum opinionis minus probabilis, relicta probabiliori; quia debet eligere medium ad hoc magis conducens, & ad perfectionem ipsius intellectus magis conducit assensus opinionis probabilioris, quam assensus opinionis minus probabilis. Quando verò voluntas non eligit assensum intellectus propter perfectionem ipsius intellectus, sed propter convenientiam totius suppositi, aut alterius personæ, potest licitè eligere assensum opinio-

nis minus probabilis, si hic assensus ad finem præintentionem magis conducatur, ut multoties contingit, vel ad evitandum peccatum proximi, aut proprium, vel ad sustentandam vitam; ut si Doctor esset pauper, & conduceret ad pecuniâ lucranda docere opinionem minus probabilem. Quando ergo D. Tho. ait, quod in dubio de rebus intellectus debet assentire opinioni probabiliori, loquitur de rebus sumptis secundum se, & non habito respectu ad utilitatem, & convenientiam alicuius personæ, seu quando iudicium de rebus solum quæritur propter se; non verò loquitur de rebus sumptis in ordine ad personas, & quando assensus non quæritur propter perfectionem propriam intellectus, sed propter convenientiam, & utilitatem proprii suppositi, aut alterius personæ: in hoc enim casu licitum est intellectui assentire opinioni minus probabili, si talis assensus ad finem præintentionem magis conducatur.

§. II.

Duplici alia autoritate D. Tho. probatur conclusio.

70 **P**robatur secundò nostra sententia ex Div. Tho. in 1. dist. 33. q. 1.

1. art. 5. in corp. ubi ait: *Si contradictio est de his, quæ ad fidem pertinent, hoc posset esse dupliciter, vel quia est de illis, quæ expressè in articulis fidei continentur, quæ scire omnes tenentur, & circa talia contradictio non est sine peccato in altero, vel erroris simplicis, vel heresis, seu pertinacia adiungatur. Vel est de illis, ad quæ consequitur aliquod inconveniens, & contrarium fidei, licet in fide expressum non sit, nec determinatum, & tunc ante per tractationem, per quam scitur, quod aliquid inconveniens fidei sequitur, potest utrumque sine peccato opinari.* Idem tradit D. Antoninus p. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. his verbis: *Constat communiter apud Theologos, quod in materia fidei, dum Doctores sentiunt contraria, licitum est ante determinationem Ecclesie tenere unam partem, vel alteram sine periculo peccati, aut erroris: ergo iuxta D. Tho. & D. Antonin. quando in materia fidei Doctores sentiunt contraria, potest quis utrumque opinari, & tenere, quod maluerit.*

Urgetur amplius hoc ipsum: in dicto casu potest quis utrumque opinari, & unam, vel alteram partem licitè tenere; non potest quis utrumque opinari probabilius, aut unam, vel alteram partem proli-

bito probabiliorem iudicare: ergo potest licitè quamlibet partem prohibito opinari, & si non sit probabilior. Consequentia est legitima: quia si solum posset quis opinari partem, quam probabiliorem iudicaret, sicut non potest licitè utramque partem iudicare prohibito probabiliorem, nec posset licitè utramque prohibito opinari. Maior etiam est certa ex verbis relatis. Et minor non minori certitudine gaudet: quia licet probabilitas afficere possit utrumque extremum contradictionis, non tamen probabilitas; nam si unum extremum est probabilius, alterum necesse est, quod sit minus probabile; & iudicare probabilius, quod re ipsa non est probabilius, est peccatum se malum, & illicitum.

Explicatur hoc amplius: licitum est absolute, & per se in dicto casu utrumque opinari, & vni, vel alteri parti assentire; non est licitum absolute, & per se utrumque probabilius iudicare: ergo est licitum utrumque opinari, aut vni, vel alteri parti assentire, sive ab opinante iudicetur probabilior, sive non. Consequentia est legitima; maior certa: quia si non esset in tali casu absolute, & per se licitum utrumque opinari, aut unam, vel alteram partem tenere, sed illicitum, & so-

lūm per accidens, & supposito errore licitum, nō dicerent D. Tho. & D. Anton absolute esse licitum, sed potius esse illicitum; sicut quia mentiri non est per se licitum, sed potius illicitum, & solum est licitum, supposito errore invincibili, nemo potest absolute dicere, mentiri esse licitum; sed omnes debent dicere, esse illicitum. Et nunc probatur minor: non est licitum absolute, & per se iudicare, esse probabilius, quod re ipsa non est probabilius; utrumque extremum nō est re ipsa probabilius: ergo non est licitum, iudicare utrumque extremum esse probabilius, aut vnū, vel alterum prohibito, sed vnum determinate, illud videlicet, quod re ipsa est probabilius: iudicare namque esse probabilius, quod re ipsa non est probabilius, est errare, quod ab intrinseco est malum, & illicitum.

71 Adde vrgenter: iuxta D. Tho. & D. Anton. in dicto casu utrumque extremum potest in rei veritate opinari sine peccato, utrumque extremum non est in rei veritate probabilius: quia si vnum extremum est in rei veritate probabilius, necesse est, quod alterum sit in rei veritate minus probabile: ergo iuxta D. Tho. & D. Anton. potest utrumque extremum sine

peccato in rei veritate opinari; quin in rei veritate sit probabilius: ergo posse in rei veritate opinari sine peccato non convenit in rei veritate utrique extremo, quia utrumque extremum sit re ipsa probabilius altero, sed quia re ipsa est utrumque simpliciter probabile. Alijs terminis explicatur hoc ipsū: in dicto casu concurrentiæ duplicis opinionis oppositæ circa aliquam rem fidei, ante per tractationem, per quam scitur, quod aliquod inconueniens fidei sequitur, potest in rei veritate iuxta D. Tho. utraque pars sine peccato opinari: ergo in utraque parte reperitur in rei veritate prædicatum aliquod, ratione cuius possit in rei veritate opinari sine peccato; non reperitur in rei veritate in utraque parte probabilitas: ergo prædicatum, ratione cuius utraque pars potest in rei veritate opinari sine peccato, non est probabilitas: ergo est probabilitas simpliciter talis, siue secundum magis, siue secundum minus: ergo ut quis possit in rei veritate opinari aliquod ex extremis oppositis, sufficit, quod in rei veritate sit probabile, habeatque fundamenta gravia, siue secundum magis, siue secundum minus. Quare ex verbis D. Tho. & D. Anton. duo manifeste inferuntur: primum est,

est quod probabilitas simpliciter talis in rei veritate reperitur in utroque extremo, licet reperiri non possit probabilitas. Secundum est, quod adhuc, ut duplex extremum oppositum possit in rei veritate, & secundum iudiciū rectum, ut est iudiciū D. Tho. hoc asserentis, opinari, non requiritur, quod sit in rei veritate, & secundum iudiciū rectum probabilius, cum hoc omninō implicet, sed sufficit, quod utrumque sit simpliciter probabile, siue magis, siue minus.

72 Sed quia in re magni momenti sumus, adhuc non quiescit animus, sed nititur clarioribus terminis convincere intentum: in casu posito utrumque extremum potest iudicio D. Tho. opinari sine peccato: utrumque extremum non est iudicio D. Tho. probabilius: ergo potest utrumque extremum iudicio D. Tho. opinari sine peccato, quin sit probabilius: ergo iudicio D. Tho. ut utrumque extremum possit sine peccato opinari, sufficit, quod utrumque sit probabile, siue secundum magis, siue secundum minus. Rursus utrumque extremum obijciatur intellectui D. Tho. ut possibile opinari sine peccato, non obijciatur illi utrumque extremum, ut pro-

babilius, sed vel utrumque obijciatur illi, ut æquè probabile, vel vnum ut magis probabile, & aliud ut minus: ergo ut utrumque extremum possit iudicio D. Tho. opinari sine peccato, sufficit, quod obijciatur utrumque ut probabile æqualitè, aut secundum magis, & minus: Adde tandem D. Tho. poterat opinari sine peccato quod suo iudicio recto poterat opinari sine peccato; utrumque extremum poterat suo iudicio opinari sine peccato: ergo D. Tho. poterat opinari utrumque extremum sine peccato. Utrumque extremum non erat ipsi probabilius: ergo ex illo duplici extremo poterat sine peccato opinari illud, quod sibi non erat probabilius.

73 Probatum secundo conclusio alia autoritate. Ang. Præceptoris: nam quod lib. 3. art. 10. in cap. ait: *Dicendum, quod diuerse opiniones Doctorum Sacre Scripture siquidem non pertineant ad fidem, & bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt. Tunc enim habet locum, quod Apost. dicit ad Romanos 4. unusquisque in suo sensu abundet. In his vero, que pertinent ad fidem, & bonos mores nullus excusatur, si sequatur errorem opinionem alicuius Magistri: in*

talibus namque ignorantia non excusat alioquin immunes a peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arrij, Nestorij, & aliorum hereticarum. Qui ergo assentit opinioni alicuius Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, siue contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari. Quibus in verbis valde notandum est D. Tho. nomine rerum spectantium ad fidem, & bonos mores intelligere res, quæ sunt de fide, vel in materia morum sunt declarare ab Ecclesia, & nomine rerum non pertinentium ad fidem, & bonos mores intelligere illas res, quæ in materia fidei, aut morum sunt dubiæ, & à DD. hinc inde agitatae. Quod manifeste constat ex illis ultimis verbis: qui ergo assentit opinioni alicuius Magistri contra manifestum testimonium Scripturæ, siue contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari: ergo quando D. Tho. in præcedentibus verbis asserit, nullum excusari ratione ignorantia; si sequatur opinionem erroneam sui Magistri in his, quæ ad fidem, & bonos mores pertinent, loquitur de his, quæ sunt de fide, vel in materia morum sunt declaratae ab

Ecclesia.

Tum etiam: nam opinio, in qua iuxta D. Tho. ignorantia non excusat, est opinio erronea; sed opinio siue expositiva, siue moralis, quæ non est contra manifestum Scripturæ locum, aut contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem; sed à Doctoribus Catholicis defenditur, non est erronea, & si fortè sit falsa; alias opinio D. Augustini art. præcedentis relata contra omnes alios Doctores esset erronea, vel e contra, quod dici nequit: ergo D. Tho. nomine opinionis non excusantis ratione ignorantia in rebus fidei, aut morum, intelligit opinionem, quæ est contra manifestum Scripturæ testimonium, siue contra id, quod publicè tenetur ab Ecclesia.

Tum denique: si in rebus dubijs circa materiam fidei, aut morum opinio alias falsa, non excusaret ratione ignorantia, Doctores tenentes opiniones re ipsa falsas circa expositionem textus Sacrae Scripturæ, aut circa aliquam materiam moralem, peccarent; hoc est falsum: ergo probatur minor: Tum, nam alias D. Augustine opponens D. Hieronimo peccaret graviter, vel e contra; & etiam peccarent graviter, vel Antiprobabilistæ, vel Probabilistæ, cum in te

tam

tam gravi in materia morum aliqui ex illis sequantur opinionem re ipsa falsam. Adde: nam si in rebus quomodolibet pertinentibus ad fidem, & bonos mores non excusat opinio re ipsa falsa ratione ignorantia: ergo non excusat opinio falsa, & si sit probabilior; quod est contra Probabilioristas: ergo non excusat opinio re ipsa falsa, & si sit inter probabiles probabilissima, quod est damnatum ab Ecclesia: ergo quando D. Tho. asserit non excusari eum, qui sequitur opinionem falsam in rebus fidei, & morum, loquitur in casu, quo talis opinio falsa sit contra manifestum Scripturæ testimonium, aut contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, & quod hæc sit mens D. Tho. colligitur evidenter ex prima auctoritate allata.

74 Quo notato; probatur conclusio ex verbis D. Tho. iuxta D. Tho. in rebus dubijs circa materiam fidei, & morum utraq; opinio opposita Doctorum potest sequi sine peccato: ergo non est quis necessitatus moraliter iuxta D. Tho. ad suspendendum iudicium, vel unam partem determinatè sequendam. Rursus: in rebus dubijs circa materiam fidei, aut morum utraque opinio opposita potest iudi-

cio D. Tho. sequi sine peccato: iudicio D. Tho. non est utraque opinio opposita probabilior: ergo D. Tho. iudicat posse in rei veritate sequi sine peccato opinionem, quam iudicat non esse in rei veritate probabiliorem opposita, sed minus, aut æquè probabilem. Tum denique: D. Tho. poterat sequi sine peccato, quod suo iudicio poterat sequi sine peccato: ergo poterat sequi sine peccato opinionem aliorum Doctorum suæ opinioni oppositam, cum talis opinio suo iudicio esset sequibilis sine peccato. Opinio opposita suæ opinioni non erat ipsi probabilior: ergo poterat sequi sine peccato opinionem, quæ ipsi non erat probabilior.

75 Nec amitteret vim auctoritas D. Tho. & si D. Tho. solum loqueretur de opinionibus oppositis in rebus pure Methaphysicis, & speculabilibus. Tum, quia ad minus sequeretur ex illa contra adversarios, posse licite intellectum assentire opinioni eque, aut minus probabili in rebus pure Methaphysicis; consequenterque eum, qui sic opinatur minus probabile, non se exponere periculo errandi, vel licitum esse tali periculo se exponere ob aliquod motivum honestum. Ex quibus omnibus

nibus

nibus colliges, quam antiquus sit mos ita adhærendi vni opinioni, vt simul opposita dicatur simpliciter probabilis, & sequibilis sine peccato, cum suam originem trahat ad minus, & non minus quam à D. Tho. Quem morem huius fulgentissimi solis luce perfusi fideliter servant Probabilistæ, passim asserentes, vtramque opinionem esse simpliciter probabilem, & in praxi tutam, seu sine peccato sequibilem: propter quod acriter invehuntur contra eos Antiprobabilistæ, cum in rei veritate nichil dicant, quod prius non dixerint D. Tho. & D. Anton. auctoritatibus relatis.

§. III.

Multiplici ratione probatur conclusio.

76 **P**robatur primo conclusio à ratione: intellectus potest prudenter assentire opinioni simpliciter probabili: opinio probabilis in conspectu oppositæ æquæ, aut magis probabilis, est simpliciter probabilis: ergo intellectus potest prudenter assentire opinioni probabili in conspectu oppositæ æquæ, aut magis probabilis. Consequen-

tia est legitima, minor satis constat ex dictis duobus articulis præcedentibus, & maior probatur: Tum, quia intellectus potest prudenter assentire opinioni dignæ assensu; opinio simpliciter probabilis vt talis, est digna assensu: ergo tum etiam: intellectus potest prudenter probare, seu approbare obiectum simpliciter probabile, seu approbabile: ergo potest assentire prudenter opinioni simpliciter probabili. Consequentia est legitima, & antecedens certum: quia probatio facta iuxta merita, & condignitatem obiecti nequit non esse prudens. Tum denique: intellectus potest prudenter assentire alicui opinioni, quando ad hoc adest fundamentum verè magnum, verèque solidum; sed quando opinio est simpliciter probabilis, adest fundamentum ad assensum simpliciter magnum, verèque solidum: ergo quando opinio est simpliciter probabilis, intellectus potest illi prudenter assentire. Minor cum consequentia patet, & maior videtur innegabilis. Non enim notari potest imprudentiæ assensus præstitus cum magno, & gravi fundamento, fundamentum namque verè magnum, & solidum, est fundamentum prudens.

77 Probatur secundo nostra

tra conclusio: idè intellectus non posset prudenter assentire opinioni æquæ aut minùs probabili, quia se exponeret periculo frustrandi talem assensum, & non inveniendi, quod per talem assensum inquirat; hoc est falsum: ergo potest intellectus prudenter assentire opinioni æquæ, aut minus probabili. Probatur min. Tum, nam intellectus assensum præstans, seu probans obiectum, de quo est certus, quod est simpliciter probabile, est certus de eo, quod non frustrat suum assensum, seu probationem: ergo non se exponit periculo frustrandi talem assensum, seu probationem. Probatur antecedens: voluntans amans obiectum, quod illi obijcitur vt simpliciter amabile, non se exponit periculo frustrandi suum amorem: ergo intellectus probans obiectum, quod illi obijcitur vt simpliciter probabile, non se exponit periculo frustrandi suam probationem.

Tum etiam: nam intellectus, assentiendo probabiliter, seu probando obiectum simpliciter probabile, est certus, quod inueniet, quod per talem assensum inquirat: ergo non exponitur periculo non inveniendi, quod per talem assensum inquirat. Probatur antecedens: quod intellectus inquirat

per assensum probabilem, seu probationem est obiectum simpliciter probabile, sicut per assensum scientificum quærit obiectum scibile, & voluntas per amorem quærit obiectum amabile; sed intellectus est certus, quod inueniet obiectum simpliciter probabile, assentiendo opinioni simpliciter probabile: ergo consequentia est legitima, min. certa, & mai. constat ex dictis art. præcedenti.

78 Probatur tertio conclusio à ratione: Lex iudicandi secundum opinionem probabiliorum, & si fortè detur, non obligat: ergo non datur obligatio iudicandi secundum opinionem probabiliorum. Probatur antecedens talis lex non est certa, sed solum probabilis, cum ab innumeris, & gravissimis Theologis omnium Scholarum negatur, lex probabilis non obligat: ergo lex iudicandi secundum opinionem probabiliorum, & si fortè detur, non obligat. Consequentia est legitima, mai. certa, & min. quæst. sequenti fuisse, Deo dante probabitur. Quæ ratione vtuntur N. PP. Salmant. tract. 24. de Pœnit. disp. 8. dub. n. 50. ad probandum non dari obligationem confitendi circumstantias non mutantem speciem.

79 Quartò probatur conclusio:

clusio: dato, quod lex probabilis obliget, nihilominus lex minus probabilis etiam iuxta Adversarios non obligat; sed lex iudicandi secundum probabilius est minus probabilis, cum illam exiguus numerus Doctorum defendat, innumeris illam rejicientibus: ergo talis lex non obligat. Consequentia est legitima, & minorem superfluum est probare: pro vno siquidem Doctore illam adstruente assignari possunt centum non minus graves illam negantes.

80 Probatur quintò eadem conclusio: Lex minus probabilis non obligat adhuc iuxta Adversarios eos, quibus est minus probabilis; lex iudicandi secundum probabilius omnibus Probabilistis est minus probabilis: ergo adhuc iuxta Adversarios talis lex non obligat Probabilistas: ergo licitum est omnibus Probabilistis iudicare secundum opinionem minus probabilem, & consequenter licitum erit universo mundo, qui non habita ratione de paucis Probabilioristis, qui his temporibus in lucem prodierunt, per Probabilistas regitur. Secunda consequentia legitime infertur ex prima, prima ex præmissis, quæ sunt per se notæ.

81 Sextò probatur conclusio ratione: potest Prælati præci-

pere subditis propugnare sententiam, quæ ipsi Prælati est minus probabilis: ergo potest quis licite iudicare secundum opinionem minus probabilem. Probatur anteceded. Religio nostra præcipit lectoribus Theologiæ moralis propugnare sententias iudicio eiusdem Religionis minus probabiles: ergo potest Prælati licite præcipere subditis propugnare sententiam, quæ iudicio eiusdem Prælati est minus probabilis. Probatur antec. Religio nostra præcipit v. g. Lectoribus Theologiæ moralis propugnare sententiam asserentem, essentiam Sacrificij Missæ solum consistere in recto in consecratione; hæc sententia est iudicio ipsius Religionis minus probabilis: ergo consequentia est legitima, maior certa. Cum talibus Lectoribus præcipiat omnes sententias Cursus moralis defendere, de quorum numero est sententia dicta. Et minor si concedatur, habeo intentum. Si negatur, sic insurgo: ergo talis opinio est iudicio Religionis nostræ probabilior opposita, & consequenter opposita minus probabilis; sed Religio nostra præcipit Lectoribus Theologiæ scholasticæ defendere oppositam, cum illam teneat Cursus scholasticus, cuius sententias dicti Lectores tenentur

nentur defendere ex præcepto Religionis: ergo præcipit defendere opinionem, quæ suo iudicio est minus probabilis. Vtique hoc præcipit, & ad hoc præcipiendum habet prudentissimum motivum: quia melius est, magisque conveniens, quod Lectores teneantur sequi aliquem determinatum Authorem, & si aliqua illius opinio, sit fortasè minus probabilis, quam quod eorum arbitrio relinquatur, sequi in omnibus, quod maluerint: hoc enim innumeris est expositum inconvenientibus.

§. IV.

Refertur sententia contraria.

82 **C**ontra nostram sententiam sentit Illustriss. Palanco quæst. 26. reliquos Probabilioristas sequutus, & in favorem illius arguitur primò. Medium, quod non minus apparet nocivum, quam utile ad consecutionem alicuius finis, imprudenter eligitur ad talis finis consecutionem; sed opinio æquè probabilis ac sua opposita, non minus est nociva, quam utilis ad finem intellectus: ergo imprudenter eligitur ad consecutionem talis finis ab intellectu. Probatur

min. finis intellectus, dum opinatur, est assecutio veritatis; sed ad veritatem assequendam non minus nociva, quam utilis est opinio probabilis in conspectu suæ oppositæ æquè probabilis, cum sit non minus falsa, quam vera: ergo opinio æquè probabilis sua opposita, non minus est nociva, quam utilis ad finem intellectus.

Hoc argumentum appellat Illustriss. Palanco demonstrativum, sed meo iudicio est satis debile, & ex mera æquivocatione procedit. Respondeo ergo ad illud, concessa mai. neg. min. & ad eius probationem disting. mai. est assecutio veritatis rationalis, concedo mai. veritatis realis, nego mai. & distincta eodem modo min. negatur consequentia. Quia finis, quem intellectus quærit per principia probabilis non est veritas realis, sed solum rationalis, seu apparens: per principia namque probabilis, & per assensum probabilem non quærit intellectus, nisi veritatem, quæ est obiectum talis assensus: hanc enim solum per illam invenire potest. Quare cum obiectum assensus probabilis non sit obiectum verum veritate reali, sed solum verum veritate rationali, seu apparenti; ut docet D. Tho. loco citato num. 2. his verbis: *cum aliquid intel-*

intelligimus, asserimus sic esse, cum autem opinamur dicimus sic videri, vel apparere nobis; inde est, quod intellectus per principium probabile, & per assensum ab eo elicited non quærit veritatem realem, sed solum rationalem, & apparentem. Ad quam veritatem rationalem inveniendam determinatè conducit, & nullo modo est nocivus assensus cuiusvis opinionis ex oppositis æquè probabilibus, cum certissimum sit, talem veritatem in vtraque reperiri, & per dictum assensum inveniendam fore.

83 Sed obicies: intellectus in quacumque quæstione inquirit, an res sit, vel non sit? Esse vel non esse est veritas realis: ergo in quacumq; quæstione quærit veritatem realem. Rursus: intellectus in omni suo motu quærit suum obiectum specificativum; eius obiectum specificativum est veritas: ergo intellectus in omni suo motu quærit veritatem.

Ad primam obiectum resp. quod intellectus in quacumque quæstione quærit an res sit, vel non sit? Sed non semper resolvit eodem modo quæstionem: nam intellectus quærens an res sit, vel non sit? Quærit motiva ad hoc resolvendum: si illa invenit certa,

& evidentia infallibiterque connexa cum veritate, resolvit absolutè per actum scientificum rem esse, & consequenter invenit per talem actum veritatem realem: quia ut ait D. Tho. *cum aliquid intelligimus, asserimus sic esse.* Si autem post factam debitam diligentiam intellectus non invenit principia certa, & infallibilia ad asserendum rem esse, sed solum probabilia; & consequenter non invenit rem esse scibilem, sed solum probabilem, intellectus per talia principia non intendit, cum hoc impossibile sit, resolvere quæstionem absolutè, dicendo absolutè, rem ita esse, vel non esse: hic enim modus asserendi excedit merita motivi probabilis; sed solum resolvit quæstionem cum quadam restrictione, & modificatione, dicendo, sibi videri, vel apparere, rem ita esse, vel non esse: dicente D. Tho. *cum autem opinamur, dicimus sic videri, vel apparere nobis:* dubitante semper intellectu an res ita sit, sicut sibi videtur, ut vidimus ex D. Tho. art. præced. §. 2. & 5.

Ad secundam obiectionem respondetur, intellectum in omni suo motu quærare suum obiectum specificativum, quod est veritas; sed sicut non omnis eius motus est verus veritate reali; sed alius est

verus veritate reali; ut motus scientificus, alius verus veritate rationali, seu verosimilis, ut est motus opinativus, sic non quærit per omnem motum veritatem realem: sed per motum verum veritate reali quærit obiectum ut verum veritate reali, & per motum verum veritate rationali, & apparenti, quærit obiectum ut verum simili veritate. Licet enim intellectus primo loco intendat veritatem realem, & ad illam inveniendam quærat media; si tamen post factam debitam diligentiam non invenit talia media, iam non ultra quærit veritatem realem, sed est contentus cum veritate rationali, & apparenti, quæ vices veritatis realis gerit, eiusque loco substituit.

84 Obicies tandem contra eandem solutionem: qui inquirens sanitatem, ad illam obtinendam eligeret cibum æquè probabiliter venenatum, ac medicinale, imprudenter eligeret: ergo qui inquirens veritatem, ad illam obtinendam utitur medio non minus falso, quam vero, imprudenter se gerit: quod innumeris alijs exemplis ostendi potest.

Ad hanc obiectionem respondetur, quod qui extra casum necessitatis eligere cibum æquè probabiliter venenatum, ac medicina-

lem, imprudentissimè se gereret, quia quod esset probabiliter medicinalis talis cibus, non liberaret illum à morte corporis, quam intendit, & tenetur vitare, si re ipsa est venenatus, ut rationabiliter apparet esse. At qui inquirat veritatem, sequens opinionem probabiliter veram, seu veram veritate rationali, & apparenti, prudenter se gerit, quia non se exponit periculo erroris, quem tenetur vitare per assensum opinativum; talis enim non tenetur vitare per assensum opinativum errorem realem, sed errorem rationalem, seu errorem oppositum veritati rationali, cum hunc solum vitare possit per talem actum: cuius erroris periculum non habet intellectus cuiuslibet ex opinionibus oppositis æquè probabilibus assensum præbendo, cum certus sit, in vtraque talem veritatem rationalem reperiri.

85 Et certè si paritas aliquid probat, non solum probat, non posse intellectum extra casum necessitatis eligere in ordine ad inveniendam veritatem opinionem æquè probabilem, sed nec probabiliorern. Quia qui inquirens sanitatem, ad illam obtinendam, eligeret extra casum necessitatis cibum probabiliter venenatum, imprudentissimè se gereret; & si talis

cibus esset probabilius salutaris: quia per hoc, quod esset probabilius salutaris, non evitaret mortem, quam tenetur vitare, si re ipsa talis cibus est venenatus, ut opinio minus probabilis dicit: ergo similiter, qui inquirens veritatem, ad illam obtinendam eligeret medium probabiliter falsum, imprudentissimè se gereret, & si tale medium esset probabilius verum. Antecedens est certum, sed consequentia falsa apud omnes. Quare, sicut ex eo, quod electio cibi probabilius salutaris, & minus probabiliter nocivi sit extra casum necessitatis imprudens in ordine ad obtinendam sanitatem, non sequitur quod electio mediij probabilius veri, & minus probabiliter falsi sit imprudens in ordine ad inveniendam veritatem, & si nulla urgeat necessitas; sit similiter, ex eo, quod electio cibi æquè probabiliter salutaris, ac venenati sit imprudens in ordine ad obtinendam sanitatem, minimè sequitur, esse imprudentem electionem mediij æquè probabiliter veri, ac falsi, in ordine ad inveniendam veritatem. Et ratio disparitatis est, quod ad vitandam mortem corporis vnicè conducit sanitas realis cibi, non sanitas purè rationalis, & appa-rens; ad vitandum autem errorem

intellectus, quem tenemur vitare, conducit per se primò veritas realis, si inveniri potest, & quando hæc inveniri non potest, in eiusque defectu, veritas rationalis. Quare, & si extra casum necessitatis non sit prudenter eligibilis in ordine ad obtinendam sanitatem, & evitandam mortem cibi æquè, aut minus probabiliter nocivus, ac salutaris; est tamen prudenter eligibile, & sine periculo erroris ad perficiendum intellectum, mediij æquè, aut minus probabiliter falsum: quia in ordine ad corpus solum vnicè sanitas intendi potest, sanitas scilicet realis, ad quam obtinendam minimè conducit cibus sive æquè, sive magis salutaris, si re ipsa est nocivus, at in ordine ad intellectum, est duplex veritas quæ intendi possit, veritas scilicet realis, & quando hæc inveniri non potest, veritas rationalis, ad quam obtinendam determinatè conducit medium probabiliter verum, & si re ipsa sit falsum, cum sit certò verum veritate rationali, & consequenter eligi potest prudenter ad obtinendam veritatem rationalem quæ in defectu veritatis realis vnicè ab intellectu intenditur. Et si opinio æquè probabiliter vera non est prudenter eligibilis in ordine ad inveniendam veritatem, & per-

ficendum

ficiendum intellectum in conspectu oppositæ æquè probabilis, non est, quia ipsa possit esse positivè nociva, aut quia non sit certò, & determinatè conducens ad dictum finem, sed quia non est magis conducens: & non potest prudenter eligi in ordine ad aliquem finem vnum medium præ alio si non sit magis conducens ad talem finem, quam aliud, & si sit absolutè determinatè conducens; nulloque modo positivè nocivum.

Et instatur evidentè argumentum in dub. de personis: quia, ut vidimus ex D. Tho. quando dubium est de personis, potest intellectus licitè assentiri opinioni minus probabili in favorem bonitatis personæ. Nunc inquirò ab Illustriss. Palanco, an intellectus assensum præstans opinioni minus probabili, se exponat periculo errandi, vel non? Si dicat secundum: ergo intellectus assensum præstans opinioni minus probabili, non se exponit periculo errandi. Si dicat primum: ergo intellectus potest se exponere periculo errandi, quando ad hoc adest aliqua iuxta causa. Ex quo aliter, & melius ad principale argumentum respondetur, quod non semper, ac voluntas applicat intellectum ad opinandum, intendit perfectionem ipsius intel-

lectus: Sæpè namque non intendit per se primò perfectionem intellectus; sed perfectionem, aut utilitatem propriij suppositi, aut alterius personæ: ad quem finem assequendum si magis conducat opinio æquè, aut minus probabilis quam opposita, poterit intellectus illam eligere, & si ad perfectionem intellectus, quæ à voluntate non intenditur per se, non magis conducat. Quare ex argumento solum convincitur, quod intellectus non possit eligere in ordine ad assequendum suam propriam perfectionem opinionem æquè, aut minus probabilem opposita, vel quia se exponit periculo non inveniendi per illam, quod inquirit, vel, quod certus est, quia, & si non se exponat periculo non inveniendi, media tali opinione, perfectionem, quam intendit, ad huc tamen finem non magis conducit, quam opposita opinio, & imprudenter elegitur vnum medium præ alio in ordine ad consecutionem alicuius finis, si tale medium non est magis conducens, quam aliud.

86 Arguitur secundo: si duo testes starent pro parte affirmativa, & alij duo æqualis authoritatis pro parte negativa, non posset quis assentire prudenter parti affirma-

firmam

firmativæ: ergo similiter si motiva pro parte affirmativa, & negativa sunt æqualiter probabilia, nullus poterit prudenter assentiri parti affirmativæ.

Hac paritate convincitur Illustriss. Palanco sed nullius momenti est, quia sicut ex eo, quod auctoritas duplicis testis pro parte affirmativa evacuetur per auctoritatem duplicis testis pro parte negativa, non sequitur, quod probabilitas unius motivi evacuetur, & destruat per probabilitatem motivi oppositi, ut in presenti supponendum est, ut detur locus quæstioni, sic similiter ex eo, quod intellectus in casu dicto non possit prudenter assentiri parti affirmativæ, minimè inferitur, quod in casu duplicis opinionis æquè probabilis oppositæ intellectus non possit assentiri prudenter, cui maluerit. Videantur supra dicta art. 3. num. 39. contra quæ nihil solutione dignum adducit in præsentii Illustriss. Pal. vel si mavis, poteris respondere iuxta solutionem immediate datam præced. argum. & iuxta dandam sequenti.

87 Arguitur tertio, & ultimo: Iudex publicus in Tribunali Iustitiæ non potest prudenter iudicare secundum opinionem æquè, aut minus probabilem: ergo nec

intellectus in foro interno poterit iudicare secundum opinionem æquè, aut minus probabilem. Antecedens est certum: & consequentia constare videtur à paritate: quia intellectus est naturalis Iudex ad decidenda dubia conscientia: quare, si Iudici publico est illicitum iudicare secundum opinionem æquè, aut minus probabilem, non est cur intellectui hoc liceat.

Hoc argum. quod summopere magnificant adversarij multipliciter instatur: Iudex publicus tenetur ex rigorosa iustitia ad iudicandum secundum probabilius, & nihilominus ex hoc non sequitur, quod intellectus ad hoc teneatur ex rigorosa iustitia: ergo similiter ex eo, quod Iudex publicus teneatur absolute ad iudicandum secundum probabilius, non sequitur, quod intellectus ad id ipsum absolute teneatur. Secundo: Iudex publicus habet obligationem ex genere suo gravem iudicandi secundum probabilius: hanc non habet intellectus, ut idem docent: ergo similiter. Tertio: Iudex publicus semper habet obligationem iudicandi secundum probabilius, hanc non habet intellectus: datur ergo disparitas inter iudicem publicum, & intellectum. Min. in qua sola est difficultas, probatur: nam in dubio

De opinione probab. in ordine ad licite iudicandum. Art. 5. 261

88 Sed his non indigeo, concedo namque, intellectum non posse iudicare licite secundum opinionem minus probabilem in eo sensu, in quo illicitum est Iudici publico secundum opinionem minus probabilem iudicare. Quia proferendo sententiam in favorem unius partis, unam alteri in iure præfert, iudicatque illam partem habere maius ius, quam opposita; & præferre in iure, aut iudicare, habere maius ius partem, cuius ius est minus probabile, præferreque in iure partem, quæ postponi debeat, est ab intrinseco malum; & in Iudice ob specialem rationem contra rigorosam iustitiam; quia est iudicare contra merita unius, & supra merita alterius in damnū proximi, quod iudex in vi firmiuneris vitate tenetur. Et in hoc sensu etiam est illicitum intellectui iudicare secundum opinionem minus probabilem.

Ex hoc autem non inferitur, intellectum non posse absolute iudicare secundum opinionem minus probabilem: quia ut supra dixi dupliciter potest voluntas applicare intellectum ad iudicandum secundum opinionem minus probabilem: nam potest eligere opinionem minus probabilem, ut illam iudicet probabilius veram opposita;

posita; vel potest illam eligere ut eam iudicet veram, & si minus probabiliter. Voluntatem eligere opinionem minus probabilem præ probabiliori, ut intellectus illam iudicet magis veram quam opposita, est illicitum, & ab intrinseco malum, quia est eligere iudicare contra merita vnius, & supra merita alterius, seu est eligere iudicare magis verum, quod est minus verum: at eligere opinionem minus probabilem præ probabiliori, ut intellectus illam iudicet non veram præ alia, sed ut illam iudicet veram iuxta ipsius merita, quod est illam iudicare exercitè, & ex modo tendendi, veram, & si minus, quam alia est iudicabilis, non est ab intrinseco malum, sed licitè fieri potest, quando ad hoc adest motivum honestum. Et in hoc sensu dixit D. Tho. & nos cum illo, licitum esse in dubio de personis iudicare secundum opinionem minus probabilem in favorem personæ.

ARTICVLVS VI.

Vtrum intellectus possit tam physice, quam moraliter probabiliter assentiri simul vtrique extremo contradictionis?

§. I.

Probabilior sententia eligitur.

89 **D**icendum est, posse intellectum tam physice, quam moraliter simul assentire probabiliter vtrique extremo contradictionis. Hanc sententiam tenent Sanchez in dec. lib. 1. cap. 9. & de Matrim. lib. 2. disp. 44. num. 4. & 5. Illustriss. Caramuel, & Verde, citati ab Illustriss. Palanco Mag. Ferre in præf. quæst. 8. art. 1. sed sufficiat mihi vnus pro mille RR. pariterque SS. Mag. Fr. Joannes à Santo Thoma 1. 2. q. 18. disp. 12. art. 3. in fine. Probaturque conclusio ratione simul, & autoritate: physice, & moraliter fieri potest, quod D. Aug. & D. Tho. fecerunt; D. Aug. & D. Tho. simul præstiterunt assensum duplici opinioni oppositæ probabiliter: ergo tam physice, quam moraliter potest intellectus assentire duplici opinioni oppositæ probabiliter. Conseq. est legit. mai. à nemine negabitur, & min. non dependet ex nostris discursibus; sed ex ipso facto: nam D. Aug. lib. de spiritu, & litera cap. 27. illi loco D. Pauli: *Gentes, que legem non habent, naturaliter eas* quæ

De opinione probab. in ordine ad licitè iudicandum. Art. 6. 263
que legis sunt, faciunt: adhibet simul duplicem expositionem oppositam: prius enim illum explicat de gentibus ad Evangelium conversis, iamque gratiam habentibus, & postea illum exponit de non conversis, omnique gratia destitutis.

90 Veniamus iam ad D. Tho. nam D. Tho. 1. part. q. 72. art. 2. inquit: *An omnes isti dies, creationis, scilicet, sint vnus dies?* Et postquã refert singularem sententiam D. Aug. assentis esse vnum diem, & aliorum expositionum sententiam assentis, esse plures, quid facit Decret. Angel. suspendit non ne iudicium circa vtramque; aut vnam alteri præfert? Minimè: sed vtrique probabiliter adhæret, vtriusque argumenta probabiliter solvens. Audiatur ipse Sanctissimus Præceptor: *Ut igitur neutri sententia præiudicetur, vtriusque rationibus respondendum est.* Et solvens argumentum D. Aug. ait: *ad primum dicendum, ad secundum dicendum, &c.* vide, quomodo D. Tho. probabiliter adhæret parti negativæ. Et solvens argumentum contra D. Aug. ait: *ad quintum dicendum.* Vide quomodo hic probabiliter adhæret D. Aug. sententiæ. Qui enim dicit: *dicendum est,* resoluit quæstionem. Ex qui-

bus omnibus manifestè constat, non solum esse de mente D. Aug. & D. Tho. vnam opinionem esse simpliciter probabilem in conspectu oppositæ æquæ, aut magis probabilis, & intellectum tam physice, quam moraliter posse assentire opinioni minus, aut æquæ probabili in conspectu oppositæ; sed etiam licitum esse illi, vtrique simul probabiliter assentire, quando ad hoc adest motivum honestum, ut habuit D. Tho. scilicet, ut non præiudicaret alicui ex illis sententijs.

91 Probatur nunc conclusio ratione: vtrumque extremum contradictionis potest esse simul probabile simpliciter eidem intellectui: ergo intellectus potest vtrique extremum simul probare, seu vtrique extremo probabiliter assentire. Anteced. satis constat ex dictis art. præced. & consequentia legitime videtur inferri.

Respondet nihilominus Illustriss. Palan. negando consequentiam: ex antecedenti enim solum sequitur, posse intellectum iudicare vtramque opinionem esse probabilem; non verò posse simul iudicare probabiliter, esse veram: quia est valde diversum iudicare, prædicatum probabilitatis convenire simul vtrique extremo, ac iudicare

dicare simul probabiliter, vtrique extremo convenire veritatem. Ex antecedenti solum sequitur primum, non secundum.

Sed contra: si simul esset verum in se, *Petrum currere, & Petrum non currere*, simul possem affirmare absolute, & assensu certo *Petrum currere, & Petrum non currere*: ergo si simul est verum probabiliter *Petrum currere, & Petrum non currere*, poterò simul probabiliter dicere, *Petrum currere, & Petrum non currere*. Anteced. est certum, & consequentia probatur: sicut veritas in se est obiectum assensus certi, sic veritas probabilis, seu apparens est obiectum assensus probabilis; sed quia veritas in se est obiectum assensus certi, si simul esset verum in se *Petrum currere, & Petrum non currere*, simul possem asserere absolute, & assensu certo, *Petrum currere, & Petrum non currere*: ergo quia veritas probabilis, seu apparens est obiectum assensus probabilis, si simul est verum probabiliter *Petrum currere, & Petrum non currere*, simul poterit quis asserere probabiliter, *Petrum currere, & Petrum non currere*.

92 Dices cum Illustriss. Palanco: obiectum assensus probabilis non esse veritatem probabilem,

seu verisimilitudinem, sed esse veritatem realem, & in se, attractam ex vi motivi probabilis: Qui enim assentit probabiliter, non dicit hoc est verosimile, sed absolute dicit, hoc est verum. Quare cum vtrumque extremum nequeat esse simul verum veritate reali; nec potest intellectus simul assentire probabiliter vtrique extremo contradictionis.

Sed hæc solutio est expresse contra D. Tho. qui loco supra citato sic ait: *Cum aliquid intelligimus, asserimus sic esse, cum autem opinamur, dicimus, sic videri, vel apparere nobis*: ergo iuxta D. Tho. qui opinatur, non dicit absolute *hoc est verum*; sed solum dicit cum restrictione, & cum addito, mihi videtur, vel apparet, hoc ita esse; quidquid sit, an in re ita sit, sicut mihi videtur: ergo iuxta D. Tho. obiectum assensus opinativi non est res vera veritate reali; sed vt vera veritate apparenti, & quo ad videri. Istæ consequentiæ sunt clariore super meridiem.

Secundò impugnatur solutio: obiectum amoris est amabile, vt amabile, obiectum actus scientifici est scibile: ergo obiectum probationis, seu assensus probabilis est probabile, vt probabile. Tertio: idem est obiectum probationis, &

prin-

principij proximi probativi; obiectum principij proximi probativi est probabile, vt probabile: ergo obiectum probationis est probabile, vt probabile. Quartò denique impugnatur solutio: non potest dari assensus simpliciter probabilis, quin detur illius obiectum; potest dari assensus simpliciter probabilis circa obiectum non verum veritate reali, sed falsum: ergo obiectum assensus simpliciter probabilis non est obiectum vt verum veritate reali. Mai. est certa, consequentia legitima, & mîn. facile probatur. Nam potest dari assensus simpliciter probabilis circa obiectum simpliciter probabile; stat, quod obiectum sit simpliciter probabile, & quod non sit verum veritate reali, vt communiter tenent Probabilioristæ: ergo stat assensus simpliciter probabilis circa obiectum non verum veritate reali.

93 Et dato, hanc solutionem aliquem locum habere; nullum tamen habere potest, admissio, vt in presenti admittit Illustriss. Palanco duplicem opinionem posse esse simul simpliciter probabilem eidem intellectui. Quare, hoc admissio, impugnatur primò solutio: obiectum simpliciter probabile est obiectum potens simpliciter probari, seu potens terminare probationem

simpliciter talem; non potest terminare probationem simpliciter talem, quod non est obiectum probationis simpliciter talis, seu quod non habet in se rationem formalem specificativam probationis simpliciter talis: ergo obiectum simpliciter probabile habet in se rationem formalem specificativam probationis simpliciter talis: ergo si vtrumque extremum contradictionis potest esse simul simpliciter probabile, vtrumque potest habere simul rationem formalem specificativam probationis: sed nequit habere simul vtrumque extremum contradictionis veritatem realem: ergo ratio formalis, specificativa probationis non est veritas realis; sed vt docet D. Tho. veritas apparens, & quoad videri.

Secundò: si vtrumque extremum est simul simpliciter probabile ab intellectu, intellectus potest simul probare vtrumque extremum contradictionis, seu simul habet principia simpliciter probativa vtriusque extremi, & consequenter obiecta specificativa talium principiorum; non simul habet vtrumque extremum contradictionis vt verum in se, sed solum vt verum probabiliter, & quoad videri: ergo obiectum specificativum talium principiorum non est vtrumque

Ttt

extre-

extremum contradictionis ut verum in se, sed solum ut verum probabiliter, & quoad videri. Sed idem est obiectum probationis, ac principij proximi probationis, seu probativi: ergo si obiectum principij probativi non est verum in se, sed verum probabiliter, & quoad videri, nec obiectum probationis erit obiectum ut verum in se, sed solum ut verum probabiliter, & quoad videri.

94 Ex quibus omnibus impugnatur principalis solutio efficaciter: Si utrumque extremum contradictionis potest esse simul simpliciter probabile eidem intellectui, probabilitas simpliciter talis, tam activa, quam passiva vnius non opponitur probabilitati tam activæ, quam passivæ alterius; si hoc ita est, intellectus potest habere simul assensum probabilem circa utrumque extremum: ergo si utrumque extremum contradictionis potest esse simul probabile eidem intellectui, intellectus potest habere simul assensum probabilem circa utrumque extremum. Mai. cum conseq. patet: & min. prob. Si principia probativa simpliciter utriusque extremi contradictionis non opponuntur, nec probationes utriusque extremi opponuntur; si non opponuntur, possunt esse simul

in eodem intellectu: ergo. Min. cum conseq. patet, & maior etiam est certissima: quia principia proxima actuum oppositorum, ab eisque speciem capientia, nequeunt non esse opposita; quare si principia non sunt opposita, nec actus ipsis correspondentes opponi valent.

95 Sed objicies: utrumque extremum contradictionis potest voluntati simul proponi ut amabile, & nihilominus ex hoc non sequitur, quod voluntas possit amare simul utrumque extremum contradictionis: ergo ex eo, quod utrumque extremum contradictionis simul obijciatur intellectui ut probabile, non sequitur, quod intellectus possit probare simul utrumque extremum contradictionis. Conseq. Videtur legitima; min. certa, & mai. indubitabilis: quia simul possunt obijci intellectui ieiunare, & non ieiunare ut bona, vnum, ut bonum bonitate honesta, aliud ut bonum bonitate delectabili.

Ad hanc objectionem respondetur: quod obiectum voluntatis ieiunandi est ieiunare in re, obiectum voluntatis non ieiunandi est non ieiunare in re; quare cum ieiunare in re, & non ieiunare in re non possint esse simul in re, nec possunt

possunt esse simul in voluntate, volitio efficax ieiunandi, & volitio efficax non ieiunandi. Isti enim actus terminantur ad obiecta prout in re, qua propter si talia obiecta non possunt coexistere simul in re, aut obijci intellectui cum bonitate potente coexistere simul in re, nec possunt obijci intellectui ut potentia simul amari a voluntate. E contra vero, cum obiectum probationis sit probabile simpliciter, si utrumque extremum contradictionis potest existere simul in ratione probabilis, intellectus poterit utrumque simul probare; sicut voluntas posset simul amare utrumque extremum, si utrumque extremum posset simul existere in re cum sua amabilitate; & intellectus posset simul asserere. Petrum currere, & non currere, si simul esset verum, Petrum currere, & non currere. Quare repugnantia coexistentiæ actuum semper oritur ex repugnantia coexistentiæ obiectorum: repugnantia coexistentiæ actuum voluntatis ex repugnantia coexistentiæ obiectorum in re, & repugnantia coexistentiæ actuum intellectus ex repugnantia coexistentiæ obiectorum in intellectu.

* * *

§. II.

Refertur sententia contraria.

96 **C**ontrariam sententiam tenet Illustriss. Palanco in presenti cum reliquis Probabilioristis, & in illius favorem arguit Illustriss. Palanco demonstrative, consuevit namque hic author suas rationes demonstrativas appellare: implicat eundem intellectum existimare, aut opinari id, quod sibi evidenter est falsum, & impossibile; sed partem affirmativam esse veram, & esse veram simul partem negativam, cuiuslibet intellectui est evidenter falsum: ergo implicat, intellectum simul opinari utrumque extremum contradictionis verum.

Confirmatur: intellectus non potest simul opinari, quod simul non potest affirmare; sed nullus intellectus potest simul affirmare, utrumque extremum contradictionis esse verum: ergo non potest simul opinari, esse utrumque extremum contradictionis verum.

Ad hoc argumentum respondetur. conced. mai. disting. min. partem affirmativam esse veram, & simul partem negativam esse veram cuiuslibet intellectui est evidenter falsum: esse

esse veram veritate absoluta conc. min. veritate restricta, & præcisè quantum est ex vi motivi, cui innititur, quod est esse veram probative, seu quoad videri, neg. min. & conseq. Quia obiectum assensus probabilis non est res, vt vera in re, & absolutè, cum stet, quod res nō sit vera in re, & absolutè, sed falsa, & quod sit obiectum assensus simpliciter probabilis iuxta ferè omnes Probabilioristas; sed est res vt vera veritate restricta, & præcisè quantum est ex vi motivi, cui innititur, seu est res vt vera probative, & tantum quoad videri, quidquid sit, an in re sit vera, vel non. Et licet vtrumque extremum contradictionis non possit esse simul verum in re, & absolutè, bene potest esse verum veritate restricta, & quoad videri, cum possit esse simul simpliciter probabile, vt id præsentati admittit Palanco.

Ad confirmationē resp. quod licet intellectus non possit simul affirmare vtrumque extremū esse verum absolutè, & veritate reali; bene tamen potest affirmare, esse verum veritate restricta, & quoad videri: intellectus autem, cum opinatur, non affirmat absolutè, rem esse, sed ita sibi videri, vel apparere, vt vidimus ex D. Tho. Quare cum non repugnet vtrumque extremū

esse simul verum quoad videri, nec repugnat intellectum vtriq; extremo simul probabiliter assentire.

97 Arguit. 2. eidem obiecto nequit intellectus simul assentire, & dissentire, simul illud affirmando, & negando; sed opinari vtrumque extremum contradictionis, est vtriq; simul assentire; & dissentire, illud affirmando, & negando: ergo implicat, intellectum simul opinari vtrumque extremum contradictionis.

Ad hoc argumentum resp. disting. mai. nequit simul assentire, & dissentire assensu certo, conc. mai. assensu probabili; subdist. in vi eiusdem motivi, conc. mai. in vi diversi motivi, neg. mai. & distincta eodem modò min. nego conseq. Quia licet implicet, quod intellectus assentiatur, & dissentiat simul eidem obiecto assensu certo, non tamen assensu probabili; quia obiectum assensus probabilis non est res vt vera absolutè, sed vt vera restrictè, seu quantum est ex vi motivi, cui innititur. Quare, sicut non implicat, quod eadem res sit simul vera, & falsa cum restrictione, & quantum est ex vi diversi motivi, quia hoc idem est, ac esse verè probabilem, sic nec implicat, intellectum simul illi assentire, & dis-

De opinione probab. in ordine ad licite iudicandum. Art. 6. 269
dissentire in vi diversi motivi.

98 Arguitur 3. Opiniones versantes circa contradictoria sunt contrariæ: sed contraria nō possunt esse simul in eodem subiecto: ergo opiniones circa contradictoria nō possunt esse simul in eodem intellectu: conseq. est legit. min. videri certa, & mai. D. Tho. 2. 2. p. 62. ar. 3. ad 3.

Ad hoc argum. resp. disting. mai. sunt contraria directæ, & rigorosa, nego mai. indirectæ, & minus rigorosa, concedo mai. & concessa minori de contrarijs directis, & rigorosis, nego conseq. Quia licet assentire, & dissentire absolutè alicui extremo, sint actus directè, rigorosè contrarij, non tamen assentire, & dissentire probabiliter, & cum restrictione, quia per hanc restrictionem aufertur à prædictis actibus ratio rigorosa contrarietatis; quia vt optimè docent N. N. P. P. Salmant. tract. 13. disp. 1. dub. 9. num. 11. ad rigorosam contrarietatem inter ea, quæ sunt respectiva, requiritur, vel quod vnum respiciat terminum directè oppositum termino alterius, vel quod ambo respiciant eundem formaliter terminum opposito modo, ita vt ad eundem formaliter terminum, à quo vnus recedit, accedat alius: si enim idem formali-

ter terminus non sit, sed diversus, illi actus iam non erunt directè, & rigorosè contrarij, quod in præfenti accidit. Assensus namque probabilis non accedit ad terminum absolutè, sed ad terminum, pro vt stat sub hoc motivo præcisè, seu vt tali modo representatum; & termino, pro vt stat sub hoc motivo, non dissentit intellectus, nec dissentire potest probabiliter, sed pro vt stat sub opposito, & præcisè quantum est in vi illius. Quod explicari potest in Maria Matre Petri, & ab eo graviter iniuriata, quia quæ Mater, probabiliter iudico, illam diligere Petrum, at quæ Mater, & quantum est ex vi huius motivi, non iudico, non diligere, sed solum quæ Mulier graviter iniuriata, & quantum est ex vi huius motivi præcisè.

Quare assensus probabilis circa extrema contradictionis sunt contrarij, non directè, & rigorosè, sed indirectè, & minus propriè. Contrariantur in dicto, quia vnus affirmat, quod alter negat, non tamen in modo, vterque namque assensus est affirmativus de modo: nam vt ait D. Tho. qui opinatur non affirmat absolutè, rem esse, sed cum quadam modificatione, & restrictione, dicendo sibi videri rem ita esse, & ratio id ipsum suadet: quia hic actus, *mibi videtur rem*

ita esse, alicuius est proprius; non est proprius scientis, quia sciens absolute affirmat rem esse: nec rigorosè dubitantis, quia sic dubitans, nihil affirmat, vel negat, sed hæret anceps inter vtriusque extremum. Quare propositio affirmativa opinantis non est de in esse, sed modalis, æquivalens huic, *mibi videtur, rem ita esse*, & propositio negativa est etiã modalis, æquivalens huic, *mibi videtur, rem ita non esse*: quæ propositiones apud omnes Dialecticos non sunt rigorosè contrariæ.

99 Arguitur tandem: Si intellectus posset simul assentire probabiliter vtriusque extremo contradictionis, intellectus posset assentire isti duplici propositioni: *datur physica prædeterminatio, physica prædeterminatio tollit libertatem;*

hoc est falsum, alias posset intellectus assentire consequenti inde evidentè illato: ergo *non datur libertas*: ergo intellectus non potest simul probabiliter assentire vtriusque extremo contradictionis.

Hoc argumentum satis ieiunium est, quia qui assentit probabiliter alicui opinioni, assentit illi ut re ipsa est probabilis, & à suis autoribus defenditur: qui autem probabiliter ponunt physicam præmotionem, simul ponunt non tollere libertatem, & qui ponunt tollere libertatem, simul ponunt non dari, & idèd non dari, quia libertatem tollit. Ex eo autem quod datur probabiliter physica prædeterminatio non tollens libertatem, & quod tollat libertatem, idèdque non datur, minimè sequitur: ergo *non datur libertas*.



QVÆSTIO IV.

DE OPINIONVM PROBABILITY-
TATE IN ORDINE AD LICITE OPERANDVM.

ARTICVLVS I.

Vtrum Probabilismus sit iuxta Sacram Scripturam?

§. I.

Vera sententia eligitur, & probatur.

Dicendum est, Probabilismum esse iuxta Sacram Scripturam. Et probatur ex illa Christi Domini sententia Math. 11. *Iugum meum suave est, & onus meum leve.* Non enim dicitur iugum Christi suave, & onus eius leve, quia suavia præcipiat ex parte rei præceptæ, quin potius præcipit plura nimis difficilia; sed dicitur suave, quia etsi gravia præcipiat, ea præcipit modo suavi, nolendo obligare ad illa, nisi quando lex est certa, ita ut non datur in oppositum opinio simpliciter probabilis. Et sic optime conciliatur hæc sententia Christi

Domini cum alia, quæ dicit, *acta est via, quæ ducit ad vitam.* Math. 7. nam est arcta, quia res præceptæ difficiles sunt, est tamen iugum Christi suave, quia per hanc arctam viam suaviter nos ducit modo dicto.

2 Sed respondent adversarij, & quidem bene iugum Christi dici suave, non quia res præceptæ sint, suaves, & leves, sed quia, & si sint arduæ, & difficiles naturæ, sunt tamen suaves per gratiam. Quod confirmant pluribus autoribus Sancti. Patr.

Sed licet hæc expositio optima sit, verba Christi Dñi. etiã habent sensum à nobis propositum, quod sic

sic ostendo: Primò nam præcepta Dei, & Ecclesiæ non sunt ad tollendam omnem spiritualem dulcedinem, per hoc enim redderetur iugum Christi durissimum; hæc spiritualis dulcedo tollitur, si quando datur æqualis probabilitas pro lege, est contra legem, & cætera omnia sunt paria, datur obligatio interpretandi rigidè, & pro lege: ergo vel iugum Christi non est suave, sed durissimum, vel in dubio de legè, cæteris paribus, non est interpretandum rigidè, & pro lege, sed benignè, & pro libertate. Conseq. est legit. mai. certa, & min. probatur: spiritualis dulcedo tollitur, quando nimis scrupulosè, & timidè præcepta interpretantur; interpretantur nimis scrupulosè, & timidè quando in dubio, cæteris paribus, interpretatio fit rigidè, & pro lege: ergo. Conseq. est legit. mai. certa, & minor, sicut totus discursus est D. Antonini. cap. 10. de conscientia. §. 10. vbi sic ait: *Inter duram, & benignam circa præcepta sententiã: benigna est potius cæteris paribus interpretatio faciendã: ratio est, quia præcepta Dei, & Ecclesiæ non sunt ad tollendam omnem spiritualem dulcedinẽ; qualis certè tollitur, cum nimis scrupulosè, & timidè præcepta interpretantur.*

3 Secundo probatur ex eodẽ D. Antonino eodem loco, vbi sic ait: *Secunda doctrina secundum virtutẽ Epikeia est; quod nec Deus nec Ecclesiã per sua præcepta intendit obligare ad vix possibile alicui. Cum enim secundũ regulam iuris nemo possit ad impossibile obligari. Non solũ dicitur impossibile, quod absolutè non est possibile; sed etiam videtur interpretandum secundũ virtutẽ Epikeia in lege nova esse impossibile, quod vix est possibile, ut puta nimia habens difficultatem: alias quomodo salvaretur illud; onus meum leve.* Quibus in verbis D. Antoni. clare ostendit, iugum Dei, non esse suave, sed intollerabile, & durum nimis, si obligemur ad nimis difficile, non quidè ad nimis difficile præcisè attentis verbis naturæ corruptæ, sed ad nimis difficile etiam diligentibus Deum, eumque in sinceritate quærentibus, vt certè est obligare ad probabilius, vel ad tutius. hæc enim est difficultas opprimens, & gravans timoratorũ conscientias, eas replens innumeris scrupulis, tollens spiritualem dulcedinem, fontem devotionis exiccans, impediens virtutũ exercitia: anima nãque varijs scrupulis irretita, in eisque propulsandis occupata, vitam fati miserã degit inter angustias, virtu-

virtutis actibus minus attendita. Hic notare oportet, quamè regione se opponat D. Antoni. Illustriss. Palanco quæst. 28. num. 426. nam Illustriss. Palanco ait: quod Epikeia non habet locum in lege naturale, & divina, nec quando ad sunt diversæ opiniones pro lege, & pro non lege, cuius oppositum docet D. Antoni. in regulis, quas tradit secundum virtutem Epikeiæ. Nec libet prætermittere in consequentiam huius auctoris: nam numero citato ait, non habere locum Epikeiam in lege naturali, & n. seq. ponit de facto interpretationem secundum virtutem Epikeiæ in lege reddendi depositum, quæ abs dubio naturalis est. Videatur Illustriss. Tapia, lib. 4. de leg. quæst. 18. art. 1. vbi explicat quomodo circa aliqua præcepta naturalia habeat locum Epikeia.

4 Sed objicies primò ex N. Christ. par. 2. quæst. 2. art. 4. num. 406. nam Iudex, Medicus, & Minister Sacramentorum nequeunt amplecti viam Probabilistarum, sectando æquè, aut minus probabile; & nihilominus ex hoc non sequitur, quod iugum Christi non sit eis suave: ergo ex eo, quod non liceat amplecti viam Probabilistarum, minimè infertur, quod iugum Christi non sit suave.

Sed in primis retorqueo obiectionẽ: Medicus, & Minister Sacramentorum, maximè Baptismi, & ordinis, non possunt amplecti opinionem minus tutam, siue magis, siue minus probabilem, relicta omnino tuta; & nihilominus ex hoc non sequitur, quod tutiorismus non reddat iugum Christi durum: ergo ex eo, quod non possint amplecti opinionem minus, aut æquè probabilem, non sequitur, quod Probabiliorismus non reddat iugum Christi durum.

Secundo resp. neg. suppositum: Supponit namque, quod Iudex, Medicus, & Minister Sacramentorum, exercendo sua munera secundum opinionem æquè, aut minus probabilem, amplectuntur viam Probabilismi: quod est omnino falsum: quia Probabilistæ non dicunt, licitum esse amplecti, & operari cum qualibet opinione æquè, aut minus probabili; sed solum affirmamus, esse licitum per se loquendo, agere cũ opinione æquè, aut minus probabili de licito, constanter affirmantes, esse illicitum, & oppositum improbabile, amplecti opinionem minus tutam de valido; & quando imminet periculũ gravis damni, ne dum æquè, aut minus probabilem de licito; sed, & probabiliore; sed necessariò

debere sequi tutiorem. Ex quo directe ad argumentum respondeo: quod iugum Christi redditur durum per hoc, quod in dubijs conscientiae, quae sunt dubia de licito teneamur amplecti probabilius, vel tutius; dubia autem circa valorem Sacramentorum, & circa medicinas, resque alias, quarum nullitatem, aut damnum non excusat probabilitas, si re ipsa est falsa, non sunt dubia conscientiae, sed sunt dubia de facto; & in conscientia non est dubium prudens, an sit licitum agere cum tali dubio de valido, aut cum opinione probabiliter minus tuta, relicta omnino tuta, sed est omnino certum non esse licitum, sed illicitum. Ex hoc autem quod teneamur ad non faciendum id, quod est certo illicitum, non redditur iugum Christi durum; redditur tamen, si teneamur ad non faciendum non solum id, quod est certo illicitum, sed etiam id, de quo est dubium, an sit illicitum.

5 Objicies secundò cum eodem autore loco cit. §. 3. potius iuxta nostra principia iugum Christi reddi difficile, & durum tunc quia suavitas, & facilitas ad implendi praecepta provenit ex exercitio amoris: & circa amoris Dei obligationem quid dicunt Proba-

bilistae? Alij, quod quolibet mense, alij in anno sed hoc esse nimis durum, sed solum in trienio; alij quod neque in quinquennio, &c. Quomodo reddetur iugum Christi suave, sequendo hunc modum opiniandi, & ponendo medium contrarium? Secundo ad eundem finem est optimum medium orationis exercitium, & frequentia facere Eucharistiae: & de obligatione orationis quid dicunt Probabilistae? Quod non tenetur quis quotidie orare, sed solum tempore gravis tentationis, & ad sumum semel in hebdomada. Et de sumptione Eucharistiae dicunt, quod qui tempore Paschatis non potuit adimplere praeceptum Communionis, non tenetur illo anno illud adimplere: quae media opposita abs dubio sunt, ut iugum Christi fiat suave.

Ad hanc objectionem etiam respondeo, negando suppositum: supponit namque hic Autor, quod Autores, qui relatas sententias tradiderunt, illas tradiderunt secundum principia propria probabilissimi, quod est omnino falsum: quia illas tradiderunt, quia post diligens examen ipsis visae fuerunt probabiliores, & tradere opiniones, quae apparent probabiliores, non est proprium Probabilistarum, sed com-

commune Probabilioristis. Quod est proprium Probabilistarum, est asserere, licitum esse amplecti opinionem quae absolute loquendo, est simpliciter probabilis, etsi comparative ad oppositam sit longeminus. An autem omnes opiniones relatae hoc habeant, non est huius loci disputare.

6 Sed quidquid sit de hoc, dicimus, iugum Christi fieri suave per exercitium amoris Dei, orationis, & communionis, non vero per praecepta talium exercitiorum: quia onus ex se grave non redditur suave, & leve, per aliud onus eiusdem rationis, & quod etiam ex se est grave, indigens proinde alio, quo fiat leve. Quare cum praeceptum quodlibet ex se sit onus gravans, nequit reddi suave per aliud praeceptum aequè, aut magis gravans, & quod indiget alio, quo suave fiat. Praecepta ergo fiunt suavia per exercitia virtutum, & exercitium virtutum fit suave per gratiam: ac proinde suavitas praeceptorum non est reducenda in alia praecepta, quae aequè, aut magis indigent suavia fieri, sed in gratiam reducenda est. Et certè, si iugum Christi redditur suave per praeceptum communionis, orationis, & dilectionis Dei, satis diminutè se gerit Ecclesia Sancta, non praecipiendo ad suave reddendum

iugum Christi orationem quotidianam, dilectionem Dei quotidianam, & praecipiendo communionem semel tantum in anno. Effletque proinde optimum consilium Praelatis ponentibus aliquod praeceptum, imponere ad illud suave reddendum alia praecepta, & ad haec suavia reddenda, alia. Quo quid absurdius? Verum quidem est, quod facilius omittimus id, ad quod non obligamur, sed ex hoc solum sequitur, quod nostra negligentia iugum Christi reddatur grave, non verò per non impositionem praeceptorum, nam licet praecepta obligent homines ad id, quod suavem reddit ad impletionem aliorum praeceptorum, non tamen suavem faciunt ipsa adimpletionem aliorum praeceptorum sed sunt nova onera eiusdem rationis, aequè aut magis gravia, quae alio indigent: quo levia reddantur.

7 Tertio objicies: nam Probabilismus non est cognitus usque ad finem seculi 16. & nihilominus iugum Christi semper fuit suave: ergo in principijs Probabiliorismi iugum Christi est suave, nec opus est, ut sit suave, doctrina Probabilistarum. Ad hanc objectionem resp. neg. ant. nam ut articulis sequentibus videbimus, doctrina Probabilissimi est iuxta D. Antonium

num B. Albert. Mag. D. Tho. D. Aug. & quod magis est, iuxta doctrinam Sac. Rot. Ecclesiæ, proindeque antiquissima.

8 Probatur secundò conclusio ex cap. 2. Lucæ v. 44. ubi ait: quod cum puer Iesus remansisset in Ierusalem, Beatissima Virgo, eiusque amantissimus Sponsus per integrum diem eum non quæserunt, existimantes, illum esse in comitatu. *Existimantes eum esse in comitatu venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos.* Ex qua auctoritate, sic primò arguo: tam omisio quærendi puerum Iesum, quam eius inquisitio inter cognatos, & notos ortum duxit ex illo iudicio probabilis re ipsa obiectivè falso, quo iudicarent, puerum Iesum esse in comitatu; & nihilominus tam volitio omissionis inquirendi, quam ipsa inquisitio fuerunt meritorie: ergo actus procedens ex iudicio probabili re ipsa falso obiectivè, potest esse meritorius. Secundo: illud iudiciū fuit re ipsa falsum, & nihilominus fuit simpliciter probabile: ergo stat, quod opinio re ipsa falsa sit simpliciter probabilis.

N. Christ. quæst. cit. art. 3. §. 4. num. 402. ait: B. V. Mariam, eiusq; Sanctissimum Sponsum nō

iudicasse simpliciter, puerum esse in comitatu, sed solum iudicarent, hoc accidere potuisse, & quod attentis circumstantijs erat verosimilius, suspensio iudicio circa rem, de qua erat dubium: B. namque V. Maria non potuit acquiescere alicui falso, quasi vero.

Sed in primis hoc est velle corrigere textum: nam textus non dicit, existimantes esse possibile, seu existimantes, esse verosimilius, illos esse in comitatu, sed absolute dicit: existimantes esse in comitatu, ac proinde non manserunt suspensio circa dubium, sed illud resolverunt probabiliter, attingendo obiectum ut verum veritate rationali, qua veritate re ipsa gaudebat, suspensio iudicio circa veritatem realem.

Rursus: asserere B. V. Mariam omisisse quærendi Iesum, suspensio iudicio, & non resolutio prius dubio circa ubi esset, est dicere B. V. Mariam in non quærendo Iesum sic processisse, & dixisse: verosimilius, & probabilius est illum esse in comitatu, non ergo quæramus illum, sive sit re ipsa, sive non sit in comitatu, quia ad illum non quærendum, sufficit, quod sit probabilius, sive in re sit falsum, sive verum. Adde: B. V. Mariam non quærendi Iesum, non iudicando prius ipsum esse

esse in comitatu, & consequenter in tuto, esse peccatum: quia non quærendi illum, non iudicando prius esse in tuto positum, sed suspensio circa hoc iudicio, erat illum non quærendi, sive esset in tuto, sive non esset in tuto, & consequenter, erat contemnere puerum Iesum, & se exponere periculo prudenti talis omissionis; non est dicendum B. V. Mariam peccasse: ergo non est dicendum, non existimasse esse re ipsa in comitatu: hoc enim est tribuere B. V. M. exiguum amorem, & exiguam curam erga puerum Iesum. Iudicavit utique B. V. Maria, puerum Iesum esse in comitatu, & non solum de hoc non mansit dubia, sed nec habuit motivum prudenter dubitandi, & tali iudicio ducta omisit illum quærendi, alias in tali omissione non liberaretur à peccato.

9 Sed adhuc dato, quod N. Chist. dicit, non fugit difficultatem propositam, quod sic breviter ostendo: ergo B. V. Maria non potuit habere iudiciū, quod re ipsa esset falsum: sed iudicavit esse verosimilius, & probabilius, puerum Iesum esse in comitatu: ergo tale iudiciū non fuit falsum: ergo verè erat probabile, & verosimile, ut à B. V. iudicabatur, puerum Iesum esse in comitatu. Et nihilo-

minus erat re ipsa falsum, quod erat in comitatu: ergo fieri potest, quod id, quod est re ipsa falsum, sit verè, & simpliciter probabile, quod ipse negat; nam certissimum est, B. V. Mariam non omisissuram quærendi puerum Iesum, per hoc præcisè, quod iudicaret, esse secundum quid probabile, & verò simile, esse in comitatu; hoc enim esset imprudentissime se gerere in re tanti momenti: . . . Adde per se fuit probabilius B. V. quod puer Iesus esset in comitatu: ergo potuit prudenter iudicare, quod erat in comitatu, & consequenter elicere assensum re ipsa falsum. Patet consequenter, quia quilibet potest assentiri prudenter opinioni sibi probabiliori.

§. II.

Refertur sententia contraria.

10 **C**ontra nostram sententiā sentiunt Probabilioristæ, & arguunt primò ex Psal. 118. ver. 4. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, hoc est, accuratissime, vehementer, sed non servat mandata Dei accuratissime, qui sequitur opinionem æquæ, aut minus probabilem contra legem: ergo

illicitum est sequi opinionem æquæ, aut minus probabilem contra legem. Si enim in rebus ad hoc corruptibile corpus spectantibus, ait N. Christ. anteferimus, & tenemur anteferre probabilia minus probabilibus, & oppositum non esset accuratissime attendere ad salutem corporis, quomodo non tenebimur anteferre probabilia æquæ, aut minus probabilibus in rebus ad salutem animæ attinentibus, aut quo pacto erit oppositum accuratissime custodire legem Dei.

Ad hoc argu. respond. nos teneri ad custodiendum accuratissime mandata nobis sufficienter nota, verèque obligantia quare cum lex solum probabilior non sit sufficienter nota, sed potius invincibiliter ignorata, & consequenter non dum obligans verè, non tenemur ad illam custodiendam. Quod autem lex solum probabilior non sit sufficienter cognita, nec habeat veram vim obligandi, constabit ex dicendis art. sequen. Instantia, quam sæpè repetit N. Christ. vel nihil probat, vel probat tutiorissimum. Quia circa res ad corruptibile corpus expectantes, nimirum, quando dubitatur, an aliquis cibus sit nocivus graviter salutem, vel aliqua medicina; non solum non possumus

amplecti æquæ, aut minus probabilia, sed nec probabiliora minus tuta: sed si commodè possumus, debemus sequi tutiora, & oppositum esset imprudentissimum: ergo si non minus tenemur ad vitandam fractionem legis in re, seu fractionem materialelem, quam ad vitandum damnum corporale, sicut nobis est illicitum agere cum opinione probabiliori minus tuta circa damnum corporale, etiam erit nobis illicitum agere cum opinione probabiliori minus tuta circa fractionem materialelem legis, & consequenter tenebimur ad tutius, quod est falsum. Paritas ergo non tenet circa fractionem materialelem legis, sed circa formalem.

11 Arguitur secundò ex illo Math. cap. 6. *Quæ angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam.* Sed via Probabilissimi est via lata: ergo est contra Sacram Seripturam. Hanc consequentiam videtur N. Christ. probare ex eo, quod vix invenietur falsitas aliqua adeò manifesta in rebus moralibus, ut paritatibus, rationibus hinc inde quaestis vestiri sic non possit, ut prudenter non sit præfato modo opinabilis, si prudenti iudicio non obstat, quod obiectum appareat magis accedere ad falsitatem.

Ad hoc argum. resp. quod via
vir-

virtutis, & quæ ducit ad coelum, dicitur arcta, quia consistit in medio, à quo in nullum latus declinare licet. Sed licet sic arcta, per illam Deus nos ducit cum suavitate, ut sic salvetur, quod iugum Christi est suave: quod non potest componi in via Probabilissimi, ut vidimus ex D. Antoni. bene verò in nostra sententia. Ad probationem consequentiæ dico, quod in nostris principiis ut aliquis possit alicui opinioni prudenter assentiri, requiritur, quod talis opinio, absolute loquendo sit simpliciter probabilis, etsi comparative ad suam oppositam sit minus probabilis. Hanc autem probabilitatem simpliciter talem non consequitur opinio qualibet paritate, motivo, aut fundamento, sed motivo gravi, verè solido, prudenti, & quod habeat connexionem notabiliter maiorem cum veritate, quam cum falsitate. Missas facio alias auctoritates Novi Testamenti, quas adducit N. Christ. §. 3. quæst. cit. à num. 394.

12 Arguit tandem N. Christ. num. 391. ex Deuter. cap. 17. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem; causam, & causam, lepram, & lepram: & iudicium inter portas tuas videris*

verba variari: *surge, & ascende locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniensque ad Sacerdotes, quæveresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præsumunt locum, quem elegerit Dominus, & docuerit te iuxta legem eius; sequerisque sententiam eorum; nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram.* Ex quibus ait citatus Auct. si sincere sumantur, invictum sumitur arg. adversus sententiam benignam. Et pro intelligentia textus supponit hoc præceptum non esse ceremoniale, & ad legem veterem tantum pertinens, sed naturale, & divinam ex suppositione elevationis hominis ad supernaturalem ordinem. Et hoc supposito, ex dicto textu sic contra nos arguit: Si circa legem Dei dubium oriatur, & circa eius resolutionem dentur diversæ Doctorum sententiæ, quod est, verba variari, iuxta textum allegatum pro resolutione illius, eundem est ad Sacerdotes, & faciendum quidquid illi dixerint. Hoc dicit Deus; sed quid faciunt Probabilistæ? Nonne pro resolutione dubij ad eunt Sacerdotes? Minimè, sed intrepide; resolvunt dubium, dicendo, quoddum sensus Legis est dubius, dum circa legem dantur diversæ opiniones, talis lex non obligat, & potest

test quisque facere, quod maluerit: expressè ergo contradicit Probabilismus prædicto textui.

In primis retorqueo argum. in dubio de lege, quando circa illius resolutionem dantur diversæ opiniones iuxta hunc textum recurrendum est pro illius resolutione ad Summum Sacerdotem; at Probabilioristæ non recurrunt pro illius resolutione ad Summum Sacerdotem, sed ex proprio cerebro, si opiniones sunt æquè probabiles, resolvunt pro parte rigida, et si non sunt æquè probabiles, resolvunt pro parte probabiliori, et si sit contra legem: quod non concedebatur Israëlitis, sed sine aliqua distinctione, quando dabantur diversæ opiniones, eis præcipiebatur recursus ad Summum Sacerdotem pro resolutione dubij, ergo vel talis lex nunc non obligat, vel Probabilioristæ agunt contra legem illam. Et si non obstante illa lege, stâte æquali probabilitate pro lege prohibente, & pro lege Dei permitente, licitum est Probabilioristis sine recurso ad Summum Sacerdotem resolvere dubium in favorem legis præcipientis, cur nobis non licebit sine tali recurso resolvere dubium pro lege Dei permitente? Videatur Illustris. Perca, qui optimè ostendit, hoc argum. omnino esse extra rem, &

vel nihil probare, vel probare contra omnes.

13 Nunc ad argum. directè respond. neg. suppositum: Nam præceptum relatum est iudiciale, iudicialia autem præcepta non sunt naturalia, & quæ habent vim obligandi ex ipso dictamine rationis, sed sunt circa res, quæ secundum se, & attenda eorum naturæ, non habent rationem debiti, vel indebiti, sed solum ex institutione divina, vel humana: quia potius est contra rationem iudicialium præceptorum, quod sint naturalia, habentiaque proinde vim obligandi independentè ab aliqua institutione: ut docet Ang. Doctor 1. 2. qu. 104. art. 1. in corp. ubi tradit hanc doctrinam, & concludit: *In duobus ergo consistit ratio iudicialium præceptorum, scilicet ut pertineant ad ordinem hominum ad invicem, & ut non habeant vim obligandi ex sola ratione, sed ex institutione.* Præcepta autem iudicialia solum obligabant illum populum: quia instituta sunt ad dispositum statum illius populi, qui ordinabatur ad Christum; (verba sunt D. Tho. quæst. cit. art. 3.) & ideo mutato statu illius populi, Christum iam veniente, iudicialia præcepta obligationem amiserunt. Nec in vi talis præcepti iudicialis tenebatur

tur Israëlita pro resolutione cuiuscumque dubij ire ad Summum Sacerdotem, aut supremum Iudicem populi, sed solum pro dubijs circa præcepta ceremonialia, & iudicialia, quæ dubia, ait D. Tho. 1. 2. qu. 105. art. 2. ad 7. ut defendat dictam legem esse iustam; non frequenter emerget ai: *Vnde ex hoc populus non gravabatur.* Circa dubia autem, quæ resolvi debebant ex iure naturali, non erat necessarium recurrere ad Sacerdotes, sed à sapientibus resolvi poterant. Sic intelligit citatum præceptum iudiciale Cornelius Alapide, & D. Tho. loco immediatè citato, ubi dicit, quod Summus Sacerdos erat destinatus ad resolvenda dubia circa ceremonias divini cultus, & Supremus Iudex ad resolvenda dubia circa iudicialia: non verò erant destinati pro resolutione cuiuscumque dubij, etiam circa legem naturalem, ita ut Israëlita ad illud resolvendum tenerentur illos ad ire.

14 Sed dato, quod illa lex esset naturalis, & consequenter, quod nunc obligaret, dico: quod si recursus erat facilis, debebat fieri, si autem recursus non esset facilis, ut nunc frequentissimè accidit, & instaret tempus operandi, ante sententiam Iudicis dubium de lege non esset interpretandum in par-

tem rigidiorè, ut faciunt Probabilioristæ, sed in partem mitiorè. Est expressa doctrina D. Tho. quodlib. 4. qu. 8. art. 14. in corp. ubi sic ait: *Respondeo dicendum, quod dubitatio de excommunicatione aliquarum, aut precedit sententiam Iudicem, aut sequitur. Si precedit, puta, quod nondum est declaratum per Iudicem consensus aliquos esse excommunicatos, non sunt vitandi, quorumque certo iudicio terminetur. In hoc enim casu certum est, quod in mitiorè partem interpretari debemus.* Vnde Deuteron. 27. dicitur. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, & iudicium intra portas tuas videris verba variari, venies ad Sacerdotes, & ad iudicem, queresque ab eis, & facies quaecumque dixerint.* Hucusque; D. Thom. qui hac legi utitur, non quia nunc habet vim obligandi, sed quia cum iusta fuerit, possumus ex ea inferre, quod nobis liceat facere.

Licitum ergo est cuilibet interpretari dubia circa leges, dummodo hoc rationabiliter faciat, non quidem interpretatione iurisdictionis, hoc enim modo interpretari solum pertinet ad superiorè, sed interpretatione doctrinæ, aut virtutis Epikeiæ, alias hæc virtus periret, quia hæc non habet locum

in superiore, sed in subdito, audia-
tur D. Antonin. *Et secundum hanc
virtutem Epikeie possumus præcep-
ta Dei, Ecclesie, Prelatorum, seu
Iudicum benignè interpretari. Et
in foro quidem contentioso eius est
interpretari, cuius est condere, vel
sententiare. Sed in foro conscientie
circa præcepta, & humana, & di-
vina, dico, quod pertinet ad quem-
libet pro facto suo, si tamen ratio-
nabiliter interpretetur. Consideret
Lector quam vim habeat argu-
mentum, cui tantum fide*

N. Christ.



ARTICVLVS II.

*Utrum Probabilismus sit iuxta doc-
trinam Sac. Rot. Ecclesie, &
Probabiliorismus ei ad-
uersus?*

A Deò acriter invehuntur Pro-
babilioristæ contra Proba-
bilismum, ut dicant, Pro-
babilitas esse laxos, morum cor-
ruptores, virusque doctrinæ pro-
pinare fidelibus: & quidam ex il-
lis, ausu quidem intolerabili, eo
procedunt, ut dicant, nostram sen-
tentiam esse damnatam ab Eccle-
sia, saltem virtualiter, & indirecte.

Sed parco verbis, & his iniurijs,
ut par est viro Religioso, com-
ptentis, ad examen rem ducamus, & vi-
debimus, quam econtra res se ha-
beant:

§. I.

*Affirmativa sententia eligitur, &
autoritate Ecclesie probatur.*

15 **D** icendum est, Proba-
bilismum esse iuxta
doctrinam S.R. Ec-
clesiæ, & Probabiliorismum ei ad-
uersum. Prob. conclusio ex prima
propositione damnata à SS. Do-
mino nostro Innoc. XI. quæ sic
se habet: *Non est illicitum in con-
ferendis Sacramentis sequi opinio-
nem probabilem de valore Sacra-
menti, relicta tutiori, nisi hoc vetet
Lex, conventio, aut periculum gra-
vis damni incurrendi. Hinc sen-
tentia probabili tantum utendum
non est in collatione Baptismi, Or-
dinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*
Ex cuius propositionis damnatio-
ne constat, quod ex natura rei, &
seclusa aliqua lege positiva, aut con-
ventione, aut periculo alterius gra-
vis damni, illicitum est circa ma-
terias, & formas Sacramentorum
vti opinione probabili, relicta tu-
tiori, quando hac absque gravi in-
com-

De opinione probab. in ordine ad licite operandum. Art. 2. 283
commodo vti possumus.

Ex qua propositione efficaci-
ter convellitur Probabiliorismus:
ergo ex natura rei est illicitum in-
conficiendis Sacramentis sequi opi-
nionem, siue magis, siue minus pro-
babilem, minus tutam, relicta tu-
tiori: ergo ex natura rei tenemur
vitare periculum, siue magis, siue
minus probabile nullitatis Sacra-
menti. Sed non tenemur ex natu-
ra rei vitare periculum imprudens
remotum, nullum, & ex natura
sua contemnendum: ergo si ex na-
tura rei tenemur vitare periculum
minus probabile nullitatis Sacra-
menti, periculum minus probabi-
le non est periculum imprudens,
nullum, remotum, & contemnen-
dum, sed potius prudens, grave,
dignumque, ut caveatur. Duæ pri-
mæ conseq. sunt clarissimæ, &
min. subsunta facilè probatur: ne-
mo tenetur ex natura rei timere, &
vitare periculum, quod ex sua na-
tura est imprudens, remotum, nul-
lum, & dignum, ut non caveatur,
sed potius ut contemnatur: ergo
si ex natura rei tenemur vitare pe-
riculum minus probabile, pericu-
lum minus probabile non est peri-
culum imprudens, remotum, &
contemnendum, sed potius est ex
natura sua periculum prudens, pro-
ximum, dignumque ut caveatur.

16 Totum hoc certissimè
infertur ex damnatione illius pro-
positionis. Et ex eo eadem certi-
tudine sequitur contra Proba-
bilitas, primò, quod fundamen-
tum longè minus probabile, in
quo fundatur periculum minus
probabile, non est fundamentum
simpliciter improbabile, nullum,
& contemnendum, sed simplici-
ter probabile, prudens, & timen-
dum. Sequitur secund. quod te-
nemur vitare periculum minus
probabile peccati formalis, quod
est mors animæ, & consequenter,
quod non possumus operari cum
iudicio solum probabili de non
peccato formalis, sed debemus ha-
bere iudicium excedens in certitu-
dine iudicij probabilis, quod cum
non possit esse directum, debet
esse reflexum. Et ratio huius se-
quelæ est: quia non minus cavere
debemus peccatum formale, maxi-
mè si est lethale, quod est mors
animæ, quam nullitatem Sacra-
menti; sed ita debemus ex natura
rei vitare nullitatem Sacramenti,
quod tenemur vitare periculū mi-
nus probabile illius: ergo ita debe-
mus vitare ex natura rei peccatum
formale, ut teneamur vitare peri-
culum illius minus probabile.

Rursus: vel periculum minus
proba-

probabile est ex natura sua prudens, proximum, & cavendum, vel solum imprudens, nullum, & contemnendum? Si est prudens, & cavendum, tenebimur ex natura rei vitare periculum longè minus probabile peccati formalis, nam qui tenetur vitare aliquod damnum, tenetur vitare periculum prudens illius. Si periculum minus probabile est ex natura sua remotum, imprudens, & contemnendum, non tenebimur ex natura rei vitare periculum minus probabile nullitatis Sacramenti; quia ex natura rei non tenentur vitare periculum, quod ex natura sua est nullum, remotum, imprudens, & contemnendum. Et tandem: si non obstante, quod periculum minus probabile sit imprudens, nullum, remotum, & dignum contemptu, datur obligatio vitandi periculum minus probabile nullitatis Sacramenti, etiam dabitur obligatio vitandi periculum minus probabile peccati formalis: quia non datur maior obligatio vitandi nullitatem Sacramenti, quam sit obligatio vitandi peccatum formale.

17 Sequitur tandem contra Probabilioristas: quod, vel non datur obligatio vitandi peccatum materiale, vel datur obligatio vitandi periculum minus probabile

illius: quia qui tenetur vitare aliquid, tenetur vitare periculum minus probabile illius, ut visum est. Quare vel non datur obligatio vitandi peccatum materiale, & sic corrumpitur Probabiliorismus; vel non licet sequi opinionem probabilioris de licito, & non exponere periculo minus probabili peccati materialis. Nec prætermittendum est, Probabilioristas in hac parte laxius procedere, quam Auctores illius propositionis damnatæ: nam isti iam dicebant, esse illicitum uti opinione probabiliori, relicta tutiori, quando imminet periculum alicuius gravis damni incurrendi, at Probabilioristæ defendunt, esse licitum sequi opinionem longè probabilioris, relicta tutiori, etsi detur periculum damni omnium maximi incurrendi, scilicet peccati formalis, quod est mors Animæ.

18 Vim nostræ rationis nititur evacuare N. Christ. part. 2. quæst. 5. art. 3. §. 3. num. 858. dicendo, propositionem damnatam intelligi de illis opinionibus verè probabilibus, quæ non sunt frequenter ab Ecclesia admixtæ, nec communiter habentur ut certò tutæ; cum id nec ex se habeant, nec ex usu Ecclesiæ, & alias versantur in concursu alterius opinionis assignan-

signantis materiam, & formam certam, ut v. g. Datur difficultas, an requiratur ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ propositum explicitum, an verò sufficiat implicitum non peccandi. Prima docet, esse necessarium explicitum; Secunda asserit, implicitum sufficere. Sed quia prima assignat materiam certam; Secunda verò tantum probabilem, nec ex Ecclesia habemus fundamentum ad asserendum, esse materiam certam, non est licitus secundæ opinionis usus. Hoc autem non evenit, quando utraque opinio est ad Ecclesiam recepta: tunc enim non est altera earum ita determinatè certa, ut excludat certitudinem, & securitatem alterius.

19 Sed tanti Auctoris venia, falsum omnino est, quod opiniones circa valorem Sacramenti habeant, aut possint habere ex usu Ecclesiæ securitatem, quam ex se non habent: Ecclesia namque potest declarare, quod in se sunt tutæ; si tamen ex se tales opiniones non habent securitatem nequit Ecclesia eis illam conferre. Et ratio est manifesta, quia circa valorem Sacramenti, & in ordine ad vitandum eius nullitatem, in tantum opinio est tuta, in quantum est in se vera, si enim in se non est vera, quavis ea fideles communiter utan-

tur non erit tuta, sed evadet Sacramentum irritum; sed Ecclesia non potest conferre veritatem realem opinioni, quæ in se non est vera: ergo nec conferre securitatem opinioni, quæ ex se non est tuta.

20 Falsum in super est, quod opinio, quæ communiter solum habetur ut probabilis, sive secundum magis, sive secundum minus, habeatur, aut haberi possit communiter ut certo tuta. Tum, quia opinio, quæ solum est probabilis, sive secundum magis, sive secundum minus, non habetur ut certo vera in se, cum hoc ignoremus, sed solum ut probabiliter vera: ergo non potest haberi ut certo tuta, sed solum ut probabiliter tuta. Probat. conseq. in ordine ad valorem Sacramenti in tantum opinio est tuta, in quantum est in se vera: ergo opinio, quæ non potest haberi ut certò vera in se, sed solum ut vera probabiliter, nec potest haberi ut certò tuta, sed solum probabiliter. Tum etiam: quia circa valorem Sacramenti usus opinionis, quæ remanet intra limites longè probabilioris, communiter habetur ut non tutus: ergo falsum est, quod habeatur communiter ut tutus. Prob. ant. habetur ut non tutus ab omnibus Probabilistis: ergo communiter habetur ut non tu-

tus, cum maior pars, & non ignobili or Doctorum Probabilismum sequatur. Conseq. est leg. & ant. explicatur, potius quam probatur: Nam quando opinio utraque secundum se, & absolute est simpliciter probabilis, etiam si una sit altera longe probabilior, minus probabilis, ut talis, adhuc perseverat simpliciter probabilis, eiusque fundamenta gravia, & magna, fundantiaque proinde prudentem timorem, & periculum dignum, ut caveatur: ergo iuxta Probabilismi principia qui circa valorem Sacramenti sequitur opinionem probabiliorem, relicta tutiori, se exponit periculo prudenti, & gravi nullitatis Sacramenti, sed nulli licet se exponere periculo prudenti, & gravi nullitatis Sacramenti: ergo iuxta Probabilistarum principia circa valorem Sacramenti nulli est licitum sequi opinionem longe probabiliorem, relicta tutiori.

Tum denique: Circa valorem Sacramenti usus opinionis minus tutae, quae non excedit limites probabilitatis, etsi in hac longe excedit suam oppositam, est imprudens, quando commode, & sine gravi damno adhiberi potest materia tuta: ergo nec habetur, nec haberi potest ab Ecclesia ut tutus. Probatur ant. qui habens ad con-

ficiendum Baptismum aquam, uteretur aliquo liquore, de cuius valore darentur diversae opiniones, imprudentissime uteretur tali liquore, relicta aqua, etsi sibi esset longe probabilius; talem liquorem esse materiam validam: sicut imprudentissime uteretur quis cibo tantum probabilius salutifero, sed minus probabiliter venenoso, & mortifero, uti potens sine gravi incommodo cibo absque aliquo dubio salutifero, & omnino tuto: ergo circa valorem Sacramenti usus opinionis minus tutae, quae non excedit limites probabilitatis, etsi in hac longe superet suam oppositam, relicta tutiori, est omnino imprudens.

21 Explicatur hucusque dicta: vel fideles possunt uti circa materiam, & formam Sacramentorum opinione longe probabiliori minus tuta, relicta materia, & forma omnino tuta, quam commode poterant adhibere, vel non? Si non: non est dicendum, fideles illa communiter usos fuisse, nisi dicatur ignorantes fecisse. Si possunt uti: ergo licitus est talis usus, & consequenter licitus est talis usus, etsi fideles de facto illa non utantur.

22 Impugnatur tandem solutio: vel circa valorem Sacramenti

ti tenemur vitare omne periculum nullitatis, tam proximū, quam remotum, tam prudens, quam imprudens, vel solum tenemur vitare periculum proximum, grave, & prudens? Si dicat N. Christ. primum (praeter quam quod est omnino falsum: quia periculum imprudens, & remotum ex natura sua est dignum, ut contemnatur, & consequenter non exigit ex natura sua caveri) ergo circa valorem Sacramenti non est licitū sequi opinionem longe probabiliorem, nec probabilissimā, relicta tutiori: quia quilibet opinio, etiam probabilissima, minus tuta, affert periculum, saltem remotum, & imprudens nullitatis Sacramenti, sicut, & falsitatis, & consequenter malè distinguit inter opiniones probabiles, quae sunt admittae à fidelibus, & quae non sunt admittae; cum nulla possit ad usum admitti, utpote afferens periculum saltē remotum, & imprudens nullitatis. Si autem dicat secundum: Rursus peto ab eo, an opinio minus tuta longe probabilior, hoc ipso, quod longe probabilior, solum afferat periculum remotum, imprudens, & contemnendum; vel semper afferat, etsi longe probabilior, periculum prudens, grave, & cavendum? Si dicat, quod opinio pro-

babilior minus tuta, hoc ipso, quod longe probabilior, solum affert periculum remotum, & imprudens: ergo quilibet poterit sequi circa valorem Sacramenti opinionem minus tutam; quae post factam diligentiam, ipsi apparet longe probabilior; poterimusque proinde, attendita natura rei circa Baptismum, & sic de alijs Sacramentis, uti alia materia, quam nobis sit probabilius, esse materiam sufficientem, relicta aqua, quae commode poterat applicari. Et ne per alia exempla divagemur: poterit quis accedere ad Sacramentum Poenitentiae cum solo proposito implicito, si sententia asserēs, propositum implicitum sufficere ad valorem Sacramenti Poenitentiae, sibi post adhibitā sufficientē diligentiam videatur longe probabilior, ut de facto videtur pluribus viris doctis, & sic de reliquis opinionibus, consequenterque malè dānavit Summus Pontifex propositionem asserentem, licitum esse in conficiendis Sacramentis uti opinione probabili minus tuta, relicta tutiori.

Si autem dicat, quod opinio longe probabilior minus tuta, etsi longe probabilior, semper affert periculum proximum, prudens, & cavendum; sic efficaciter insurgo: ergo

ergo opinio longè minus probabilis, non per hoc, quod sit longè minus probabilis, reditur simpliciter improbabilis, eiusque fundamentum nullum, imprudens, & contemnendum, sed perseverat semper simpliciter probabilis, & eius fundamentum grave, prudens, sufficiensque ad fundandum periculum proximum, & prudens: ergo illicitum est sequi opinionem longè probabiliorem de licito, & contra legem, consequenterque tenebimur ad tutius. Prob. consequenter tenebimur iuxta adversarios vitare periculum proximum fractionis materialis legis: ergo illicitum est sequi opinionem longè probabiliorem contra legem, si opinio contra legem, etsi longè probabilior, affert periculum proximum fractionis materialis legis: & à fortiori illicitum erit agere cum solo iudicio longè probabiliori de non peccato formali. Quod totum destruit Probabiliorismum.

23 Explicatur ampliùs hoc ipsum: vel circa valorem Sacramentorum est licitum ex natura rei sequi opinionem minus tutam quæ cuilibet post factam debitam diligentiam apparet longè probabilior, in eo sensu, in quo cuilibet est licitum sequi opinionem minus tutam, & contra legem, hoc

ipso, quod ipsi apparet post factam debitam diligentiam longè probabilior, vel non? Si dicatur primum, ad quid damnatur proposito asserens, licitum esse circa valorem Sacramenti sequi opinionem probabilem, relicta tutiori? Ad quid illa distinctio opinionum probabilium receptarum à fidelibus ad usum, & non receptarum: nam si mihi apparet longè probabilior, poterò ea uti, etsi fideles ob maiorem securitatem ea non utantur; etsi mihi non apparet longè probabilior, illicitum erit mihi ea uti, etsi fideles ea utantur. Si autem dicatur secundum; assignetur disparitas: nam suppono, opinionem contra legem, & opinionem minus tutam circa valorem Sacramenti esse longè probabiles post factam debitam diligentiam suis oppositis, & in eodem gradu excessus: ac proinde esse idem periculum, & in eodem gradu, fractionis materialis legis, & nullitatis Sacramenti. Nam si utrumque periculum longè minus probabile, & in hoc omnino æquale, est proximum, & grave, illicitum erit agere cum solo iudicio probabiliori contra legem, & cum solo iudicio probabiliori de non peccato formali, cum iuxta adversarios teneamur vitare periculum proximum tam peccat

peccati materialis, quam formalis. Si autem utrumque periculum sit remotum, & imprudens, quomodo ex natura rei tenebimur vitare illud circa valorem Sacramenti? Etsi circa valorem Sacramenti teneamur vitare periculum remotum nullitatis, cur non tenebimur etiã vitare periculum remotum peccati formalis, quod est mors Animæ, & malorum maximum.

24 Quod autem opinio minus tuta, etsi sit longè probabilior, afferat in rei veritate periculum proximum nullitatis, & consequenter opinio longè probabilior de licito, & de non peccato formali, afferat periculum proximum, & prudens fractionis materialis, & formalis, efficaciter ostenditur. Si quis, urgente necessitate, baptizaret Puerum cum materia minus tuta, teneretur illum postea baptizare, etiamsi talis materia esset illi longè probabilius, quod erat materia sufficiens ad Baptismi valorem; non debet, nec potest quis aliquem rebaptizare, nisi ad sit periculum prudens, & cavendum nullitatis prioris Baptismi: ergo si tenetur quis rebaptizare puerum, quem baptizavit cum materia sibi longè probabilius valida, opinio minus tuta, etiamsi sit longè probabilior, affert periculum prudens

nullitatis Sacramenti. Conseq. est legi. mai. continet communem doctrinam, & min. etiam est certa: quia ad reiterandam Baptismum requiritur dubium, & periculum prudens de nullitate prioris.

25 Sed objicies cū N. Christ. num. 859. nam in materia Sacramenti Ordinis nonnulli Auctores censerent materiam, qua utuntur Latini esse de essentia Sacramenti, & nihilominus ab Ecclesia admittitur modus Græcorum, qui non utuntur pro correctione Calicis, & Patenæ, sed contactu Aræ, in qua est Calix: ergo licitus est usus opinionis probabilioris admittæ ab Ecclesia circa valorem Sacramentorum, relicta tutiori. Rursus plures opinantur, esse de essentia consecrationis Episcopi, quod fiat saltem à duobus Episcopis, & altero Abbate; & tamen Innoc. X. concessit Fabio Chisio Nuncio Coloniensi consecrare Episcopum assistentibus alijs duobus personis indignitate constitutis. Et Innoc. XII. concessit idem Episcopo Ioanni Phelipo, assistentibus duobus Abbatibus infulatis. Et tandem plures Doctores defendunt (& sunt plusquam centum) ad valorem Sacramenti Penitentiae non sufficere attritionem supernaturalem, nisi secum ferat aliqualem

dilectionem Dei super omnia, quã sententiam prohibuit Alexan. VII. notari aliqua censura; & nihilominus communiter hodie defenditur sententia contraria: ergo sic N. Christ. num. 853.

26 Ad hanc obiect. resp. neg. conseq. & ad prim. exemplum dicimus, quod Ecclesia admittens positivè usum Græcorum, ostendit non solum esse probabilius, non esse de essentia Sacramenti Ordinis materiam, qua vtuntur Latini; sed esse ita moraliter certum, vt oppositū sit absolutè simpliciter improbabile. Ad 2. & 3. exemplum dicimus, quod Auctores, qui opinantur assistentiam triū Episcoporum, vel saltem duorum Episcop. & vnius Abbatis esse de essentia cōsecrationis Episcopi, vt Vaz. Dicæ & alij, loquuntur de Ministro ordinario, ita vt si sine delegatione Summi Pont. consecratio fieret à paucioribus Episc. esset nulla; non verò loquuntur de Ministro sive ordinario, sive ex cōmissione Summi Pont. quin potius oppositum defendant: Si autē aliqui sunt, qui dicant, quod nec ex cōmissione Summi Pont. fieri potest consecratio validè, nisi à duobus Episco. & vno Abbate, dicendum est ipsos Summos Pont. sua cōmissione, & concessione

declarasse, esse omninò certum moraliter, sufficere ex cōmissione Summi Pont. ad validam consecrationem Episcopi, assistentiam vnius Episcopi tantum cum duobus Abbat. infuleatis, aut duobus personis in dignitate constitutis. Nec asserendum est, vt rectè dicit N. cursus Mor. tract. 8. cap. 4. dub. vni num. 4. in tanto Christianitatis negotio vos fuisse opinione tantum probabilis, cum æquè benè poterant comittere facultatem tribus Episcopis, ac vni. ¶ Ad vltimum exemplum resp. concedendo, communiter defendi vt probabiliorē opinionem asserentem, non esse de essentia Sacramenti pœnitentiæ attritionem includentem aliquam dilectionem Dei super omnia, & ego id ipsum defendo, sed quid contra nos? Nā aliud est defendere talem opinionem vt probabiliorē, aliud est defendere, licitum esse usum talis opinionis, dummodo non exeat limites opinionis probabilioris, communiter defenditur talis opinio, vt probabilior: & hoc ipso quod probabilior, tutior est sua opposita in ordine ad speculationem, & ad vitandum errorem intellectus: quia in ordine ad hunc finem illa opinio est tutior, quæ quoad nos magis accedit ad veritatem

tatem, quod habet opinio probabilior. Sed licet talis opinio communiter defendatur vt probabilior, vsus tamen illius non defenditur communiter vt licitus, relinquendo talem opinionem in linea præcisè probabilioris; sed ab alijs defenditur, quia dicunt Pontificè solum damnasse usum opinionis probabilis minus tutæ in conferentibus Sacramenta, non in recipientibus: sed hoc est mērum effugium. Ab alijs defenditur, quia dicunt oppositam sententiam, maximè post Concil. Trid. esse, absolutè loquendo, improbabilem simpliciter. Ab alijs defenditur talis vsus vt licitus, quia sunt Probabilioristæ, cū quibus disputamus. Sed à nullo Probabilista, qui principia Probabilismi calleat, potest defendi vt licitus vsus talis opinionis, dummodò opposita sit simpliciter probabilis, licet comparative sit minus.

§. II.

Refertur sententia contraria.

27 **C**ontra nostram sententiã sentiunt omnes Probabilioristæ, & cum illis arguit. N. Christ. part. 2. quæst. 2. art. 8. num. 460. Ex

prop. 3. damnata ab Innoc. II. quæ sic se habet: *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo à Probabilitatis finibus non exeatur, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Damnatio huius propo. ait N. Christ. aded Probabilistas præmit, vt in varios dicendi modos ab ire coegerit, vt explicet, Probabilissimum non esse in illa propos. damnatum. Arguitque ex ea contra nos in hac forma: *illicitū est sequi opinionem tenuis probabilitatis; opinio minus probabilis vt talis, est tenuis probabilitatis: ergo illicitum est sequi opinionē minus probabilem, vt talem.* ¶ Ingenue fateor, mihi Probabilistarum minimò damnationem talis propositionis, nec minimam præsuram attulisse, quia nec in minimè tangit Probabilissimum. Ideoque, ne videar spernere tempus, dareq; vim argumento aded ex armato, breviter ad illud respondeo, con. mai. neg. min. quia opinio minus probabilis, vt talis, semper remanet simpliciter probabilis: quia illa opinio dicitur tenuis probabilitatis, cuius fundamentum est tenue, & illud fundamentum est tenue, quod parum magis connectitur cum veritate, quam cum falsitate. Econtra verò, illa opinio dicitur

dicitur simpliciter probabilis, cuius fundamentum est grave, & illud fundamentum dicitur grave, quod notabiliter magis connectitur cum veritate, quam cum falsitate. Quare cum fundamentum opinionis minus probabilis, absolute loquendo, sit simpliciter probabile, & notabiliter magis connectitur cum veritate, quam cum falsitate, ut supponimus, & hanc maiorem connexionem cum veritate quam cum falsitate, non amittat per hoc, quod comparative ad aliud oppositum illa connexio notabiliter maior, sit minor in linea connexionis notabiliter maioris cum veritate, quam cum falsitate, sed semper conservat in conspectu illius suam maiorem connexionem cum veritate, quam cum falsitate; nec opinio absolute loquendo simpliciter probabilis, amittit suam probabilitatem simpliciter talem in conspectu oppositæ notabiliter probabilioris. Videantur supra dicta quæst. præc. per totam, & maxime art. 3.

ARTICVLVS III.

Utrum Probabilissimus sit conformior Sacris Canonibus Probabiliorismo?

§. I.

Affirmatiua sententia eligitur.

29 **D**icendum est, Probabilissimum esse conformiorem Sacris Canonibus Probabiliorismo. Et prob. conclusio 1. ex cap. *Inquisitioni*, de sent. excom. in quo Pontifex cuidam dubio de petendo, & reddendo debitum sic respondet: *Inquisitioni tue respondentes, credimus distinguendum, utrum si alter coniugum pro certo sciat impedimentum coniugis, propter quod sine mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit, an nesciat pro certo, sed credat. In primo casu debet potius sententiam excommunicationis humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In secundo distinguimus, utrum habeat conscientiam huiusmodi, ex credulitate levi, & temeraria, an probabilis, & discreta. Et quidem ad sui Pastoris consilium conscientia levi, & temerarie credulitatis explosa, licite potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale. Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabilis, & discre-*

discreta, quamvis non evidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem coniugij vel contra iudicium conscientie committat offensam.

Mirabuntur sanè adversarij, me hac auctoritate uti in favorem Probabilismi, cum ab eis habeatur pro firmissimo fundamento suæ sententiæ. Sed ea utar, & meo iudicio convincentè. Quod ut clariùs præstem, est breviter notandum. Primo, quod iudicare prudenter, matrimonium esse nullum ratione alicuius impedimenti, est simul iudicare prudenter copulam cum coniuge esse re ipsa fornicariam, & ab intrinseco malam, quia in tantum copula non est re ipsa fornicaria, & ab intrinseco mala, in quantum matrimonium est validum. Secund. est advertendum, quod iuxta adversarios, intellectus non potest prudenter assentiri alicui opinioni, nisi talis opinio sit illi longè probabilior sua opposita, vel vnicè probabilis. Ter. est notandum, quod in casu posito utraque pars iuxta adversarios erat probabilis, penes magis, & minus, quidquid sit; an minus probabilis ut talis sit simpliciter probabilis. His breviter notatis: sic arguo ex auctoritate re-

lata: Coniux, qui prudenter iudicat, dari impedimentum dirimens matrimonium, prudenter iudicat, matrimonium esse nullum, & copulam cum coniuge esse fornicariam re ipsa, & obiectivè malam, & contra legem Dei; qui prudenter iudicat, matrimonium esse nullum ratione alicuius impedimenti, potest habere copulam cum altero coniuge, reddendo debitum: ergo qui prudenter iudicat copulam cum altero coniuge esse re ipsa, & obiectivè fornicariam, & contra legem Dei, potest habere copulam cum altero coniuge reddendo ei debitum. Totum syllogismum concedunt adversarij, & eo concesso, sic contra Probabiliorismum in surgo. Primò: ergo coniux habens opinionem probabiliorum de eo, quod copula cum altero coniuge est obiectivè fornicaria, & re ipsa contra legem Dei, adhuc ignorat invincibiliter maliciam obiectivam talis copulæ, & legem illam prohibentem. Prob. consequ. illicitum est agere id, quod non ignoratur, sed cognoscitur, cognitione excludente ignorantiam excusantem, esse ab intrinseco malum, & contra legem Dei; non est illicitum coniugi habenti opinionem probabiliorum de eo, quod copula est re ipsa fornicaria, &

contra legem Dei, habere copulam cum altero coniuge, illo petente: ergo coniux habens opinionem probabiliorem de eo, quod copula cum altero coniuge est re ipsa fornicaria, & contra legem Dei, adhuc ignorat invincibiliter malitiam obiectivam talis copulæ, & esse re ipsa contra legem Dei, & consequenter per opinionem probabiliorem de lege non excluditur ignorantia invincibilis illius. Conseq. est legitima, min. certa, & mai. ipsis terminis nota: quia nulla via, in nulloque casu honestari potest agere id, quod non ignoratur, sed cognoscitur, esse re ipsa malum, & contra legem: alias dabilis esset in Deo lex permittens, & in nostro casu præcipiens agere id, quod non ignoratur, sed cognoscitur, cognitione excludente ignorantiam, esse ab intrinseco malum, & contra legem Dei, quod nullus audebit dicere.

30 Secund. ergo lex probabilis cognita non est sufficienter cognita, & applicata, ut obliget, & consequenter non obligat: eritque proinde licitum agere contra legem probabilis cognitam. Prob. conseq. licitum est coniugi in casu posito, immo obligatorium agere contra legem probabilis cognitam, non est licitum, & minus

obligatorium, agere contra legem sufficienter cognitam, & applicatam, habentemque veram vim obligandi: ergo lex probabilis cognita, non est sufficienter cognita, & applicata, ut obliget. Prob. min. implicatorium est, quod datur in Deo lex permittens, & minus præcipiens, agere contra suam legem sufficienter cognitam, & applicatam, habentemque veram vim passive obligandi: ergo implicatorium est, quod sit licitum, & minus obligatorium, agere contra legem Dei sufficienter cognitam, & applicatam habentemque veram vim obligandi.

31 Dices; quod licet sit illicitum agere contra legem probabiliorem, quando in solidum occurrit, non tamen quando occurrit cum altera lege contraria graviore: tunc enim ob vitandum maius damnum erit licitum, & obligatorium agere contra legem probabiliorem. Quod accidit in casu posito: quia ex vna parte stat lex iustitiæ, scilicet, lex conjugij, ex alia parte stat lex castitatis: quare cum gravior sit lex iustitiæ, licitum est coniugi obvitandum fractionem illius, agere contra legem probabiliorem castitatis. Sic N. Christ. part. 2. quæst. 2. art. 5. num. 436. & quæst. 5. art. 5. §. 7. nu. 921.

Sed

Sed solutio hæc relinquit impugnationes in sua vi: nam vel lex probabilis cognita adhuc ignoratur invincibiliter, vel non? Si adhuc ignoratur invincibiliter: ergo ignorantia invincibilis legis non excluditur per cognitionem probabiliorem illius. Si non ignoratur invincibiliter, implicatorium est, quod datur in Deo lex præcipiens agere contra illam in aliquo casu, & eandem reflexionem facio circa secundam impugnationem. Alias dabilis esset casus, in quo esset iniustum, & peccaminosum non agere contra legem Dei non ignoratam, sed sufficienter cognitam, & verè obligantem.

Secund. impugnatur solutio: in eo sensu, in quo coniux non ignorat, sed cognoscit matrimoniū esse nullum, & copulam cum altero coniuge esse re ipsa fornicariam cognoscit, & non ignorat, negationem copulæ non esse re ipsa contra iustitiam: quia in tantum est re ipsa, & directè contra iustitiam negatio copulæ, in quantum matrimonium re ipsa est validum: coniux habens opinionem probabiliorem de nullitate matrimonij, & consequenter de eo, quod copula cum altero coniuge est re ipsa contra legem Dei, cognoscit per te, & non ignorat copulam esse

re ipsa fornicariam, & contra legem Dei: ergo cognoscit, & non ignorat negationem copulæ non esse re ipsa, & directè contra iustitiam: implicatorium est, quod Deus præcipiat agere contra legem, quā quis non ignorat, sed cognoscit dari, ob non faciendum contra legem, quam non ignorat, sed cognoscit, non dari: ergo.

32 Tert. non tenetur coniux ad vitandum damnum alterius coniugis media actione, quam non ignorat, sed cognoscit, esse contra legem Dei, coniux habens opinionem probabiliorem de nullitate matrimonij, non ignorat per vos, sed cognoscit cognitione excludente ignorantiam, copulam cum altero coniuge esse re ipsa malam, & contra legem Dei: ergo. Quare vel debent dicere adversarij, opinionem probabiliorem de illicito non excludere ignorantiam legis invincibilem, & excusantem, vel impossibilis est obligatio reddendi debitum, quando datur opinio probabilior de nullitate matrimonij.

33 Quart. lex iustitiæ non obligat ad id, quod est ab intrinseco malum, & illicitum; obligat ad id, quod est probabilis illicitum: ergo id quod est probabilis illicitum, ut tale, non est ab intrinseco

seco malum, & illicitum. Conseq. est leg. min. supponitur, & mai. ip. siterminis est nota: quia lex iustitiæ cadit supra materiam licitã, & materiam licitam facit obligatoriam.

34 Impugnatur quint. numquam est licitum agere contra dictamen conscientiæ; est licitum in casu posito, & obligatorium, agere id, quod directè iudicatur probabiliter illicitum: ergo dictamen conscientiæ non consistit in iudicio probabili directo delicto, vel illicito, sed in iudicio reflexo: quod negant contrarij. Rursus: ergo licitum est, & obligatorium reflexè, in casu posito id, quod directè est probabiliter illicitum: ergo iudicium reflexum non debet concordare cum iudicio directo, sed fieri potest, quod, non stante motivo ad deponendum iudicium directum de illicito, detur motivum ad formandum iudicium reflexum de licito, & quod stante iudicio prudenti de illicito operis, stet iudicium reflexum de licito, immo de obligatorio operationis, quod etiam negant adversarij.

35 Impugnatur tandem solutio: lex coniugij non obligat ad reddendum debitum cum periculo proximo damni gravis, quod quis tenetur vitare, obligat ad reddendum

debitum cum periculo proximo fractionis materialis legis castitatis: ergo non datur obligatio vitandi fractionem materialem legis castitatis. Conseq. est leg. min. certa, & mai. quæ etiam est certa, facile prob. lex coniugij non obligat ad reddendum debitum cum periculo proximo damni corporalis gravis, quod quis tenetur vitare: ergo Conseq. patet, & ant. docent communiter Doctores. Quod alijs terminis proponitur: non minus per vos tenemur vitare fractionem materialem legis, ac damnum corporale; ita tenemur vitare damnum corporale, ut coniux non teneatur reddere debitum cū periculo proximo damni corporalis gravis: ergo ita tenemur vitare fractionem materialem legis, ut coniux non teneatur reddere debitum cum periculo proximo fractionis materialis legis gravis, ut est lex castitatis. Quare vel dicendum est, non dari obligationem vitandi fractionem materialem legis, quod destruit Probabiliorismum, vel asserendum est, coniugem posse, & teneri reddere debitum cum periculo proximo damni gravis corporalis. Si enim lex charitatis obligat ad vitandam fractionem materialem legis, & non minus quam ad vitandum damnum

num proprium corporale, assignari non potest ratio, cur coniux teneatur, nec possit reddere debitum cum periculo proximo damni proprij corporalis gravis, & non solum possit, sed teneatur reddere debitum cum periculo proximo fractionis materialis legis gravis, ut est lex castitatis.

§. II.

Alia auctoritate munitur conclusio

36 **P**robatur secund. conclusio ex cap. *Laudabilem de frigidis*; Nam si post contractum bona fide matrimonium coniuges, aut eorum, alter, incipiant dubitare de impotentia, an sit perpetua, & vterque, vel alter eorum reclamet in iudicio, si post diligens examen solum probabiliter constet, impotentiam esse perpetuam, Summus Pontifex eis concedit, ut per trienium possint conari ad copulam. Ex quo textu sic probatur nostra conclusio: Ecclesia nequit permittere id, quod est ab intrinseco malum, & illicitum; permittit agere id, quod probabiliter iudicatur esse re ipsa malum, & contra legem Dei: ergo non est ab intrinseco malum, & illicitum agere id, quod probabili-

ter iudicatur, esse re ipsa malum, & contra legem Dei. Conseq. est leg. mai. certa, & min. prob. coniuges probabiliter iudicantes, impotentiam esse perpetuam, iudicant probabiliter, matrimonium esse re ipsa nullum, & copulam inter illos esse re ipsa malam, & contra legem Dei; & nihilominus eis permittit Ecclesia conari ad copulam per trienium: ergo Ecclesia permittit agere id, quod probabiliter iudicatur esse re ipsa malum, & contra legem Dei.

Secund. coniuges non ignorantes, sed cognoscentes, cognitione excludente ignorantiam, copulam inter illos esse re ipsa malam, & contra legem Dei, non possunt conari ad copulam; possunt conari ad copulam cum iudicio probabili de eo, quod copula est re ipsa mala, & contra legem Dei: ergo coniuges habentes iudicium probabile de eo, quod copula est re ipsa mala, & contra legem Dei, adhuc ignorant invincibiliter, copulam esse re ipsa malam, & contra legem Dei.

37 Terti. coniuges non habentes bonam fidem de valore matrimonij, & consequenter de eo, quod copula est re ipsa licita, non possunt petere debitum, nec eis hoc permitti potest; coniuges habentes

bentes iudicium probabile de nullitate matrimonij, & de eo, quod copula inter illos est re ipsa illicita, & contra legem Dei, possunt ad invicem petere debitum: ergo per iudicium probabile de nullitate matrimonij, & de illicito copulæ non amittitur bona fides de valore matrimonij, & de licito copulæ.

38 Quart. ergo licitum est in casu posito coniugi se exponere periculo proximo frangendi materialiter legem castitatis: ergo nõ tenetur vitare fractionem materialem legis: nam qui tenetur vitare fractionem materialem legis, tenetur vitare periculum proximum illius. Hæc conseq. legitime infertur ex prima, & prima etiam est legitima: quia periculum verè probabile est periculum proximũ, & prudens. Nec si semel est absolute malum se exponere periculo proximo peccati materialis, hoc honestari potest ob maius malum vitandum; quia non est malum, sed potius maxima perfecto non petere debitum, & maximè quando imminet periculum proximũ frangendi materialiter legem Dei.

39 Sequitur etiam ex prædicta permissione Ecclesiæ petendi, & reddendi debitum cum iudicio probabili de eo quod copula est

re ipsa mala, & contra legem Dei, primò, dictamen conscientia non consistere in iudicio directo de illicito: quia Ecclesia non potest permittere agere contra dictamen conscientia, & nihilominus permittit agere contra iudicium probabilis de illicito. Sequitur 2. iudicium reflexum de licito posse discordare à iudicio directo, posseque fundari iudicium reflexum de licito, supra iudicium probabile directum de illicito. Sequitur tandem, quod lex probabiliter tantum cognita non est sufficienter cognita, intimata, & applicata, ut obliget; nam Ecclesia non potest permittere agere cõtra legem Dei sufficienter cognitam, & intimatam, vereque obligantem. Quæ omnes impugnationes maiorem vim accipient, si fiant post tractatum viennium, & dimidium ab experientia conatus ad copulam: si enim toto hoc tempore experientia evasit nulla, iam est coniugibus longè probabilis, impotentiam esse perpetuam, & consequenter matrimonium re ipsa nullum, copulamque inter illos re ipsa malã, & contra legem Dei. Et nihilominus adhuc licitum est illis, & permittum ab Ecclesia conari ad copulam vsque ad complendum triennium.

§. III.

Fit obiam argumentis contrarijs.

40 **C**ontra nostam sententiã sentiunt Probabilioristæ, in eorumque favorem arg. 1. ex cap. *Inquisitionis* à nobis aducto, ubi ait Pontifex: *Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta debiti quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro, vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conscientia committat offensam:* ergo coniugi habenti opinionem probabilem de nullitate matrimonij, & consequenter de illicito copulæ, illicitum est petere debitum: ergo sentit Summus Pontifex, quod illicitum est agere contra opinionem verè probabilem & discretam de illicito.

Ad hoc arg. apud Illustriss. Palanco evidentè intentum cõvincens, respondeo 1. Summum Pontificem loqui, antequam fiant debitæ diligentia. Nam, etsi fortasse antequam casus ad Summum Pontificem deferretur, adhibitæ fuerint debitæ diligentia, hoc in casu non exprimitur, sed propositus est

ei casus in communi, & casui sic in communi proposito respondet, quod si coniux habet conscientiam ex credulitate levi, & temeraria, ex consilio sui Pastoris potest illam deponere, quin ad hoc opus sit illi maiori diligentia. Si autem conscientia pulset animum ex credulitate discreta, & probabili debet maiorem diligentiam adhibere, & quãdiũ illam adhibet reddere debet debitum, petere tamen non potest. Non tamen asserit Pontifex, quod post factam debitam diligentiam, si appareat probabilitas pro vtraque parte, non sit licitum petere debitum; quin potius constat oppositum ex cap. *Laudabilem* à nobis §. præcedenti allegatum. Quod magis explicatur solutione sequenti.

Secundo respond. ad arg. Summum Pontificem loqui, quando conscientia ita pulsat animum ex credulitate prudenti, & discreta, ut prudenter deponi non possit ab eo, vnde cumque hæc impossibilitas ei proveniat, vel quia ex altera parte non dantur sufficientia motiva ad veram probabilitatem, vel quia, etsi re ipsa dentur, à coniuge discerni non valent, sed de eorum vera probabilitate est anceps; vel quia, etsi motiva sint absolute gravia, sunt minus gravia oppositis, & aqu-

aquiescere non potest sententiæ nostræ. Non tamen loquitur Summus Pontifex, quando conscientia ita pulsat animum ex credulitate discreta, & probabili, ut possit prudenter deponi, nec leviter insinuat, non posse prudenter deponi, quando adest opinio minus probabilis in oppositum.

41 Sed oppones cum Illustriss. Palanco num. 70. in casu, de quo erat interrogatio, supponitur utraque pars probabilis, nam supponitur probabile impedimentum, & supponitur etiam probabile matrimonium fuisse validum, & quia fuit bona fide contractum, & ob alia motiva; & nihilominus Pontifex resolvit, illicitum esse coniugi petere debitum: sentit ergo Summus Pontifex, illicitum esse sequi opinionem æquæ, aut minus probabilem pro licito.

Ad hanc objectionem respondet negando mai. quæ vel est omnino falsa, vel Pontifex malè respondet. Nam si utrumque extremum supponeretur verè probabile, malè responderet Summus Pontifex sub distinctione, dicendo: *Credimus distinguendum, utrum alter coniugum pro certo sciat impedimentum.... An non sciat pro certo, sed credat.* Nam si supponitur, quod tam valor matrimonij, quam im-

pedimentum dirimens sunt extrema coniugi probabilia, supponitur, quod nullum extremum scit pro certo: nam quod tantum est probabile, credi potest, non tamen pro certo sciri. Et si unum extremum coniugum scit pro certo, alterum nequit ei esse probabile: probabilitas namque unius extremi pœnitus evacuatur per scientiam certam de veritate sui oppositi. Pontifex ergo loquens in casuposito cum distinctione, nec supponit in illo certam scientiam de impedimento, nec supponit solum credulitatem: Progreditur ultra Pontifex, dicendo: *In secundo distinguimus, utrum habeat conscientiam huiusmodi ex credulitate levi, & temeraria, an probabilis, & discreta.* Non ergo supponit Summus Pontifex in casu ipsiposito credulitatem probabilem, & discretam, ineptè namque inquiritur, quod supponitur: falsum ergo est, quod in casu, de quo erat interrogatio, supponitur utraque pars probabilis; sed casus fuit propositus Summo Pontifici in communi sub hac forma: *Duo sunt coniuges vir, & uxor, alter dicit, quod impedimentum est inter eos, ita quod non possunt sibi carnaliter commisceri sine peccato: queritur quid iuris sit?* In quo casu non supponitur,

De opinione probabili in ordine ad licite operandum. Art. 3. 301

tur, coniugem habere certam scientiam de impedimento, nec habere credulitatem discretam, & probabilem de illo, & minus, habere probabilitatem veram de utroque extremo opposito; sed solum supponitur habere aliquam impedimenti cognitionem, non determinando cuius conditionis hæc cognitio sit. Et quia casus sic in communi, & sine determinatione est Summo Pontifici delatus, ipse ad illius decisionem utitur duplici distinctione relata.

Loquitur ergo Summus Pontifex in auctoritate nobis obiecta de credulitate discreta, quæ prudenter à coniuge deponi non potest ob aliquod ex motivis relatis in solutione. Quod autem in rei veritate possit deponi, quando ex altera parte datur vera probabilitas, etsi notabiliter minor, constat ex cap. *Laudabilem* iam relatam; nam, etsi sit probabilis, impotentiam esse perpetuam, & consequenter copulam esse re ipsa illicitam, conscientia pulsans animum ex hac credulitate prudenti, & discreta potest prudenter deponi à coniuge, & petere debitum; hoc enim permittitur ab Ecclesia per triennium. Nec adest aliqua ratio in hoc casu, quæ non militet in casu textus nobis oppositi: Tum quia

casus propositus in cap. *Inquisitio* non est de hoc, aut illo impedimento particulari; sed de impedimento dirimente absolute sumpto, & quodcumque illud sit, ut constat ex ipso textu, ac proinde ratio, quæ ibi militat, etiam militat in impedimento dirimente impotentiam, ut non possit deponi conscientia pulsans animum ex credulitate probabili, & discreta: Licet enim possit esse illicitum ex conceptu particulari, quod est licitum ex conceptu communi, fieri tamen non potest, quod sit licitum ex conceptu particulari impedimenti dirimentis; impotentiam, quod est illicitum ex conceptu communi impedimenti dirimentis, quodcumque illud sit: ergo in eo sensu, in quo non potest deponi conscientia pulsans animum ex credulitate probabili, & discreta impedimenti dirimentis, loquendo de impedimento dirimenti absolute, & sine distinctione, nec potest deponi conscientia pulsans animum ex credulitate probabili, & discreta impedimenti impotentiam; & eo sensu, in quo potest deponi conscientia pulsans animum ex credulitate probabili, & discreta impedimenti impotentiam, potest deponi conscientia pulsans animum ex credulitate

probabili, & discreta cuiuscumque alterius impedimenti.

Tum etiam, & est efficacissima ratio: nam vel opinio longè minus probabilis de licito copulæ, & de eo quod non datur impedimentum dirimens, est, vt tale, verè, & simpliciter probabilis, vel non, sed simpliciter improbabilis? Si dicant primum, conscientia pulsans animum ex credulitate probabili, & discreta cuiuscumque impedimenti dirimentis, poterit prudenter deponi, quia licitum est agere cum opinione verè, & simpliciter probabili de licito. Si autem adversarij dicant secundum: ergo nec circa impedimētum impotentia potest deponi conscientia pulsans animum ex credulitate probabili, & discreta. Prob. hæc conseq. Nequit Ecclesia permittere agere cum opinione simpliciter improbabili de licito: ergo nequit deponi conscientia pulsans animum ex credulitate probabili, & discreta impotentia perpetua, si opinio minus probabilis vt talis, est simpliciter improbabilis.

Argum. secund. ex cap. *Dominus de secundis nuptijs*, Vbi sic ait Lucius terci. *Si verò aliquis, vel aliqua de morte prioris coniugis adhuc existimat dubitandum, non denegat postulanti, quod*

à se tamen nullatenus erit exigendum. Hæc decisio est aperte contra viam Probabilismi: ergo, & iste contra ius Canonicum. Min. probatur à N. Christ. num. 435. Primò: nam cum Summus Pontifex instrueret omnes, qui sub imperio Sarracenorum degebant, non videtur dubium, quod aliqui probabiliter existimabant, mortuum esse priorem coniugem, & consequenter esse probabile, validum esse matrimonium: ergo si sufficeret probabilitas, nedum reddere, sed etiam petere posset ille coniux. Secund. in via Probabilismi in dubio melior est conditio possidentis tam in materia iustitiæ, quam in alijs: ergo in hoc dubio de valore coniugij libertas possidebat in sententia benigna, ac proinde erat illi licitum etiam exigere, cuius contrarium statuit Summus Ecclesiæ Doctor.

Ad hoc argum. resp. neg. min. & ad eius primam probationem dicimus, Summum Pontificem instruere omnes, qui sub potestate Sarracenorum degebant, docendo illos, quid facturi sint, quando non habent certitudinem de morte prioris coniugis, & quid si iam, non habita hac certitudine, ad secundas nuptias convolarūt: & asserit, quod sine certitudine de morte
prio-

prioris coniugis non possunt ad secundas nuptias transire, & quod si iam secundas nuptias contraxerunt sine hac certitudine, debent reddere debitum, non tamen exigere. An autem qui habent iudicium probabile de morte prioris coniugis, habeant sufficiens certitudinem ad contrahendum secundum matrimonium, vel non, de hoc nihil dicit Summus Pontifex. Sed in rei veritate non sufficit: quia licet tam in nostris principijs quam in principijs Probabilioristarum sufficiat iudicium probabile de licito ad licitè operandum, nõ tamen sufficit iudicium probabile de valido, & quando ex sequela iudicij probabilis imminet periculum, non solum fractionis materialis legis, quam non tenemur vitare, sed etiam alterius damni, quod vitare debemus, & idè circa valorem Sacramentorum non est licitū vti opinione probabiliori, relicta tutiori. Quare ad contrahendum secundum matrimoniū non sufficit iudicium probabile de morte prioris coniugis, sed requiritur iudicium moraliter certum, excedens limites iudicij probabilis. Vide *Cursum Mor. tract. 9. cap. 6. Punt. 1.*

Et qui cum, incertitudine, aut sine certitudine requisita de

morte prioris coniugis secundum matrimonium contraxit, hac incertitudine manente, non potest petere debitum: quia qui cum incertitudine de morte prioris coniugis secundū matrimonium contraxit, illud contraxit mala fide, & possessio non favet in dubio incipienti possidere mala fide. Et etiā quia Summus Pontifex in poenā malæ fidei, qua contraxerunt, præcepit eis, ne peterent debitum. Si autem coniux habens solum iudicium probabile de morte prioris coniugis existimaret, sibi esse licitum cum illo iudicio probabili ad secundas nuptias transire, & de facto bona fide secundum matrimonium contraheret, postea petere, & reddere debitum. Et certe, si ex eo, quod existimans probabiliter, mortuum esse primum coniugem, & consequenter validum esse secundum matrimonium, copulamque licitam, non possit petere debitum, probatur, non esse licitum, agere cum opinione probabili de licito, immediatius, & formaliter probatur, non esse licitum agere cum estimatione probabili, aut cum iudicio probabili de licito, quod apud omnes est falsum: quia tam in sententia Probabilistarum, quam Probabilioristarum est licitum agere, quod verè probabiliter iudi-

judicatur, esse licitum. Per quod patet ad secundam probationem: quia cum per se loquendo illicitum sit contrahere cum incertitudine de morte prioris coniugis, Summus Pontifex præsumit, eos contraxisse mala fide: & ided illa incertitudine manente, eis prohibet petere debitum ob rationes iam tactas.

43 *Argum. terti. ex cap. Capellanus de feriis* ubi ait Pontifex: *quia ergo consulti fuimus, utra istarum opinionum potior videatur, (inquit) usque septem dies post Pentecostem celebrari non posse, ut asserbat secunda sententia, quia posterior sententia meliori, & subtiliori nititur ratione: ergo iuxta Summum Pontificem eligenda est opinio probabilior. Et confirmat N. Christ. assumptum ex Clement. vnica de Summa Trinit. §. vlti. ubi in Concilio Vienienti ex duplici opinione opposita eligitur probabilior.*

Ad hoc argum. resp. Summum Pontificem consultum fuisse, quæ ex duplici opinione opposita esset potior, hoc est, melior, & probabilior, & videns, quod secunda sententia meliori, & subtiliori nitebatur ratione; respondit, quod si de potiori opinione loquatur, & consulens vult sequi quod proba-

bilius est, secundam sequatur sententiam, quia illa est probabilior. Sed hoc quid contra nos? Nam etiam si à quolibet Probabilista petatur, quæ ex duplici opinione sit potior: si videat, opinionem affirmativam esse melioribus rationibus fultam, dicet, illam esse potioem, & probabilioem, eamque debere sequi consulentem si amplecti velit, quod probabilius est.

Secundo ad argum. respond. quod aliud est eligere opinionem in ordine ad docendum, & ad veritatem inveniendam, aliud est, eligere illam in ordine ad operandum, aut ad alios fines. Quando opinio eligitur in ordine ad inveniendam veritatem, eligenda est opinio probabilior; quia ad assequendam veritatem illa opinio eligenda est, quæ magis conducit, & quia ad hoc, saltem quoad nos magis conducit opinio probabilior, hæc in ordine ad finem inveniendi veritatem eligenda est. Et ob hanc rationem in ordine ad alios fines assequendos non semper eligenda est opinio probabilior, quia ad eorum assequutionem aliquando non magis conducit, sed minus quam opinio minus probabilis. Exemplam habemus in dubio de personis: nam in dubio de personis non est

est eligenda opinio probabilior, sed opinio magis favens personæ, etsi sit minus probabilis: & in dubio de excommunicatione aliquorum semper eligenda est opinio negans, etsi non sit semper probabilior: vtrumque docet D. Tho. ut videmus infra art. 4. Quare cum Summus Pontifex, & Concilium habuerint pro fine in electione illarum opinionum inventionem veritatis, quid mirum, quod probabiliores elegerint? Expositio aliarum auctoritatum, quæ hic opponi solent, videri potest supra quæst. 2. art. 2.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Probabilismus sit de merite D. Augustini?

§. I.

Statuitur nostra conclusio.

44 **D**icendum est, Probabilismum esse de mente D. Augustini. Hæc conclusio satis constat ex dictis quæst. 1. art. 5. ubi ex S. Doctore probavimus obiectum prudentiæ esse verum practicum apprehensum, sive in re sit tale, sive

non; & consequenter dari in Deo legem reflexam præcipientem obedire legi apprehensæ, sive detur, sive non detur in re: quod est contra probabilioristas. Constat ex dictis quæst. 3. art. 3. opinionem absolutè probabilem perseverare simpliciter probabilem in conspectu oppositæ æquæ, aut magis probabilis. Et ex art. 6. eiusdem quæst. ubi etiam ex eo probavimus, posse intellectum simul assentiri duplici opinioni probabili oppositæ.

45 Insuper probatur conclusio ex eodem D. Aug. lib. 1. de adulterinis coniugijs cap. 26. tom. 9. nam eius tempore dubium erat, an Cathecumeni in mortis articulo constituti, si aded oppressi essent, ut nec possent petere Baptismum, nec ad interrogata respondere, baptizandi essent? Circa quam difficultatem S. Doct. affirmativam sententiam sequutus, de contraria sic affatur: *Non tamen propterea debemus damnare eos, qui timidius agunt, quam nobis videtur agi oportere.* In quo modo loquendi satis se opponit Probabiliorista: nam isti ita adhærent suæ sententiæ, ut oppositam damnent, dicendo, esse falsam, improbabilem, & impracticabilem. E contra D. Aug. ita sequitur partem affirmativam,

mativam, ut non damnet eos, qui partem negativam tuentur in re tam gravi. Rursus: iuxta Probabilioristas, ut quis sequatur aliquam sententiam, debet prius iudicare absolutè, & iudicio firmo, & stabili, minimèque fluctuante, talem sententiam esse veram, & oppositam falsam. Non sic D. Aug. non enim dicit absolutè, suam sententiam esse veram, & oppositam falsam: hoc enim esset illam damnare; sed solum dicit, sibi videri, quod iudicium non est absolutum circa veritatem realem, sed restrictum, & valde trepidum.

46 Et tandem ad hominem contra N. Christ. hoc ipsum probatur: nam iuxta ipsum part. 2. quaest. 2. art. 11. num. 532. D. Aug. ita adhæret suæ sententiæ ut probabiliori, ut non per hoc damnet oppositam ut improbabilem: ergo intellectui D. Aug. ita opinio affirmativa est probabilior, ut non per hoc opposita sit ipsi intellectui improbabilis: ergo opinio minus probabilis D. Aug. non est iudicio illius simpliciter improbabilis: ergo non est idem iudicare aliquam opinionem esse attentis omnibus minus probabilem notabiliter, ac iudicare, esse attentis omnibus simpliciter improbabilem, & consequenter, licet D. Aug. opi-

nionem sibi minus probabilem actu non probet, non tamen illam reprobat, aut improbat, seu improbabilem iudicat. Quod contra faciunt Probabilioristæ, isti enim non solum non probant opinionem sibi minus probabilem, seu illam non probatam relinquunt sed illam positivè reprobant, & improbant, asserentes opinionem, omnibus inspectis, minus probabilem, esse, omnibus in peccatis, simpliciter improbabilem.

§. II.

Refertur sententia contraria.

47 **O**ppositam sententiã tenent Probabilioristæ, & arguunt 1. ex D. Aug. lib. 3. contra Academicos dicentes: *Turpe est errare: & ideo nulli rei consentire debemus: sed tamen dum agit quisque quod ei videtur probabile; non peccat, nec errat.* Contra quos sic ait S. Doct. cap. 16. *Si potest quis vivere ex proprio probabili, vel ex alieno, inveniet excusationem peccati, nec à Iudice debere condemnari. Vos me iocari arbitramini. Libet de ierare per omne divinum, nescire me prorsus, quando iste peccaverit, si quisquis quod agit probabile videtur,*

nota

non peccat. . . . Taceo de homicidijs, parricidijs, sacrilegijs, omnibusque omninò; quæ fieri, & excogitari possunt, flagitijs, & facinoribus, quæ paucis verbis, aut quod est gravius, apud sapientissimos Iudices defenduntur? Qui autem non putant ista, persuaderi probabiliter posse, legat orationem Catilina, quæ Patrie parricidium, quo uno continentur omnia scelera, persuasit. Illud est capitale, illud est formidandum, illud optimò cuique metuendum, quod nefas omne, si hæc ratio probabilis erit: cum probabile cuique visum sit esse faciendum, non solum sine scelere, sed etiam sine erroris vituperatione committatur. Per quæ verba ait N. Christ. loco cit. nu. 527. D. Aug. refellit manifestè modum dilcurrendi, seu inferendi Probabilistarum: *Probabile: ergo licitum: ergo non peccat, non errat.*

48 Sed incipiendo ab hoc ultimo, falsum omninò est Probabilistas dicere: *Probabile: ergo licitum; ergo non peccat, non errat.* Sed dicimus probabile simpliciter est, hanc actionem esse licitam: ergo stante hac probabilitate, licitum est mihi illam facere: ergo illam faciendo, non pecco formaliter: ergo tali opinioni assensum præstando, non erro formaliter: Quid

quid sit an talis actio sit in se, & obiectivè illicita, peccaminosa, & assensus materialiter erroneus. Sed quidquid sit de hoc, ad arg. resp. D. Aug. in verbis relatis non loquitur de opinione verè, & simpliciter probabili; sed loquitur, de probabilitate, siue vera, siue sophistica, siue simpliciter, siue secūdam quid tali. Et sensus D. Aug. est, quod non est licitum sequi quamlibet probabilitatem, quod, & nos asserimus. Non enim dicimus, licitum esse sequi quamlibet probabilitatem; sed constantè hoc negamus, asserentes, solum licitum esse amplecti opinionem simpliciter probabilem.

Quod autem hæc sit mens D. Aug. multipliciter ostenditur: 1. quia probabilitas, de qua loquitur D. Aug. comprehendit sub se probabilitatem, qua omne nefas probari potest licitum; probabilitas, qua omne nefas probari potest licitum, non est probabilitas verè, & simpliciter talis: ergo probabilitas, de qua loquitur D. Aug. non est probabilitas simpliciter talis. 2. probabilitas, de qua loquitur D. Aug. continet sub se probabilitatem, qua Catilina probavit Patriæ parricidium, hæc probabilitas non fuit simpliciter talis: ut, & ipsi adversarij non negabunt: ergo idem, quod

quod prius. 3. ad hominem contra aliquos Probabilioristas: nã D. Aug. loquitur de opinione probabili contra ius naturale: contra ius naturale iuxta Palanco. Contenson, & alios non potest dari opinio, quæ absolutè loquendo, sit simpliciter probabilis: ergo. 4. quia apud omnes est certum, esse licitum amplecti opinionem simpliciter probabilem, quia opinio simpliciter probabilis affert pro se verè grave, & prudens fundamentum, & licitum est agere cum motivo verè gravi, & prudenti; nec circa hoc est præcipuum disidium inter Probabilistas, & Probabilioristas sed potius hoc ut certo supposito, præcipuum disidium inter illos est, quando detur probabilitas simpliciter talis. Probabilistis assentibus, probabilitatem simpliciter talem inveniri in extremo æquè, aut minus probabili; hoc negantibus Probabilioristis: ergo vel D. Aug. loquitur contra omnes, vel non loquitur de probabilitate simpliciter tali. Et quidem si D. Aug. rejiceret probabilitatem simpliciter talè, rejiceret Probabiliorismum, quia apud adversarios probabilitas simpliciter talis non invenitur in extremo æquè, aut minus probabili, sed in extremo probabili. Et tandem id ipsum pro-

batur ad hominem: nam D. Aug. loquitur de probabilitate, qua homicidium, parricidium, sacrilegium, & omne nefas excogitabile probari potest, & de probabilitate, qua de facto Catilina probavit parricidium, sed iuxta adversarios, ut videre est apud N. Christ. part. 2. q. 3. ar. 2. §. 3. implicat intellectum probare, aut assentiri opinioni æquè, aut minus probabili, sed solum opinioni sibi probabiliori: ergo iuxta eorum doctrinam D. Aug. loquitur de opinione probabiliori: quia loquitur de opinione, qua de facto Catilina probavit Patriæ parricidium: ergo vel de opinione verè probabiliori, vel solum sophisticè. Si loquitur de opinione vere probabiliori: ergo rejicit veram probabilioritatem, consequenter rejicit Probabiliorismum. Si loquitur de sophisticè: ergo non afficit probabilismo. Quare certissimum est D. Aug. non rejicere usum opinionis simpliciter probabilis; sed usum cuiuscumque probabilitatis sine delectu, & examine.

49 Sed objicies cū N. Christ. part. 2. quæst. 2. art. 11. §. 2. nu. 528. D. Aug. loquitur de probabilibus, quæ apud sapientissimos Iudices defenduntur, hæc sunt vere probabilia, saltem extrinsece, &

ab

De opinione probab. in ordinè ad licite operandum. Art. 4. 309
ab auctoritate: ergo loquitur D. Aug. de opinionibus verè probabilibus.

Ad hoc respondeo, D. Aug. loqui, ut constat ex eius verbis, de probabilitate, qua omne nefas excogitabile probari potest licitum. Quare cum non omne excogitabile nefas probari possit probabilitate simpliciter tali, D. Aug. non loquitur de probabilitate, verè, & simpliciter tali. Nec obstat, quod talia apud Sapientissimos Iudices defendatur: quia etiam apud ipsos defenduntur ut longè probabilius licita, & magis conformia rationi, maximè in sententia adversariorum assentium, intellectum non posse assentiri opinioni æquè, aut minus probabili, sed solum longè probabiliori: quin ex hoc inferre liceat, talia delicta esse, nec ab extrinseco probabilius licita, probabilitate simpliciter tali. Quia ad opinionem simpliciter probabilem requiritur ignorantia invincibilis veritatis, & quod fundamenta non sint re ipsa sophisticè, sed verè gravia, quod circa omne excogitabile nefas non potest dari, nec circa scelera, quæ Sanctus Doct. recenset, admittitur ignorantia invincibilis, saltem per multum tempus, & apud sapientes, quia eorum malitia est notissima.

50 Si autem aliqua, quæ re ipsa sunt ab intrinseco mala, talibus circumstantiis vestiantur, quod provt sunt sub talibus circumstantiis, sit simpliciter probabile, esse licita, licitum erit pro illis circumstantiis illa exequi, etsi opinio fortasse sit falsa. Quare opiniones, quas plures Doctores tradiderunt, & iam sunt ab Ecclesia damnatæ, ante damnationem plures ex illis potuerunt à suis autoribus licite executioni mandari, adhuc iuxta Probabilioristas, quia ipsis post diligens examen non solum probabiles, sed verè probabiliores visæ sunt: quod, & non amplius petitur ab omnibus ad licite operandum.

51 Secundò arg. ex lib. 2. de doct. Christ. cap. 8. ubi ait S. Doct. *Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesijs preponat eis, quas quedam non accipiunt: in his verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, preponat eas, quas plures, & graviores accipiunt, eis, quas pauciores, & minus auctoritatis Ecclesie tenent.* Næc S. Doct. (prosequitur N. Christ.) *cur non ait posse teneri quamlibet, etiam si essent Ecclesie minoris auctoritatis, nisi quia est probabilius, & consequenter in casu posito tutius?* Ergo ex mente D. Aug. illicitus est,

Gggg

vsus

vsus opinionis minus tutæ, & minus probabilis.

Ad hoc arg. respõderi poterat facilimo negotio, dicendo D. Aug. non imponere obligationem amplectendi scripturam probabiliorẽ, sed præbere consilium. Secũd. resp. mentem D. Aug. esse, quod præponamus scripturas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesijs, eis, quas quædam non accipiunt, & quod in his, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponamus eas, quas plures, & graviores accipiunt, eis, quas pauciores, & minoris auctoritatis tenent, iudicando illas probabiliores, magis conformes rationi, magis dignas assensu. Non tamen dicit, quod servato hoc iudicio, hacque iuxta præferentia, non possimus, si velimus, ob aliquod motivum præstare assensum Scripturæ minus probabilis iuxta eius merita. Quia assentiri opinioni minus probabilis, ut tali, non est præferre illam in probabilitate, & dignitate alteri; sed potius fateri ex ipso modo assentiendi illi, inferioritatem, quam habet. Qui enim eligit opinionem minus probabilem, non eligit illam, quia magis dignam assensu; sed eligit illam præ probabiliori, quia, etsi non sit magis digna assensu, est digna, & magis conducens ad finem intentum;

ac proinde eligit illam ut magis utilem, cognoscendo tamen esse minus dignam assensu.

Ex quo tandem ad arg. resp. disting. consequens: illicitus est iuxta D. Aug. vsus opinionis minus probabilis, in ordine ad invenendam veritatem, concedo consequ. in ordine ad alios fines nego consequ. Docet ergo D. Aug. eligendam esse opinionem probabiliorẽ, quia ibi loquitur de electione in ordine ad invenendam veritatem; non tamen docet, quod in ordine ad quemcumque finem opinio probabilior debet eligi. Solutio patet ex dictis quæst. præc. art. 5. §. 1. Ad hanc doctrinam desumptam ex D. Tho. nolunt attendere Adversarij, & in sumunt tempus rejiciendis alijs solutionibus non ita ad veritatem accedentibus. Et est valde notandum, D. Aug. asserere scripturam probabiliorẽ præponendã esse minus probabilis, quod omnes facimus, non tamen dicit, quod adversarij faciunt, minus probabilem contemnendam esse ut improbabilem, falsam, dignamque despectu.

52 Tertio arg. Illustriff. Palanco quæst. 29. art. 3. §. 2. ex illa reg. Aug. quæ refertur in cap. *Si quis autẽ de pœnit. dist. 7. tene certũ. & dimitte in certum.* Et confirmat assum-

assumptum ex ipso D. Aug. lib. 1. de Bap. contra Donatistas: ubi inquit, *virum licitum esset suscipere Baptismũ in parte Donati? Cui quæstioni sic responderet: si dubium haberet, non illic rectè accipi, quod in Catholica rectè accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animæ, vel ex eo solo, quod certis incerta præponeret.* Et cap. 5. sic ait: *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est, esse peccatum, quis dubitet certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum.* Sed qui sequitur opinionem æquẽ, aut minus probabilem, relicta probabiliori de licito, certis incerta præponit in negotio salutis, quia in certum est, an illud opus sit peccatum, cum omnino certum sit abstinere ab illo non esse peccatum: ergo qui sequitur opinionẽ æquẽ, aut minus probabilem de licito, certissimè peccat.

Ad hoc arg. resp. quod quando imminet periculum alicuius damni, quod tenemur vitare, tenendũ est certum, & dimittendum incertum: & idè, quia tenemur vitare nullitatem Sacramenti, circa materias, & formas Sacramentorum, tenendum est certum, & dimittendum in certum. At circa licitum, vel illicitum dimittendum

est incertum practicè, non verò dimittendum est incertum speculative, quia supra incertitudinem speculative fundari potest certitudo practica de eo, quod licitum est agere cum tali incertitudine speculative: agere namque cum incertitudine speculative de illicito non est ab intrinseco malum, & illicitum. Quod est certissimũ, & magis supponendum, quam disputandum: tum quia iuxta omnes agere cum dubio directo, & speculativo de licito est materia capax voti obedientiæ, & præcepti: ergo non est ab intrinseco malum, & illicitum. Vide supra dicta quæst. 2. art. 3. §. 4. Tum etiam, nam ut vidimus art. præc. Ecclesia permittit coniugi habenti dubium de impotentia perpetua, immò opinionem probabiliorẽ, & consequenter opinionem probabiliorẽ directam de eo, quod copula est re ipsa illicita, & contra legem Dei, conari ad copulam per trienniũ: ergo idem quod prius: & consequenter in illis circumstantijs, in quibus datur dubium directum, & speculativum de licito, dari potest certitudo reflexa de eo, quod est licitum agere cum tali dubio.

Ad confirmationem patet ex dictis: nam quando imminet damnum spirituale animæ, & quod si opinio

opinio est falsa, nō evitatur per vltā reflexionē, illicitum est certis in certa præponere, vt accidit, quādo dubium est circa valorem Baptismi, si enim opinio re ipsa falsa est, et si mille reflexiones fiant, Sacramentum evadet nullum, anima; permanebit in peccato originali. Ex hoc autem, quod circa valorem Baptismi debeamus incertis directe certa præponere, non sequitur, quod idem debeamus facere circa licitum; alias sicut circa valorem Baptismi non possumus sequi opinionem probabiliorē minus tutam, nec possumus circa licitum.

Ad secundam auctoritatem resp. D. Aug. loqui de incertitudine practica, non de speculativa: Loquitur enim D. Aug. de eo, qui erat certus, nostram Ecclesiam ad Christianam salutem esse diligendam, & in ea sola prodesse Baptismum; & simul erat certus de eo, quod in his, in quibus nostri, & Donatistæ dissentiebat, habebat obligationem præponendi nostrorum sententiam. Quare cum nostri dicerent, non esse licitum recipere Baptismum in parte Donati, & oppositum esse improbabile, nec posse excusare ignorantiam, & ipse debebat hoc iudicare: quo posito, ad minus erat illi practice incertum, nō esse peccatum recipere Baptis-

mus in parte Donati, consequenterque erat illi certum peccatum: quia certum est peccatum, practice incerta certis præponere.

53 Nunc autem retorqueo arg. vel sequi opinionem minus tutam probabiliorē, relicta omnino tuta, est certis incerta præponere, vel non? Si dicatur primum: ergo iuxta D. Aug. illicitum est sequi opinionem probabiliorē minus tutam: quia iuxta ipsum illicitum est certis incerta præponere, & consequenter illicitum erit agere cum sola opinione probabiliori tam de peccato materiali quā formali, quod destruit Probabiliorismum. Si dicatur secund. ergo circa materias, & formas Sacramentorum licitum est sequi opinionem probabiliorē minus tutam: quia solum est illicitum certis incerta præponere; nō vero est illicitum sequi certum. Explicatur hoc amplius, quando D. Aug. ait, quod in rebus ad salutem animæ est illicitum certis incerta præponere, vel nomine incertorum intelligit ea, quæ solum sunt probabilius vera; vel solum intelligit ea, quæ sunt dubia, aut æquè probabiliter vera, ac falsa? Si adversarij dicant primum: ergo in rebus ad salutem animæ illicitum est agere cum sola opinione probabiliori minus tuta, relicta

licta omnino tuta: ergo illicitum est iuxta D. Aug. agere cum opinione solum probabiliori tam de peccato materiali, quā formali: quid enim spectat magis ad salutem, aut mortem animæ, quā peccare, vel non peccare formaliter, cum ipsum peccatum formale, si mortale est, sit intransitive mors animæ. Si autem dicant secundum: ergo sequi in rebus ad salutem animæ opinionem probabiliorē minus tutam, relicta omnino tuta, non est certis incerta præponere, sed est sequi certum: ergo circa valorem Baptismi licitum est iuxta D. Aug. sequi opinionem probabiliorē, relicta tutiori, quia iuxta ipsum, quod est illicitum, est certis incerta præponere in rebus ad salutem animæ, non vero sequi certum.

54 Impossibile est adversarijs in suis principijs hanc difficultatem componere: Nam si sequi opinionem probabiliorē minus tutam circa res ad salutem Animæ est certis incerta præponere, illicitum erit agere cum sola opinione probabiliori tam de peccato materiali, quā formali, quod omnino evertit Probabiliorismum. Si non sit certis incerta præponere, sed sequi certum; non erit illicitum circa valorem Sacramentorum sequi opinionem, quā quis post

adhibitam debitam diligentiam iudicat probabiliorē, relicta tutiori; quod est falsum. In nostris autem principijs optimè omnia componuntur: dicimus namque, quod sequi opinionem probabiliorē minus tutam est certis incerta præponere, ac proinde est illicitum in rebus ad salutem animæ spectantibus, vt est peccatum formale, & Baptismus, reliquaque Sacramenta, & tandem circa illas res, quas tenemur vitare, agere cum sola opinione probabiliori minus tuta. Possumus tamen agere cum opinione siue magis, siue minus probabili de non peccato materiali, quia cum non teneamur hoc vitare, possumus nos exponere periculo proximo illius, & agere cum incertitudine, dummodo certi sumus reflexè de eo, quod agere cum incertitudine directa est nobis licitum. Consideret nunc prudens lector, quibus faueat, noceat ve auctoritas D. Aug.

55 Pro explicatione alterius auctoritatis, quā adducit Illustriss. Palanco nu. 125. notandum est, quod quando opiniones sunt in probabilitate æquales, licet vtraque sit verè probabilis, & digna assensu, neutra tamen est digna assensu præ alia; ac proinde in ordine ad inveniendam veritatem intel-

lectus non potest assentiri vni præ alia, quia in ordine adhuc finem, vna non conducit plusquam alia; potest tamen intellectus in ordine ad alios fines vtrique probabiliter assentiri, vel assentiri vni ex illis, alia relicta: quia licet sint æquales in probabilitate, possunt tamē esse in æquales in conducentia ad finem intentum. Sed in tali casu licet vna opinio eligatur præ alia ad ei præstandum assensum, intellectus tamen non assentitur ei vt verè præ alia; sed ei præstat assensum iuxta ipsius merita, iudicando esse veram iudicio non excedente in firmitate, & veri similitudine assensum, de quo alia est digna; quod non est propriè resolvere dubium: tum enim dubium resolvitur, quando deciditur in quo ex extremis sit veritas præ alio, quod in nostro casu non fit: solum enim iudicatur probabiliter esse illud extremum verum, sed non præponitur alteri probabiliter.



ARTIC. V.

Virum Probabilissimus sit iuxta mentem D. Thomæ?

§. I.

Affirmativa sententia eligitur, & auctoritate probatur.

56 **D**icendum est, Probabilissimum esse de mente D. Th. & probatur iuxta D. Tho. Intellectus non solum physicè, sed etiam licitè, & moraliter potest assentiri opinioni æquè, aut minus probabili: ergo Probabilissimus est de mente D. Th. Conseq. est leg. & antec. probatur ex D. Tho. quod vt clarius præstemus, notandum est primo: Quòd interpretatio dubij est duplex, alia negativa, positiva alia: interpretatio negativa fit per suspensionem intellectus ab omni iudicio: interpretatio positiva fit per iudicium positivum, quando scilicet intellectus, exorto dubio, vni parti adhæret positivè, relicta alia. Secundo est notandum ex D. Tho. 2. 2. q. 60. artic. 4. cuius verba adduximus q. præc. art. 7. toto §. 1. quod in iudicando non semper attenditur bonum ipsius iudicantis, seu ipsius intellectus; sed aliquando attenditur solum bonum ipsius intellectus, aliquando verò præcipuè attenditur bonum alterius personæ. In dubio de rebus solum attenditur bonum ip-

De opinione probab. in ordine ad licite operandum. Art. 5. 315
 ipsius intellectus, quod est, verum; in dubio de personis attenditur præcipuè bonum, vel malum personæ de qua iudicatur.

Ex quo discrimine inter hæc dubia infert D. Tho. quod in dubio de rebus vnusquisque debet niti ad hoc, quod de rebus iudicet, secundum quod sunt; ac proinde debet eligere medium magis proportionatum ad perficiendum intellectum media veritatis attingentia. At in dubio de personis non debet niti præcipuè ad hoc, quod iudicet verè, sed ad hoc, quod de persona iudicet benè; etiamsi frequentius contingat, quod iudicium in favorem personæ sit falsum: quia melius est falli, iudicando benè de persona, quam attingere verum iudicando malè. Et ratio est: quia nocentum, quod patitur intellectus, iudicando falsò, est incomparabiliter minoris æstimabilitatis, quam damnum, quod irrogatur personæ, habendo de illa malà opinionem. Tum etiam: quia iudicare malè de persona, est iudicium esse falsum practicè, & disconforme ad appetitum, & rationem rectam: Iudicare de persona, quod re ipsa non est, est iudicium evadere falsum speculativè: & magis cavenda est in iudicando, falsitas practica, quam speculativa, quan-

do vtraque simul caveri non potest. Et quoniam notitia moralium (verba sunt Caiet. supra cit. art.) ad hoc ordinatur, non vt cognoscamus, sed vt operemur, vt dicimus in secund. Ethicorum, ideò maiori in periculo versatur, qui incidit in id, quod contrariatur intellectui, vt dirigenti, quam in id, quod contrariatur intellectui vt cognoscenti, vt in littera à D. Tho. defenditur. Quare iuxta D. Tho. & Caiet. in dubio de personis, ex suppositione, quod quis velit, aut conveniens sit, dubium interpretari positivè, semper debet illud interpretari in favorem personæ, etsi contingat, quod tale iudicium sit frequentius falsum.

57 Ex qua doctrina sic primò probatur ant. iuxta D. Tho. in dubio de personis ex suppositione, quod quis velit, aut conveniens sit illud interpretari positivè, semper dubium interpretandum est in favorem personæ; non semper opinio favens personæ est magis probabilis: ergo debet eligi opinio favens personæ, etsi non sit magis probabilis.

Secundò in tali dubio semper opinandum est iuxta D. Tho. in favorem personæ, etsi opinio favens personæ sit minus vera, magisque obnoxia falsitati, quam opposita;

opposita; opinio minus vera, magisque obnoxia falsitati, quam opposita, est opinio minus probabilis: ergo idem quod prius.

Tertio: Nam iuxta D. Tho. licet in dubio de rebus unusquisque debeat niti ad hoc, quod de rebus iudicet secundum quod sunt, non tamen in dubio de personis; sed ad hoc potius tendere debemus in interpretatione positiva talis dubij quod hominem iudicemus bonum. In quo discrimine unum supponit D. Tho. & aliud affirmat: supponit, quod aliquando, quod minus conducit ad perficiendum intellectum speculativum, iudicando verè, magis conducit ad perficiendum intellectum practicum, iudicando benè. & docet, quod in casu, quod aliqua opinio minus conducit ad iudicandum verè, quam opposita, quia est minus probabilis; si tamen magis conducit ad iudicandum benè de persona, hæc debet eligi ab intellectu præ illa: ergo iuxta D. Tho. intellectus tam phisicè, quam moraliter potest assentiri opinioni minus probabilis, ut tali, seu sive sit magis, sive minus probabilis. Si enim in dubio de personis intellectus debet opinari secundum probabilius, non semper deberet opinari in favore personæ, cum non semper opinio

favens personæ sit probabilior: deberetque unusquisque niti quantum posset ad perficiendum intellectum speculativum, & ad hoc, quod iudicium eius esset verum speculative: nullumque proinde esset discrimen inter dubium de personis, & dubium de rebus. Vel assignent contrarij, in quo stat discrimen, quod ponit D. Tho. si etiã in dubio de personis debemus opinari secundum probabilius, sicut in dubio de rebus. Videantur à nobis dicta loco cit.

58 Probatur 2. conclus. ex quod lib. 4. q. 8. vbi inquit: *Utrum aliquis teneatur vitare excommunicationes illos, de quorum excommunicatione etiam inter peritos est diversa sententia, quibusdam dicentibus, eos excommunicatos esse, & alijs non esse? Et in art. 14. sic ait: Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non debeant vitari illi excommunicati, circa quorum excommunicationem sapiens contraria opinatur. Quia secundum iura Episcopus non potest auferre beneficium, quod Clerico concessit sine culpa. Sed non minus debet communicatio fidelium civilium et fidelium, quam beneficium Clerico sibi ab Episcopo collatum: ergo nec communicatio fidelium est alicui subtrahenda sine culpa. Sed quando dubitatur, an causa subfit,*
pomp-

De opinione probab. in ordine ad licite operandum. Art. 5.
promptior debet esse animus boni viri ad interpretandum in mitiore partem, ergo ex quo dubitatur de excommunicatione aliquorum magis debet aliquis pro hoc stare, quod non sint excommunicati. Et ita non debet eos vitare.

Sed contra est, quod si aliquis percussus in bello moriatur, si ignoretur, quis eum percussit, propter dubium, qui in bello interfuit, irregularis habetur secundum iura: ergo à simili videtur, quod ex quo dubium est de aliquibus, an sint excommunicati, quod propter maiorem cautelam sunt vitandi.

Respondeo dicendum, quod dubitatio de excommunicatione aliquorum, aut precedit sententiam iudicum, aut sequitur. Si precedit, putata cum nondum est declaratum per iudicum consensum aliquos esse excommunicatos, non sunt vitandi quousque certo iudicio terminetur. In hoc enim casu certum est, quod in mitiorem partem interpretari debemus. Unde Deuteronomis vigesimo septimo dicitur: Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, & iudicium intra portas tuas videris verba variari, venies ad Sacerdotes, & ad iudicem, quæresque ab eis, & facies quæcumque dixerint. Sed si ambiguum oritur post concordem iudicum deter-

minationem magis standum est iudicum determinationi duplici ratione. Primo quidem quia iudices sollicitius discutientes negotium, plenius possunt percipere veritatem, etiam si sint minus periti, quam alij, qui per suntoriè constituntur, & extraordinariè. Secundo quia hoc esset magnum nocendum utilitatis communis status hominum, si sententia non staretur, sed quilibet pro suo libito vellet sententia calumniã ingerere, quia sic litigia essent interminabilia, & ideo in tali casu magis est standum sententia iudicum, nisi forte sit per appellationem suspensa. Huc vique Ang. Doct.

59 Ex qua auctoritate, quæ, sicut & præcedens, tam ab Illustriss. Palanco, quam ad N. Christ. fortiter disimulatur, evidentè impugnatur Probabiliorismus. Primo dubium de excommunicatione, est dubium de lege, non secus ac dubium de irregularitate, nam excommunicatio est lex quedam Ecclesiastica; in dubio de excommunicatione, præcedente sententiam iudicum, certum est iuxta D. Tho. quod tale dubium est in mitiorem partem interpretandum: ergo dubium de lege præcedens concordem iudicum sententiam, certum est iuxta D. Tho. esse in mitiorem partem interpretandum,

vel iudicando, talem legem non dari, vel iudicando, talem legem vt dubiam non obligare, sive datur, sive non datur.

Secund. nõ semper, ac sapientes circa excommunicationem aliquorum contraria opinantur, opinio benignior, & mitior, est probabilior; & nihilominus iuxta D. Tho. certum est, quod quando istæ opiniones præcedunt concordem iudicum sententiam, est interpretatio faciendâ in mitiorem partem, iudicando secundum opinionem mitiorem, & stantem pro lege permittente: ergo iuxta D. Tho. certum est, iudicandum esse secundum opinionem stantem pro lege permittente, & contra legem excommunicationis, sive sit talis opinio probabilior, sive non: ergo iuxta S. Doc. non solum potest intellectus iudicare physicè secundum opinionem æquæ, aut minus probabilem, sed etiam tenetur, si opinio est mitior.

Explicatur hoc amplius: Sicut quis habet ius ad communicationem cum fidelibus, etiã habet ius ad ordines suscipiendos, & ad alias actiones; & sicut ius ad ordines suscipiendos, & ad alias actiones est subordinatũ legi, etiam est subordinatũ legi ius ad communicationem cum fidelibus; non obstante,

quod quis habeat ius ad communicationem cum fidelibus, subordinatũ legi; quando dantur diverse opiniones inter sapientes circa legem prohibentem communicationem, ante concordem iudicum sententiam faciendâ est interpretatio iuxta D. Tho. in mitiorem partem, & contra legem: ergo non obstante, quod quis habeat ius ad suscipiendos ordines, & ad alias actiones subordinatũ legi, quando dantur diversæ opiniones circa legem prohibentem tales actiones, si tales opiniones præcedant concordem iudicum sententiam, semper iudicandum est contra legem. Et certè D. Tho. interdubium de excommunicatione præcedens sententiam iudicum, & dubium de irregularitate propositum in arg. sed contra, non agnoscit aliam disparitatem, vt non debeat quis iudicari excommunicatus, debeat tamen iudicari irregularis, nisi quod dubium de excommunicatione, vt supponitur, præcedit sententiam iudicum, & illud dubium de irregularitate subsequitur; est enim declaratum in iure, quod in tali casu irregularitas incurritur.

Terc. quando circa excommunicationem aliquorum dantur inter sapientes diversæ opiniones, ante concordem iudicum sententiam

tiam non tenentur se gerere, vt excommunicatos, etsi si ipsi petant ab alio, an stantibus talibus opinionibus debeant ante sententiam iudicum se iudicare excommunicatos, & vt excommunicatos se gerere, debet eis dicere iuxta D. Tho. quod non, quia debet dubium in mitiorem partem interpretari: ergo in tali casu iuxta D. Th. sive opinio pro excommunicatione sit probabilior, sive non, licitum est agere contra excommunicationem: ergo lex excommunicationis non obligat, quia ab intrinseco est malum agere contra legem obligantem: ergo qui agit contra legem probabilioris non agit cum ignorantia vincibili legis; quia etiam hoc est ab intrinseco malum: ergo lex dubia non obligat nec remotivè; hoc est, removendo conscientiam de licito operationis, si quidem stante dubio de excommunicatione, stat conscientia de licito, vt patet in casu posito: ergo supra dubium, sive rigorosum, sive probabile de licito operis, fundari potest iudicium certum reflexum de licito operationis: ergo licitum est agere cum periculo proximo frangendi legem excommunicationis: ergo non datur obligatio vitandi fractionem in materialem legis: quia si daretur talis obligatio, etiam daretur obli-

gatio vitandi periculum proximum illius. Omnes istæ consequentiæ sunt clarissimæ, sed destruentes clarissimæ omnia principia Probabiliorismi. Stat ergo D. Tho. pro Probabilismo, & contra Probabiliorismum.

Quod mihi evidens est: Nam si D. Tho. esset Probabiliorista, quæstioni propositæ non responderet, vt respondet, si dubium est, ante concordem iudicum sententiam, certum est, quod interpretatio fieri debet in mitiorem partem & contra legem: econtra verò, si sequatur concordem iudicum sententiam: hic enim est modus proprius respondendi Probabilistarum, qui dicimus, quod hoc ipso, quod dantur variæ opiniones inter sapientes ante declarationem Ecclesiæ, mitior interpretatio faciendâ est: sed deberet D. Tho. dicere, & respondere cum distinctio: vel dubium est rigorosum vel est probabile? Si rigorosum, non in mitiorem, sed in rigidiorem partem interpretatio faciendâ est. Si probabile: vel opiniones sunt æquè probabiles, vel non? Si sunt æquè probabiles, aut opinio contra legem est minus probabilis, non in mitiorem partem, sed in rigidiorem faciendâ est: Si autem opinio contra legem est probabilior, fieri potest

potest interpretatio in mitiorem partem. At D. Tho. non ita respōdet. Sed non ignorans, quod opiniones Doctorum circa excommunicationem poterāt esse æqualis probabilitatis, & quod poterat esse longè minus probabilis opinio contra excommunicationem, absolute, & absque aliqua distinctione resolvit, quod si opiniones sapientum circa excommunicationem præcedunt sententiam iudicum, certum est, interpretationē faciendam esse in mitiorem partem, & contra legem; quod est proprium assertum Probabilistarum.

61 Sed objicies contra literam D. Tho. in dubio de excommunicatione aliquorum exortante concordem iudicum sententiam, sapientes possunt contraria opinari, si ad hoc ex vtraque parte sint sufficientia motiva, & de facto supponit D. Tho. illos contraria opinari, & quidem licite: ergo & omnes poterimus vnam, vel alteram partem amplecti iuxta motivorum gravitatem: ergo non datur obligatio interpretandi illud dubium in mitiorem partem, alias etiam sapientes tenerentur illud in mitiorem partem interpretari, nec possent licite opposita sentire. Nō ergo rectè procedit D. Tho. supponendo ex vna parte, sapientes

contraria opinari, & asserendo ex alia, quod quando dantur diversæ opinioniones, dubium debet interpretari in mitiorem partem.

Ad hanc objectionem resp. D. Tho. rectè procedere, & in modo, quo procedit, nostram doctrinam tradit: nam aliud est, assentiri opinioni in ordine ad inventionem veritatis, aliud, illi assentiri in ordine ad operandum: in ordine ad inveniendam veritatem possunt sapientes in dubio, an detur excommunicatio, contraria opinari iuxta gravitatem fundamentorum. At ipsi sapientes, qui in ordine ad speculandum possunt contraria sentire; quādiu excommunicatio non apparet manifeste, sed est inter opinioniones, debent in ordine ad operandum, & ad communicandum, vel non communicandum cum illis, iudicare, illa non esse excommunicatos. Hæc est Probabilistarum mens, cui omnino se opponūt Probabilioristæ. Plures alias auctoritates D. Tho. in favorem Probabilismi invenies sparsas in hoc opere: vix enim est conclusio, quæ D.

Tho. auctoritate non firmetur.

* *

§. II.

Refertur sententia contraria.

62 **C**ontra nostram sententiā sentiunt Probabilioristæ omnes, & arguunt primò ex quod lib. 8. art. 13. ubi inquit Ang. Doct. Quando sunt diverse opinioniones de aliquo facto, utrum ille, qui sequitur minus tutam, peccet? Vel ut alij volunt: Utrum qui habet plures præbendas, peccet? Et in corp. art. sic respondet: Respondeo dicendū, quòd duobus modis aliquis ad peccatum obligatur: uno modo faciendo contra legem, ut cum quis fornicatur: alio modo faciendo contra conscientiam, etsi non sit contra legem, ut si conscientia dicitaret alicui, quod levare festucam de terra sit peccatum mortale. Ex conscientia autem obligatur aliquis ad peccatum, si ve habeat certam fidem de contrario eius, quod agit, si ve etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione, illud autem, quod agitur contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc quod sit secundū conscientiam. Et similiter, quòd est contra conscientiam est malum, quāvis non sit contra legem, quod autem nec contra conscientiam, nec

contra legem est, non potest esse peccatum. Dicendū est ergo, quod quando due sunt opinioniones contrarie de eodem, oportet, esse alteram veram, & alteram falsam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, utpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & sic cum faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam. Sic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam ipse sequitur, ita quòd licet, verè habere plures præbendas: Et tunc distinguendum est: quia aut talis habet conscientiam de contrario, & sic iterum peccat contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem. Aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum; & sic, si manente tali dubitatione plures præbendas habeat, periculo se committit, & sic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem: aut ex contrarietate opinionum in nullam dubitationem inducitur, & sic nec committit se discrimini, nec peccat. Hucusque D. Tho.

Ex qua auctoritate plura infert N. Chrif. contra Probabilismum.

Kkkk

Nam

Nam in primis iuxta D. Thom. ex conscientia obligatur aliquis ad peccatum, siue habeat certam fidem de contrario eius, quod agit; si ve etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione; sed qui habet opinionem æquæ, aut minus probabilem de licito, habet opinionem cum aliqua, immo cum magna dubitatione: ergo iuxta D. Tho. illicitum est, sequi opinionem æquæ, aut minus probabilem de licito.

Secund. quando duæ sunt opiniones contrariæ de eodem iuxta D. Tho. oportet, alteram esse veram, & alteram falsam: ergo implicat iuxta D. Tho. quod utraque sit vera practicè: Nam D. Tho. oppositum affirmat, loquendo de opinionibus practicè sumptis. Rursus D. Tho. opponitur Probabilismo, quia in huius via veritas opinionum sumitur penes probabilitatem, quæ ad nos refertur, & non penes res in se ipsis. E contra D. Tho. sumit veritatem, & falsitatem per convenientiam, vel disconvenientiam cum obiecto, ac proinde iudicium conforme cum obiecto est verum, & disconforme est falsum.

Tert. & vrgentius: Quia iuxta D. Tho. si ex contrarietate opinionum inducitur quis in dubitationem, & manente tali dubitatio-

ne de licito, aut de lege, operatur contra legem, peccat: ergo iuxta D. Tho. in dubio de licito, seu de lege non est licitum agere contra legem: cuius oppositum totis viribus defendunt Probabilistæ. Huc vsque N. Christ. Quibus addi potest: iuxta D. Tho. qui facit contra legem Dei, peccat, etsi non faciat contra conscientiam: ergo iuxta D. Tho. potest quis peccare, quin agat contra conscientiam, præcisè per hoc, quod agat sine conscientia. Quod opponitur nostræ doctrinæ asserenti, non posse dari peccatum formale, quod non sit contra conscientiam.

63 Ex hac auctoritate nihil probari potest contra Probabilitas, quod æquæ non pugnet contra Probabilioritas. Nam D. Tho. non inquirit, vtrum licitum sit sequi opinionem minus probabilem contra legem? Sed vtrum licitum sit sequi opinionem minus tutam? Quæ in quantum talis præscindit ab eo, quod sit magis, aut minus probabilis: opinio namque contra legem semper est minus tuta, etsi sit probabilior. Et in corpore articuli respondet Ang. Doct. non sicut responderent Probabilioristæ, dicendo, si est probabilior, licitum est, illam sequi, siue in re sit vera, siue falsa; si autem est æquæ, aut minus

nus

nus probabilis, non est licitum, illam amplecti. Sed respondet, nulla facta mentione de maiori, aut minori probabilitate, quod si opinio minus tuta, quam sequitur, est falsa, ita quod re ipsa non est licitum, habere plures præbendas, semper peccat, etsi non faciat contra conscientiam, quia agit contra legem Dei, & agere contra legem Dei semper est malum. Si autem opinio, quam sequitur, est vera, peccabit illam sequendo, si ex contrarietate opinionum in quamdam dubitationem inducatur; si autem in nullam dubitationem inducatur, non peccabit. Quare si littera D. Tho. in toto rigore accipiēda est, æqualiter est contra Probabilismum, & Probabiliorismum: quia iuxta rigorem litteræ, quando minus tuta est vera, fieri potest, quod quis peccet, & quod non peccet; peccabit, si illam sequatur cum aliqua dubitatione: & non peccabit, si in nullam dubitationem inducatur ex contrarietate opinionum. At quando opinio minus tuta est falsa, semper peccat, qui illam sequitur, quia agit contra legem Dei, & agere contra legem Dei semper est malum: ergo iuxta D. Tho. opinio falsa contra legem nunquam excusat; & nihilominus aliquando est probabilior: ergo opinio probabilior

non excusat; estque proinde illicitum, illam amplecti; sed tenebimur ad tutius.

64 Quare cum omnino falsum, & improbabile sit, opinionem probabilissimam, aut probabiliorem contra legem non excusare, D. Tho. non intelligendus est in toto rigore; sed ut illum explicat D. Ant. in summa titul. 3. cap. 1. de conscientia. §. 1. His verbis: *Quod autem dicit D. Tho. quando duæ sunt opiniones contrariæ de eodem, oportet, alteram esse veram, & alteram falsam. Si ergo ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, ut putat in habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, non excusatur a peccato, cum faciat contra legem Dei, quamvis non facit contra conscientiam: hæc enim verba D. Tho. non possunt intelligi, nisi de his, ubi manifestè patet ex Scriptura, & Ecclesiæ determinatione, quod sint contra legem Dei, & non de illis intelligi, ubi non apparet: alias sibi contradiceret in eodem libro (scilicet quodlib. 3. q. 4. art. 10.) quod non est dicendum. Vel intelligendus est D. Tho. ut alij volunt, quando non est facta debita diligentia ad legem inveniendam. Sed quocumque ex his modis explicetur D. Tho. nobis non officit: destruit tamen Probabilioris-*

bilioris-

biliorismum in ultimis verbis: nam iuxta D. Tho. ad licitè operandum requiritur iudicium excludens omnem dubitationem; hoc iudicium nequit esse iudicium probabile, ut vidimus iam diversis in locis, & præcipuè, q. 1. art. 6. §. 3. ergo iuxta D. Tho. ad licitè operandum requiritur iudicium excedens limites iudicij probabilis; quòd, cum nequeat esse directum, debet esse reflexum.

Ex quo ad primum dicimus, ex verbis D. Tho. nihil probari, vel probari illicitum esse agere cum opinione probabiliori de licito; cum iuxta ipsum de ratione opinionis sit, quòd sit cum dubitatione, & formidine. Quare concedimus, illicitum esse agere cum opinione de licito cum aliqua dubitatione, sive opinio de licito sit magis, sive minus probabilis; sed necessariò requiritur ad licitè operandum cum opinione de licito, sive magis, sive minus probabilis, quòd priùs deponatur dubium, quòd opinio quælibet secù affert, per iudicium reflexum infallibile, ut docuimus loco immediatè cit. sed hoc quid contra nos, cum hic sit noster conatus?

Ad secund. dicimus, quòd veritas dividitur in veritatem practicam, & speculativam: veritas prac-

tica est illa, quæ sumitur per conformitatem cum regulis rationis. Veritas speculativa iterum dividitur in realem, & rationalem: veritas speculativa realis est illa, quæ sumitur per conformitatem cum obiecto prout est in se. Veritas speculativa rationalis consistit in vera apparientia talis veritatis realis, seu in verisimilitudine, & consistit in conformitate cum motivo gravi, & solido, seu cum obiecto, non prout est in se absolute; sed prout stat sub motivo gravi, & solido; & talis veritas non dicitur absoluta, sed restricta. Et est notandù, quòd veritas, quæ sumitur per conformitatem cum obiecto prout est in se, semper est, & dicitur speculativa, etsi sit obiecti practici, quia obiectum practicum considerari potest modo speculativo, & modo practico. Quando ergo D. Tho. dicit, quòd ex duplici opinione contraria oportet, alteram esse veram, & alteram falsam, loquitur S. Doct. de veritate reali, in qua se opponunt, & solum vni ex illis competere valet; non verò loquitur de veritate rationali, nec de veritate practica: istæ enim veritates optimè in utraque opinione inveniri valent, ut constat ex dictis toto hoc opere. Sed est notandù, quòd licet assensus opinativus attingat obiec-

De opinione probab. in ordine ad licite operandum. Art. 5. 325
 obiectum re ipsa verum; quia obiectum ita se habet in re, prout nobis videtur; non tamen attingit obiectum, quod re ipsa est verum, ut verum, sed solum ut verosimile. Quapropter licet talis assensus possit dici verus materialiter, non tamen formaliter, sed solum verosimilis. Vide infra quæst. 4. art. 8. §. 9. ad 4. arg.

65 Ad tertium dicimus, quòd in dubio de licito non est licitum agere, non deposito priùs practice dubio, secus verò, si deponatur omnino per iudicium practicum reflexum, omninò certum, & infallibile. Ad additamentum respondemus, quòd quando quis operatur cum ignorantia vincibili legis, peccat, quin agat contra conscientiam, quam actu habet, in quo sensu intelligendus est D. Tho. non verò, quin agat contra aliquam conscientiam: quia etsi non agat contra conscientiam, quam actu habet, quia actu non cognoscit malitiam obiecti actionis: agit tamen contra conscientiam, quam habuit, cum advertit ad obligationem faciendi diligentias pro invenienda lege, & illas omisit; ac proinde nunquam verificatur, aliquem peccare, quin agat contra aliquam conscientiam.

66 Secundò arguit N. Christoph.

ex Quodlib. 9. art. 15. vbi Ang. Doct. sic ait: *Omnia quæstio in qua de peccato mortali agitur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur, quia error, quo non creditur, esse peccatum mortale, quod est mortale, conscientiam non excusat à toto, licet forte à tanto...* Præcipuè autem periculosum est, ubi veritas ambigua est, quod in hac questione accidit. *Cum hæc questio ad Theologos pertineat, in quantum dependet ex iure divino, & naturali; & ad Iuristas, in quantum dependet ex iure positivo, inveniuntur in ea Theologi, Theologis, Iuriste, Iuristis contrarij.* Supra quæ verba sit affatur N. Christoph. *Quis non videat, quanta dicit D. Tho. opposita Probabilistis? Si dantur Theologi, & Iuriste inter se oppositi, amplecti potest quodlibet. Si est veritas ambigua, possessio stat pro libertate. Licet veritas non habeatur expressa, facile componitur per non inventionem veritatis. Hæc docent Probabiliste, hæc sua principia. Sed quam aliena à doctrina Angelici Preceptoris, eius verba manifestè testantur.*

Ad hoc arg. resp. circa obtentionem præbendarum, sicut circa alias res morales, duplex dubium, aut quæstio excitari potest, alia directa, reflexa alia. Quæstio directa

est de eo, quod res est, vel non est in se: an, scilicet, sit re ipsa, & obiectivè illicitum, habere plures præbendas? Seu, an re ipsa detur lex prohibens habere plures præbendas? Quæstio reflexa non curat de eo, quod res est, vel non est in se, sed solum inquit, an supposita probabilitate opinionum, & quod graves Doctores sentiant contraria circa existentiam, vel non existentiam legis, seu, an, supposito dubio rigoroso circa existentiam legis, licitum sit pro tali casu, habere plures præbendas, sive aliàs sit in se, & obiectivè licitum, sive non, de quo non curat quæstio reflexa? Quæstio directa resolvenda est per principia directa, intrinseca materiæ de præbendis, quæ suadeant dari re ipsa, vel non dari in Deo legem prohibentem obtentionem plurium præbendarum. Quæstio reflexa resolvenda est per principia reflexa, extrinseca quidem materiæ de præbendis, & propria materiæ de conscientia, & quæ suadeant, licitum esse vel non, habenti opinionem probabilem, vel dubium rigorosum post factam debitam diligentiam, habere plures præbendas; quidquid sit, an sit in se, & obiectivè licitum, vel non? Perperam namque quæstio directa resolveretur per principia reflexa, & reflexa per principia directa.

D. Tho. autem in illo art. non inquit reflexè, an, supposita probabilitate opinionum pro vtraque parte militantium, licitum sit pro tali casu habere plures præbendas? Sed inquit directè, & absolute, an sit licitum, habere plures præbendas? Nititurque investigare, an re ipsa detur in Deo lex prohibens habere plures præbendas? Quare non potuit S. Doct. resolvere suam quæstionem per principia assignata à N. Christoph. quæ reflexa sūt, extrinseca materiæ de præbendis, & intrinseca materiæ de conscientia, & quæ non suadent, rem esse licitam in se, & obiectivè; sed solum suadent, esse licitum, agere rem ut dubiam, seu ut probabiliter licitam, sive aliàs res sit in se licita, sive non. Sed resolvit S. Doct. ut debuit, quæstionem per principia directa. Videantur à nobis dicta q. 1. art. 1. §. 2. n. 9.

67 Arguit tandem N. Christoph. ex D. Tho. opusc. 73. vbi enixè veritatem quærit, non contentus probabilitate: asserens, veritatem esse invenibilem, Deumque illam manifestare diligentibus se. Quod totum opponitur Probabilistis, qui passim dicunt, veritatem non esse invenibilem, sufficereque ad bene operandum probabilitatem, non curando de veritate.

Ad

Ad hoc arg. resp. nos minime asserere, non esse inquirendam veritatem, cum ignorantia vincibilis veritatis, quam quis scire tenetur, sit peccatum. Sed dicimus, inquirendam esse veritatem, & ubi expressa, & manifesta fuerit, acceptandam esse in regulam. Sed si veritas, post factam debitam diligentiam, sit ambigua, non possumus illam in regulam acceptare, cum nesciamus, cui extremorum insit; sed tunc possumus esse contenti probabilitate, quæ est vicaria veritatis, pro eaque substituit. Tunc autem veritas est ambigua iuxta D. Tho. quodlib. 9. art. 15. quando circa illam dantur contrariæ opiniones inter Auctores, post longam discussionem ad inveniendam veritatem, ut passim accidit in rebus moralibus. Quare quando dantur oppositæ opiniones inter Auctores bene potest quis assumere in regulam probabilitatem veram, & simpliciter talem; non curando amplius de veritate reali obiecti, quam prudenter potest præsumere, quod non inveniet, cum illam non invenerint viri doctissimi, sed ambiguam reliquerint post ingentem laborem, diligensque studiū. Nec nos dicimus, non posse intellectum hominis sine speciali gratia facta nature invenire quamlibet ve-

ritatem practicam naturalem, si seorsim ab alijs occurreret, & homo totus esset in illa inquirenda, nec ab illius inquisitione, occupationibus præpediretur; sed dicimus, non posse quodlibet individuum nature humanæ, invenire formaliter quamlibet veritatem practicam naturalem, etiam seorsim sumptam sine speciali beneficio facto individuo, & minus potest, invenire tot veritates practicas naturales, quot sunt, de quibus passim occurrit dubium: maxime cum multoties instet obligatio operandi, & præmamur penuria temporis ad illas inquirendas. Et tandem dicimus, quod etsi, metaphisicè loquendo, possit quis veritatem invenire, non tamen moraliter: quia hic, & nunc non potest illam invenire per diligentiam debitam, licet posset illam invenire media diligentia extraordinaria, ad quam non tenetur.

Ad illud, quod dicitur, quod Deus manifestat veritatem diligentibus se, & quod veritas se manifestat eam quærentibus in simplicitate cordis, dicimus: quod Deus manifestat veritatem diligentibus se, & quod veritas se manifestat eam quærentibus in simplicitate cordis, vel perfectè, vel imperfectè; quia vel illis manifestat veritatem realem, absolutam, & intrinsecam ob-

iectio:

iectio: vel ad minus manifestat illis veritatem rationalem, restrictam, & obiecto extrinsecam. Manifestat illis aliquo modo veritatem, quia vel illis manifestat veritatem obiecti, vel ad minus illis manifestat veritatē probabilis. Et melius: diligentibus Deum veritatemque sincerè quærentibus ad illi servendum, semper Deus eam illis declarat: quia semper illis ostendit veritatem practicam: semper enim eis manifestat, quid hic, & nunc, inspectis omnibus circumstantiis, tam ex parte obiecti, quàm ex parte subiecti, sit conveniens facere ad non peccandum.

Non tamen semper à aliquis diligens Deum, quærit sincerè veritatem, Deus ei manifestat veritatem realem obiecti: tum, quia hæc non cognoscitur, nec attingitur formalitèr per cognitionē probabilē, quæ secum affer formidinem, & dubitationem aliquam veritatis, consequenterq; ignorātiā illius. Tum etiam: quia ex opposito sequeretur, non posse dari ignorantiam invincibilem alicuius veritatis moralis; & quòd omnes, qui eam non invenerunt in rebus moralibus controversis, non quæserunt illam in simplicitate cordis. Quod est falsum.

ARTIC. VI.

Vtrum Probabilissimus sit iuxta doctrinam Seraphicæ Virg. & Mat. nostræ D. Theresiæ?

§. I.

Vera sententia eligitur.

68 **D**icendum est, Probabilissimum esse iuxta doctrinam Seraphicæ Virginis, & Matris nostræ D. Theresiæ. Et probatur Conc. ex cap. 29. suæ vitæ, ubi sic ait: *Como las visiones fueron creciendo, uno de ellos, que antes me ayudava (que era con quien me confessava algunas vezes, quando no podia el Ministro) comenzò à dezir, que claro era Demonio. Mandarvame, que ya que no avia remedio de resistir, que siempre me santiguasse, quando alguna vision viesse, y diesse bigas, y que tuviesse por cierto era Demonio, y con esto no vendria: y que no hubiesse miedo, que Dios me guardaria, y me lo quitaria. A mi me era esto grande pena, porque como yo no podia creer, sino que era Dios, era cosa terrible para mi, y tampoco podia, como he dicho, desear me se quitasse, mas en fin hazia quanto me manda-*

De opinione probab. in ordinè ad licite operandum. Art. 6. 329
mandava. Et paucis interiectis: *Darvame este dar bigas grandissima pena, quando veia esta vision de el Señor: porque quando yo le veia presente, si me hizieran pedazos, no pudiera yo creer, que era Demonio: y assi era un genero grande de penitencia para mi. Y por no andar tanto santiguandome, tomava una Cruz en la mano. Esto hazia casi siempre, las bigas no tan continuo, porque sentia mucho: acordarvame de las injurias, que le avian hecho los Judios, y suplicarvame me perdonasse, pues yo lo hazia por obedecer al que tenia en su lugar, y que no me culpasse, pues eran los ministros, que él tenia puestos en su Iglesia. Deziame, que no se me diesse nada, que bien hazia en obedecer, mas que él haria que se entendiesse la verdad.* Hucusque Seraphica Doctrix.

Ex quibus verbis constat in primis, quàm falsa sit illa celeberrima Probabilioristarum sententia, asserentium, actionem obiectivè, & in se malam, non posse in aliquo eventu, & ratione alicuius circumstantiæ esse formaliter bonam, & regulari regula recta. Nam irridere Christo Domino, ostendendo ei dimidium vnguem, pollicis facta compressione pugnæ est actio ab intrinseco mala, & nihilominus

talis actio in illis circumstantiis fuit formaliter bona, & ut talis laudata à Christo Domino, regulata regula recta, conformisque proinde legi divinæ subiectivè existenti in Deo. Et consequenter datur in Deo lex reflexa præcipiens aliquid, quod non potest poni, nisi ponendo actionem ab intrinseco malam.

Colligitur etiam ex dictis verbis, regulam nostrarum actionum non consistere in iudicio directo, sed in iudicio reflexo: nam Seraphica Virgo non iudicabat directè, talem irrifionem esse in se, & obiectivè bonam, immò, ut ipsa dicit, nec poterat iudicare; habebat tamen iudicium reflexum dictans illi, talem actionem esse hic, & nunc, inspectis omnibus circumstantiis, formaliter bonam, & honestā: per quod iudicium talis actio regulata fuit. Sequitur deinde, non esse ab intrinseco malum, & illicitum, elicere aliquam actionem hic, & nunc inspectis omnibus circumstantiis, sive alias sit in se, & re ipsa mala, sive non: cum hoc modo operata sit Santissima Virgo: cum enim non iudicaret, nec iudicare posse, ut ipsa testatur, eum, qui sibi apparebat, non esse Christum Dominum, sed dæmonium, nec iudicabat, aut iudicare poterat, irrifionem ei factam, non esse re ipsa,

& obiectivè malam. Sequitur insuper, iudicium reflexum discordare posse à iudicio directo, postquam obtineri certitudinem reflexam de licito operationis hic, & nunc sine aliqua certitudine directa de licito operis.

Quæ omnia maius robur accipient, si legatur eadem Seraphica Virgo in libro Mansionum, Mans. 6. cap. 9. vbi de eadē re agens, sit affatur: *Aunque he escrito esto en otra parte, me holguè de ponerlo aqui, porque vi que una persona anduvo afligida, que le mandaban tomar este remedio. No sè quien lo intento, tan para atormentar aquiè no pudiere hazer menos de obedecer, si el Confessor le dà este consejo, pareciendole va perdida, sino lo haze. El mio es, que aunque os le den, le digais esta razon con humildad, y no le tomeis.* Ex quibus verbis manifestè constat, Seraphicam Virginem ductam fuisse ad obediendum Confessori conscientia erronea invincibili, cum in illis circumstantiis non solum non teneretur obedire, sed teneretur non obedire; & nihilominus talis obedientia regulata conscientia erronea, positivè laudata est, vt bona, à Christo Domino: *bien hazes en obedecer.* Si peteremus à Probabilioristis, an talis actus obedientiæ fuerit bonus

& honestus? Statim responderent, nec fuit positivè bonus, nec positivè malus: non positivè malus, quia ignorantia invincibilis illum excusavit. Non positivè bonus, quia fuit regulatus conscientia erronea. Si autem idem petamus à Christo Domino, respõdebit, quod fuit positivè bonus, & dignus laude coràm Deo: *bien hazes en obedecer, cui ergo credemus? Probabilioristis nè, an Christo?*

Ad rem hanc omninò firmãdam libet, addere auctoritatem Ecclesiæ, quæ in Bulla Canonizationis huius Seraphicæ Virg. mentionem faciens de præfata actione, sic ait: *Nam Dominum Iesum Christum sibi sæpius apparentem, ad obediendum confessorijs, quib delusam ab Angelo tenebrarum suspicabantur, aliquando humiliter irrisit, previtque, sed non sine magnotam profunda obedientiæ premio.* Sentit ergo Ecclesia, illam irrisionem factam ex conscientia erronea, non solum esse actum virtutis obedientiæ, sed profundissimæ obedientiæ; non solum esse actum meritorium præmij, sed magni præmij.

§. II.

Refertur sententia contraria.

69 **C**ontra nostram sententiam

tiã sentit N. Christoph. p. 2. q. 2. art. 10. §. 5. n. 5 18. & in sui favorem arguit ex rom. 2. epist. huius Seraphicæ Virg. Ep. 36. vbi sic ait. *Quanto à las contendias, que dize de las opiniones me he bolgado mucho, que V. Pater nidad aya sustentado lo mejor. Que aunque estos Padres tenían bastantes razones; mas terrible cosa es aquella hora no hazer lo mas seguro, sin acordar se de puntos de honra, q ya allí se acaba la de el mundo, y se comienza à entender lo que nos importa solo mirar la honra de Dios. Quiza temier on mayor daño con la alteracion de la enemistad. Verdades, que Dios provee con la gracia, quando nos determinamos à hazer por el una cosa. Vuestra Pater nidad no tiene de que tener pena en esse caso: mas sería bien que de alguna razon en disculpa de estos Padres.* Hucusque Seraphica Virgo.

Sed ex hac auctoritate quid contra Probabilismum, quod æquè nõ militet contra Probabiliorismum? Nam Seraphica Doctrix non dicit: *Terrible es en aquella hora no hazer lo mas probable.* Sed dicit: *Terrible es en aquella hora no hazer lo mas seguro.* Quare cum omnis opinio contra legem, sivè magis, sivè minus probabilis, sit minus tuta, vel ex hac auctoritate nihil pro-

batur, vel probatur, non esse licitum, sequi opinionem contra legem, sivè magis, sivè minus probabilem: quod adversatur Probabiliorismo; & adstruit Tutiorismum ab omnibus reprobatum.

Quare pro omnibus dico primò, Doctricem Seraphicam non dicere absolutè: *Terrible es no hazer lo mas seguro:* sed addere: *en aquella hora:* quasi facientem distinctionē inter illam horã, & reliquum vitæ tempus. Nec dicit absolutè: *Terrible es en aquella hora no hazer lo mas seguro.* Sed addit: *sin acordar se de puntos de honra:* Insinuans, se non loqui absolutè adhuc respectu illius horæ, sed in determinata materia, & propter illud motivum aded infimū proprii honoris, qui ibi finitur.

Secund. dico, quod in illo casu, de quo erat quæstio, aderat periculum scandali in sequela opinionis minus tute; & quando in sequela opinionis minus tute adest periculum prudens scandali, non est licitum, illam amplecti, sivè sit magis, sivè minus probabilis, sed omninò tenenda est tutior: quia sicut iure naturæ tenemur vitare scandalum, ita etiam eodem iure tenemur vitare periculum prudens illius. At sicut ex eo, quod quando datur periculum prudens scandali

dali in sequela opinionis minus tutæ, non sit licitum, eam amplecti, etsi, sit probabilior; non sequitur, quòd absolutè non sit licitum, sequi opinionem probabiliorem minus tutã; sic nec sequitur, quòd non sit absolutè licitum, quando non adest tale periculum, sequi opinionem minus tutam, minus quæ probabilem.

70 Nititur etiam, probare N. Christoph. suam sententiam ex N. Parente B. Ioanne à Cruce, qui in suis sententijs dixit: *Si quis tibi persuadere conetur doctrinam laxam, tametsi miraculis eam confirmet, ei credendum non est.* Sed ei restat probandum, quòd nostra doctrina sit doctrina laxa: non enim dici, potest doctrina laxa, quæ est iuxta regulas prudentiæ. Si autem vellit N. Christoph. nomine opinionis, & doctrinæ laxæ, intelligere opinionem minus probabilem, dico, nos non suadere hominibus sequelam opinionis minus probabilis; sed tantum, non damnamus, & permittimus; suademus tamè oppositum, ut quid magis perfectum. Et permittimus sequelam opinionis minus probabilis, quia iudicamus, esse magis probabile, magisque conforme rationi, illam permittere. Et tandem intentum N. B.P. est, non esse credendum ei, qui

suadere conatur doctrinam laxam, ut non nocivam perfectioni, dicendo: *Hoc quid interest? Facere hoc, aut illud, non est contra perfectionem.* Hoc est pessimum consiliũ: nam ad hoc, ut aliquid sit impedimentum animæ in via perfectionis, non requiritur, quòd sit illicitum, sufficit, quòd sit minus perfectum: non requiritur, quòd sit contra legem Dei, sufficit, quòd sit contra eius consilia, aut inspirationem.

ARTIC. VII.

Utrum Probabilissimus sit iuxta doctrinam D. Antonini?

§. I.

Affirmativa sententia eligitur, & probatur.

71 **D**icendum est, Probabilissimũ esse de mente D. Antonini. Hęc conclusio satis constat ex dictis q. 2. art. 2. §. 1. Et ex dictis art. 5. & prob. insuper ex cap. 10. de conf. §. 10. ubi sic ait: *Notandum, quòd cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicuius opinionis, & secundũ eam operari, se-*

cluso

cluso autem scandalo, quæ scilicet pars habeat pro se notabiles Doctores; dummodò talis opinio non sit contra auctoritatem expressam Sacre Scripture, nec contra determinationem Ecclesie Catholice; & quòd etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, sed bonam sibi conscientiam, & credulitatem formet de eo, quòd credit, tanquam de probabiliori parte: & præcipuè quando quis adhibet diligentiam, inquirendo, an liceat, nec invenit aliquid, quòd eum sufficienter moveat ad hoc, ut sit illicitum.

Ex quibus verbis sic primò prob. conclusio: iuxta D. Anton. quando quis adhibet diligentiam, inquirendo, an aliquid liceat, si nõ invenerit aliquid, quòd eum sufficienter moveat ad hoc, ut sit illicitum, licitum est ei, illud agere: ergo, ut ille, qui dubitat, an aliqua actio sit licita, possit illam executioni mandare, non requiritur, quòd post factam debitam diligentiam inveniat aliquid, quòd eum sufficienter moveat, ut sit licita, sed sufficit, quòd non inveniat aliquid, quòd eum sufficienter moveat, ut sit illicita: ergo non requiritur, quòd inveniat veram probabilitatem pro licito, sed sufficit, quòd non inveniat veram proba-

bilitatem pro illicito: ergo sufficit, quòd maneat rigorosè dubius. Alijs terminis explicatur hoc ipsum: iuxta D. Anton. qui dubitans, an aliquid liceat, facit debitam diligentiam ad veritatem inveniendã, si non invenit aliquid, quòd eum sufficienter moveat, ut sit illicitũ, licitè potest illud executioni mandare; sed qui post factam debitam diligentiam manet rigorosè dubius, non invenit aliquid, quòd eum sufficienter moveat, ut sit illicitum: ergo, qui post factam debitam diligentiam manet rigorosè dubius de licito alicuius operis, licitè potest illud exequi.

Secundò probatur conclusio ex eadem auctorit. iuxta D. Anton. licitum est, tenere unam opinionẽ, & secundũ illam operari, dummodò habeat pro se notabiles Doctores, & talis opinio non sit expressè contra Sacram Scripturam, & determinationem Ecclesie: & præcipuè, quando quis post factam diligentiam non invenit aliquid, quòd eum sufficienter moveat, ut sit illicitum: ergo iuxta D. Anton. licitum est cuiquam, secluso saltem scandalo, sequi opinionem de licito, quæ habet pro se notabiles Doctores, etiam si inveniat aliquid, quòd eum sufficienter moveat, ut sit illicitum. Patet conseq. quia

hoc denotant illa verba : *Et præcipue quando non invenit.* Si enim solū esset licitum, sequi opinionem de licito habentem pro se notabiles Doctores, quando quis non invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat, ut sit illicitum, ineptissime assereret S. Doct. quod erat licitum illam amplecti, & præcipue quando quis non invenit, &c. Hæc enim verba, & præcipue quando non invenit, supponit, quod etiam est licitum, quando invenit.

72 Et quod hæc sit mens D. Anton. constat ex motivis, quibus suam doctrinam, & conclusionem probat. Nam illam probat ex B. Alberto, his verbis: *Item ex responsis, que videntur data a B. Alberto Magno, habetur, quod frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consilijs quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicuius Doctoris magni opinionem sequatur.* Sentit ergo D. Anton. cum B. Alberto, cuiquam esse licitum, sequi opinionem pro licito, dummodo opinionem alicuius Doctoris magni sequatur. Non dicit, dummodo sit probabilior. Non dicit, dummodo non inveniat aliquid, quod eum sufficienter moveat, ut sit illicitum; sed dummodo Doctoris magni opinionem

sequatur, cum quo componitur, quod talis opinio non sit probabilior, & quod quis inveniat aliquid, quod eum sufficienter moveat ad iudicandum pro parte contraria.

Probat insuper D. Anton. suam sententiam ex Hostiens. his verbis: *Hostiensis etiam dicit extra. de cognat. Spir. cap. si vir. Vbi sunt diverse opiniones, & diversa iudicia, semper humanior est preferenda, & equior.* Non semper humanior est probabilior: ergo sentit, licitum esse, sequi opinionem de licito, etsi non sit probabilior. Nec ex hac auctoritate aliud probare poterat D. Anton. Prosequitur in probanda sua conclusione. S. Doct. ex Petro de Palu. his verbis: *Item Petrus de Palu. super 4. dist. 17. dicit, quod si confessor dubitaret, utrum illud de quo confitens non pœnitent, nec confiteretur esset mortale: & ipse confitens dicit, quod consilio peritiorum illud fecit: de quibus ex vita, & scientia probabile est, quod non consulerent nisi bene: illi iudicio se potest conformare.* Secus autem esset, si esset certus de opposito. Idem videtur sentire Gof. de fontibus: *in his scilicet opinionibus contrarijs, que tolerantur ab Ecclesia: ut dictum est.* Et quod debet, proponere conficenti, quod bene

De opinione probab. in ordine ad licite operandum. Art. 7. 335
nè studeat de hoc se ipsum per prudentes informare; eo quod alij tenent contrariam opinionem: maxime si illius contraria opinionis confessor sit in ordinarius eius, & sic eum absolveret. Idem sentit Richardus Claramoni, non distinguendo, ut unus confessor eius sit ordinarius, vel non ordinarius. Ex hac doctrina probat S. Doct. suam conclusionem, quam minimè probaret ex ea, si non sentiret, licitum esse, sequi opinionem probabilem de licito, sive sit magis probabilis, sive minus: quia ex eo, quod confessor, habens contrariam opinionem, ac pœnitens, possit, se conformare cum opinione pœnitentis, relicta propria, quæ doctrina negatur à Probabilioristis, solùm potest probari, & de facto probatur, quod in opinionibus ab Ecclesia toleratis potest quis se conformare cum sententia aliorum, relicta propria, quæ sibi est probabilior.

73 Et tandem probat S. Doct. suam conclusionem à paritate in hunc modum: *Probatur, et hoc idem tali ratione: secundum Cancellarium non plus nocet homini errare in articulo fidei, qui non est declaratus adhuc ab Ecclesia, quod sit articulus de necessitate credendus, quam posset, nocere actus moralis*

contra aliquid agibile perpetratus: qui actus non dicitur esse certus ex Scriptura, aut determinatione Ecclesie, quod sit illicitus. Patet hoc ex eo, quod fides est tam necessaria sicut virtutes morales, etsi non amplius; sed constat communiter apud Theologos, quod in materia fidei, dñi Doctores sentiunt contraria, licitum est ante determinationem Ecclesie, tenere unam partem, vel alteram sine periculo peccati, vel fidei. (En iam inter Theologos communem tempore D. Antonini doctrinam Probabilistarum, scilicet ex duplici opinione inter Auctores controversa posse intellectum, assentiri vni, vel alteri sine periculo peccati, aut erroris, quod iam antea docuerat D. Tho. ut vidimus q. præc. art. 5.) ergo à simili licet, unam opinionem in moralibus tenere iuxta limita superius: (scilicet, dummodo talis opinio non sit contra auctoritatē expressam Sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesie Catholice: & quod etiam ex contrarietate talium opinionum non indicatur ad dubitandum) ubi saltim magis sapientes non sentiunt contrarium. En Probabilismum efficaciter probatum à D. Anton. nam S. Doctor unum supponit ut commune inter Theologos, & aliud probat:

probat: supponit, quod est licitum circa res fidei, dum doctores sentiunt contraria, sequi pro libito vnam, vel alteram opinionem, etsi non sit probabilior: quæ est doctrina propria Probabilistarum contra Probabilioristas. Et ex hoc principio concludit, quod etiam in moralibus est licitum, sequi vnam opinionem, saltè quando magis sapientes non sentiunt contrariū. Vbi non negat, quod sit licitum, sequi vnam opinionem, etsi magis sapientes contrarium teneant, & consequenter, etsi opposita sit probabilior; sed affirmat, quod ad minus est licitum, quando magis sapientes non sentiunt contrarium, etsi æquè sapientes contrarium sentiant, sitque proinde opposita sententia æquè probabilis. Quod est idem, quod dixerat à principio, scilicet, licitum esse, sequi opinionem, quæ habet pro se notabiles Doctores, & præcipuè quando quis adhibet diligentiam, inquirendo, an liceat: nec invenit aliquid, quod eū sufficienter moveat ad hoc, ut sit illicitum (intellige, prælicito) quod contingit, quando magis sapientes non sentiunt contrarium, etiam si illud sentiant æquè sapientes, quia tunc opiniones sunt æquè probabiles, & quando adest equalis probabilitas pro licito, & illicito, non

adest sufficiens motivum ad iudicandum, rem esse illicitam, potius quàm licitam. Et cum D. Anton. inferat, esse licitum in moralibus, sequi opinionem de licito, saltè quando magis sapientes non sentiunt contrarium, ex eo, quod est licitum circa res fidei, sequi vnam, vel alteram opinionem; evidens est, esse de ipsius mente, circa res fidei amplecti posse aliquem vnam opinionem, saltè quando magis sapientes non sentiunt contrariū; & hoc esse suo tempore commune inter Theologos.

Ex quibus iam habemus, Probabilissimum non solum esse doctrinam D. Anton. sed etiam B. Alberti, & aliorum auctorum, quos ipse pro se allegat; esseque iam tunc temporis communè inter Theologos. Consideret nunc lector, quæ sine ratione dicant adversarij, nostram sententiam esse novam in Ecclesia.

§. II.

Refertur sententia contraria.

74 **C**ontra nostram sententiã sentiunt Probabilioristæ, & arguunt primò ex ipso D. Anton. loco à nobis cit. in sexta regula, ubi ait

De opinione probab. in ordine ad licitè operandum. Art. 7. 337
 sic ait: *ille, qui agit scienter id, de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat: etiam si illud in se non esset mortale: sumendo propriè, & strictè dubitationem, videlicet prout rationes sunt æquè ponderantes ad utrâque partem, nec magis declinat quis ad vnam, quam ad aliam. Sed si dubitet quis levitè, & per modum scrupuli, sicut dubitat, seu formidat habens opinionem de aliquo: quia ita inheret ipsi sententia, quod tamen formidat de opposito: Sic agendo contra tale dubium, non peccat: dum adheret opinioni alicuius Doctoris: & habet rationes probabiles pro ipsa, magis quam pro opposita opinione, etiam si ipsa opinio, quam tenet, non esset vera: & hoc nisi ipsa opinio sumpta, esset contra manifestum testimoniū Sacre Scripture, vel determinationem Ecclesie. Talis enim non operatur in dubio mortalis, sed secundum opinionem probabilem. Hic sistit. N. Christoph. Sed addere debuerat sequentia verba: Quod magis declarabitur in septima regula.*

Ad hoc arg. resp. quod cum D. Anton. pro maiori explicatione huius sextæ regulæ se remittat ad septimam regulam; quæ in sexta regula dicit, intelligenda sunt iuxta ea, quæ dicit in septima, in qua sic ait:

Inter duram, & benignam circa præcepta sententiam, benigna est potius ceteris paribus interpretatio facienda. Et secundum hanc doctrinam resp. ad auctoritatem, quod qui agit scienter id, de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, potest tamen, deponere practicè talem dubitationem, interpretando dubium de licito in benigniorè partem, ut docet ipse S. Doct. & sic nõ peccabit, operando contra legem dubiam. Ad secund. partem auctoritatis dico, D. Ant. in relata auctoritate solum loqui de dubio rigoroso pratico de licito, (quod datur, quando occurrunt opiniones æquales, de quorum vera probabilitate non constat, sed etiam est dubium) & de dubio levi de licito, (quod datur, quando opinio pro licito est probabilior; tunc enim non datur motivum prudens ad dubitandum, esse licitum, agere cum tali opinione) ait, quod agere cum dubio rigoroso pratico, non deposito tali dubio per aliquod motivum grave, & probabile, est peccatum: licitum tamen esse, agere cum dubio levi, & per modum scrupuli, illud contemnendo, etsi non occurrat aliquod motivum speciale ad hoc, sed per principia extrinseca. Non tamen
 Oooo loqui-

loquitur in tali auctoritate de dubio verè probabili, quod datur, quãdo occurrunt opiniones æquales, quæ absolutè loquendo, sunt, & habentur, vt verè probabiles; aut quando opinio de licito est minus probabilis, ac proinde non resolvit, quod in tali casu faciendum est, sed hoc reservat ad quartam regulam, quam post septimam collocat, & ibi expressè ait, licitum esse in tali casu, quamlibet amplecti, vt vidimus.

75 Arg. secund. ex verbis in favorem nostræ sententiæ adductis §. præc. quæ sic se habent: *Cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicuius opinionis, & secundum eam operari, secluso saltem scandalo: quæ scilicet pars habeat pro se notabiles Doctores: dummodo talis opinio non sit contra auctoritatẽ expressam Sacre Scripturæ: nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ: & quod etiam ex contrarietate talium opinionum non indicatur ad dubitandum, sed bonam sibi conscientiam, & credulitatem formet de eo, quod credit, tamquam de probabiliore parte.* Ergo iuxta D. Anton. nõ potest quis, formare bonam conscientiam de parte, quæ est æquè, aut minus probabilis, sed requiritur, vt quis licite amplecti, possit aliquam opi-

nionem contra legem, quod talis opinio sit probabilior.

Ad hoc arg. resp. D. Anton. in omnibus se gerere vt verum Probabilistam: nam ex vna parte asserit, licitum esse ex duplici opinione inter Doctores Catholicos, & graves controversa sequi opinionem de licito, sive magis, sive minus probabilem, vt §. præc. vidimus; & ex alia asserit, quod intelligendum est, dummodo quis formet iudicium probabilius (intellige reflexum) de eo, quod hoc sibi est licitum. Licet enim re ipsa sit licitum, agere cum opinione directa æquè, aut minus probabili de licito, si quis hoc ignoret, & nõ formet iudicium probabilius de eo, quod sibi est licitum, peccabit, non quia agit, quod re ipsa non est licitum, sed quia illud agit, ignorando, an sibi liceat, illud facere, & non formato prius de hoc iudicio. Hoc, & non aliud intendit S. Doct. nam quando magis Sapientes non sentiunt contrarium, licitum est iuxta S. Doct. amplecti opinionem de licito, etiam si æquè Sapientes illud sentiant, & consequenter opinio de licito non sit probabilior; & certè quando opinio de licito non est probabilior, non potest, formari iudicium directum de tali opinione, tamquam de

de probabiliore parte, cum probabilior non sit; potest tamen formari iudicium reflexum de eo, quod licitum est amplecti talem opinionem æquè probabilem de licito; & hoc iudicio reflexo probabiliore formato, licitum est, illã opinionem de licito amplecti, & non aliter. Contendunt etiam adversarij probare suam conclusionem ex D. Chrysostomo, & D. Bernardo, sed hos Santos P.P. optimè explicat M. Ferre, supra quod nihil mihi restat addendum.

ARTICVLVS VIII.

Virum licitum sit, sequi in operando opinionem probabilem simpliciter contra legem in conspectu oppositæ æquè, aut magis probabilis pro lege?

§. I.

Benigna sententia eligitur, & Auctores pro ea militantes recensentur.

76 **D**icendum est, licitum esse, sequi in operando opinionem probabilem contra legem in conspectu

oppositæ æquè, aut magis probabilis pro lege. Hæc sententia communi omnium plausu recepta est, paucis exceptis, qui contra illam histèporibus insurrexere. Est omnino iuxta doctrinam Sacre Scripturæ, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sacrorum Canonum, vt vidimus art. 2. & 3. huius quæst. Eam tenet D. Hieronimus, D. Aug. D. Tho. N. Seraphyca M. D. Theresia à Iesu, D. Anton. citans pro ea Guillel. Hostiensem. B. Albertum Magn. Petrum de Palu. Gosfrid. Richardum Claramon, & Cancellarium. Tenuit etiam nostram sententiam Adrianus Sextus, vt videre est apud Ferdinandũ Rebellum 2. part. lib. 2. q. 15. sec. 3. n. 4. D. Franciscus Salesius in quadam epistola ad quemdam sibi familiarem, in qua ei consulit, vt Summam Eminentissimi Cardinalis Toleti assidue legat, & reddat rationem: *Quia brevis est, & facilis, doctrinamque securam continet.* Quæ summa evidentissimè docet Probabilismum, vt patet lib. 3. cap. 20. vbi sic ait Sapientissimus Cardinalis: *Notandum est tertio; cum aliquid est sub opinione, sunt enim, qui dicunt, esse licitum contractum; sunt etiam qui dicunt, esse illicitum, si casu accidit, Confessorem esse opinionis eorum, qui tenent, esse illicitum, & penitens*

ens esse licitum, potest pœnitens obligare Confessorem, ut ipsum absoluat in sua opinione, & ita debet facere Confessor, dummodo tamen utraque opinio sit probabilis, aliâ non. Et hoc sepe accidit in multis contractibus, de quibus contrarie probabiles existunt opiniones, quarum utramque in conscientia potest sequi Confessor, quamvis ipse unam illarum probet. Quid clarius? Tenit etiam nostram sententiam Abul. tom. 5. in Math. cap. 19. q. 46.

Eam etiam amplexati sunt ex Thomistis Bartol. de Medina 2.2. q. 19. art. 6. Alvarez de auxilijs disp. 8. Domin. de Soto de iustitia, & iure lib. 3. q. 6. art. 5. ad 4. Cayetanus in summa verbo opinionis usus. Et in tom. 1. opuscul. trac. 31. versu 7. dubium. Domin. Bâñez 2.2. q. 10. art. 1. Mercado lib. de contr. cap. 5. in fine. Sapientissimus Mag. Ioannes à S. Tho. tomo 1. in 1. 2. q. 19. disp. 12. Illustriss. Tapia in Catena Mora. tomo 1. lib. 1. q. 8. art. 12. Barnabas Gallego tract. de consc. prob. dub. 1. Marcus Serra in 2.2. D. Tho. Vicentius Ferre 1. 2. tomo 2. trac. 6. cum innumeris alijs Dominicanis, qui amplectuntur nostram sententiam, sequuti constitutiones sui Sanctissimi Parentis,

in quarum glosa ad prologum textu 1. §. 3. circa illud: Cum ordo nos ter specialiter ad predicationem, & animarum salutem, hæc habentur verba: Austeritas in consilijs, & opinionibus (intellige, cavenda est) terrentur enim homines in tantum, ut salutem propriam negligant. Qua propter relaxanda est, quantum fieri potest, rigiditas, & austeritas in consilijs, ac homines benigne tractandi sunt.

Adhærent etiam nostræ sententiæ N. Sapientissimi PP. Salmaticenses locis toto hoc tract. citatis, Cursus Moralis, cui familiare est, utramque opinionem oppositam appellare verè probabilem, & in praxi tutam. Huius Cursus doctrinam amplexata est religio nostra, illam approbando, præcipiendoque iterùm, atque iterùm Lectoribus, ut ea suos discipulos imbuant, nihilque contra illam proferre audeant. Defendunt etiam nostram sententiam Montesinos tom. 1. in 1. 2. Zumel Regalis Ordinis B. Mariæ de Mercede Generalis, à Clemen. VIII. Defensor Ecclesie appellatus, 2. 2. q. 76. art. 2. N. Cornejo, à Paulo V. Verè dignus Ecclesie Doctor nuncupatus. Tract. 8. disp. 3. dub. 6. Basilius Pontius. lib. 10. de Matri. cap. 17. Petrus Aragon. 2. 2. q. 63. art. 4.

uter-

De opinione probab. in ordinē ad licite operandum. Art. 8. 341
uterque ex Augustiniana familia.

Ex extraneis tenent nostram sententiā Lerca, & Caramuel Cisterientes: primus, 2.2. trac. 1. disp. 39. membr. 2. Secundus pluribus in locis suorum operum. Curiel 1. 2. q. 76. art. 2. dub. 5. & q. 88. n. 4. Plures, & celebriores Scotistæ, ut sunt Mastrius in 2. disp. 5. de acti. hum. q. 2. art. 2. eamque appellat communissimam, & receptissimam in omni Schola. Ioannes Pontius disp. 24. de consc. q. 3. Villalobos tom. 1. trac. 1. diffic. 10. Emanuel Rodri. in expli. Bullæ §. 9. Angel. Vulpes disp. 72. art. 1. tom. 2. 2. partis. Laurentius Portel verb. opinio. Franciscus Felix tom. 2. tentativæ Complu. Basseo in flor. Theol. Moral. Torre-cilla in sua summa tom. 1. trac. 2. disp. 4. de conf. opin. & Corella in suis operibus. Nostram sententiam unanimiter amplectuntur PP. Societatis, uno, vel altero excepto moderno, qui si cum Suarez, Vazquez, Sanchez, Lessio, & alijs conferatur, erit, quasi non sit. Patres Societatis fideliter sequuntur ex Sacra Descalceatorum familia Sanctissimæ Trinitatis Leander à Sacramento, Iosephus à Santa Maria, & Emanuel à Conceptione.

77 Nostram sententiam tenuit etiam Michael Salon Augus-

tinianus tom. 1. de iust. & iure, contr. 2. concl. 4. qui sua opera typis mandavit anno Domini 1592. & ait, benignam sententiam iam tunc temporis multos, ac gravissimos Theologos habere, ac maximè ex discipulis D. Tho. Cuius etià est illud celebre arg. Eligenda est, ut voluit, opinio probabilior, sed quòd liceat amplecti probabilem (relictâ scilicet probabiliori) est probabilior, cum habeat plures, ac gravissimos Auctores, & firmiter fundamenta, quam opposita, ut ex progressu huius disputationis constat, licet ergo, sequi opinionem probabilem.

78 Nostra sententia non levem accipit auctoritatem ab ipsis adversarijs: Nam Eminentissimus Cardin. de Aguirre tom. 1. Concil. Hispan. in ratione operis ad Lect. sic ait: Eo usque enim communi ferè sensu, aut præiudicio abductus in probabilismo veluti in pulvino molliter quiescebam: & plerumque studium meum (ita ingenuè fateor) situm erat in examinando potius, an aliquid esset probabile, quam in investigando, an esset verum. Detecta enim probabilitate, nullatenus dubitabam, me posse, illud in praxi sequi, aut alijs consulere. Et post pauca sic profectitur. Nec processu ulterius ad

Pppp

que-

quærendum, an dato, quod opinio aliqua sit probabilis, liceat omnino, illam sequi in praxi, aut alijs consulere, relicta probabiliori: de hoc enim nemo tunc temporis Salmantica dubitabat. Huc usque hic Eminentissimus Cardinalis. Vide quã profundas iecerat radices in illa universitate benigna sententia: ob quam causam dicit citatus purpuratus, quod vnus, vel alter Antiprobabilista, qui tunc temporis erumpebat, poterat meritò, illud Virgilio usurpare: *Obruimur numero.* Ex qua spontanea cõfessione manifestè constat; oppositam sententiam sine controversia habitam fuisse vt falsam in celeberrima universitate Salmant. usque ad illud tempus: cum quo non benè componitur antiquitas, quam illi tribuunt eius sequaces.

79 Et Reverendissimus Pater Thyrsus in introductione ad suum tractat. de opinionum Prob. sic affatur: *Hanc sententiam amplexati sunt ex omni Religiosa familia, & ex omni Christiiani orbis celebri universitate Auctores gravissimi. Quomodo verè dici potest sententia Casuistarum illa, quam præter primos Theologos Societatis, nimirum P. Vazquez, Suarez, Valentianum, Lessium, ex sacra Predicatorum familia temerunt etiam*

primi Theologi Scholastici huius seculi, Medina, Bañez, Alvarez, &c. Omnibus citatis Auctoribus addendi sunt, Illustriss. Perea, Venerabilis P. Ludovicus à Ponte, cuius iudicium de hac re apud me habeo, de verbo ad verbum de promptum ex eius Scriptis, quæ in suo Collegio Valisoletano asservantur, & Pater Señeri. Consideret Lector, quanta sit auctoritas sententiæ benignæ. Nunc videre restat, quanta sit eius probabilitas à ratione.

§. II.

Expenditur duplex ratio in favorem nostræ conclusionis.

80 **P**robatur primò conclusio ratione fundamentali: licitum est, sequi opinionem de licito simpliciter probabilem; opinio minus probabilis, vt talis, est simpliciter probabilis: ergo licitum est sequi opinionem minus probabilem, vt talem. Conseq. est leg. mai. certa: quia opinio simpliciter probabilis nititur motivo gravi, & prudenti, & abs dubio est licitum, agere cum fundamento gravi, & prudenti de licito. Et minor satis probata manet cum omnibus evasionibus, quæ adhibe-

adhileri possunt quæst. præc. art. 3. 4. & 5. Nunc autem breviter probatur: opinio notabiliter minus probabilis, vt talis, non est simpliciter improbabilis, eiusq; fundamentum improbabile, nullum, & contemnendum: ergo est simpliciter probabilis. Prob. antec. Periculum minus probabile non est periculum simpliciter improbabile, imprudens, nullum, & contemnendum: ergo opinio longè minus probabilis, vt talis, non est simpliciter improbabilis, eiusque fundamentum improbabile, imprudens, nullum, & contemnendum. Ante. quod negatur ab adversarijs, iam satis manet probatum quæst. præc. art. 2. Et insuper probatur: si periculū minus probabile esset simpliciter improbabile, imprudens, nullum, & contemnendum, ex natura rei non teneremur vitare tale periculum; hoc est falsum: ergo periculum minus probabile, vt tale, non est periculum simpliciter improbabile, nullum, & contemnendum. Conseq. est leg. mai. certa: Quia non tenemur ex natura rei vitare periculum, quod ex natura rei non petit vitari, sed potius est ex natura sua imprudens, & dignum contemptu. Min. autem prob. Nam ex natura rei tenemur, vitare periculum minus

probabile damni corporalis, si nobis moraliter est possibile, idèd. que si quis habeat ad manum cibū omnino tutum, peccaret, si eo relicto, vteretur alio cibo, de quo daretur dubium, an esset nocivum, etiam si ipsi longè probabilius esset, talem cibum non esse nocivū: Similiter si Venator dubitat, an quod apparet in silva, sit fera, vel homo, etiam si sit ei longè probabilius, quod est fera, non est ipsi licitum, mittere sagittam: & tandem, Medicus iuxta omnes non potest vti remedio, de quo est dubium, an sit salutiferum, vel nocivum, relicto remedio omnino tuto, etiam si post factam debitam diligentiam longè probabilius iudicet, quod non est nocivum, sed salutiferum remedium, de quo erat dubium: ergo periculum minus probabile, vt tale, non est simpliciter improbabile, imprudens, nullum, & contemnendum.

81 Ex qua doctrina prob. secund. conclusio, evertendo præcipuum adversariorum fundamentum: idèd non esset licitum, sequi opinionem, æquè, aut minus probabilem contra legem, quia datur obligatio vitandi fractionem materialem legis, & qui tenetur vitare aliquid, tenetur vitare periculum æquè, aut magis probabile-
lius;

lius; sed falsum est, dari obligationem vitandi peccatum materiale: ergo præcipuum Adversariorum fundamentum ruit. Prob. min. Si daretur obligatio vitandi peccatum materiale, & factionem materialem legis, daretur obligatio vitandi periculum, necdum magis probabile, sed etiam notabiliter minus probabile illius; hoc est falsum, alias non esset licitum sequi opinionem probabilioris contra legem, dareturq; obligatio amplectendi tutius: ergo prob. mai. Quia datur obligatio vitandi damnum corporale proprium, aut proximi, datur obligatio vitandi periculum, sive magis, sive minus probabile talis damni: quia datur obligatio vitandi nullitatem Sacramenti, datur obligatio ex natura rei vitandi periculum, sive magis, sive minus probabile talis nullitatis: ergo si daretur obligatio vitandi peccatum materiale, daretur obligatio vitandi periculum, sive magis, sive minus probabile illius. Conseq. est legit. & ant. est certum: & ideo si viginti homines dicerent, animal existens in silva esse Leonem, & quinque, aut sex affirmarent, esse hominem, non liceret venatori mittere sagittam, non obstante, quod erat longè probabilius, esse feram. Similiter illicitum

est infirmo relicta medicina certò salubri, uti medicina longè probabilius salutari, & minus probabiliter nociva.

Hoc argumentum sanè insolubile, nititur diluere N. Christoph. à num. 603. ad quòd præstandum plura dicit, quæ nimis longum esset referre. Numer. tamen 604. ait; in casu venatoris, dum viginti asserunt, esse lupum, & duo, esse hominem, non dari probabile absolute, seu moraliter respectu voluntatis, sed solum respectu intellectus: potest quidem assentire, quòd sit lupus, non verò procedere ad operationem voluntatis, volendo eiaculari contra animal. Quia casus de sic se contradicentibus est irregularis, rarò enim in talibus circumstantiis contingit contradictio. Et num. 605. ait: quòd dum adest opinio longè probabilior contra legem, solum datur periculum remotum, de quo vitando non datur obligatio. Et prosequitur: *Vnde similiter circa opiniones ad proximum pertinentes idem est Phylsophandum, quòd si respectu alicuius opinionis in eius praxi datur periculum, omnino vitari debet, si est proximum: remotum verò regulariter non exigit sub obligatione vitari: dixi regulariter: quia potest res esse tantò morali,*

menti, quòd etiam si remotum sit, debeat caveri; & hoc etiam in materia aliarum virtutum potest habere locum, ut in consecratione Sacramentorum, in Sacrificio Misse.

82 Sed incipiendo ab hoc ultimo, falsissimum est, periculum remotum exigere ex natura rei aliquando, aut in aliqua materia vitari: quia periculum remotum ex natura rei est imprudens, remotum, leve, & contemnendum, ut potè fundatum in motivo levi, imprudenti, & contemnendo; si enim motivum esset verè grave, esset ad minus verè probabile, & consequenter periculum in eo fundatum verè grave, & prudens, proindeque proximum: periculū autem, quòd ex natura rei est imprudens, dignumque contemptu, non exigit ex natura rei caveri, sed potest contemni, aliàs non esset dignum contemptu. Et certè in eo, quòd dicit hic Auctor circa materiam Sacramentorum, sibi ipsi expressè contradicit: nam omnis opinio probabilis minus tuta, affert ad minus periculum remotum: ergo, si circa materias, & formas Sacramentorum non est cuiquam licitum, se exponere periculo remoto nullitatis, circa materias, & formas Sacramentorum, nulla opinione probabili minus tuta erit li-

citum uti. Antecedens est innegabile: quia omnis opinio probabilis potest, esse falsa, affertque proinde aliquòd periculum, saltem remotum falsitatis. Et consequenter legitime infertur. Sed oppositum docet hic Auctor part. 2. q. 5. art. 3. §. 2. & 3. & omisis alijs opinionibus, sententia asserens, sufficere ad valorem Sacramenti Poenitentiae attritionem supernaturalem, etsi non procedat ab aliqua charitate, adhuc imperfecta; cuius usum affirmat, esse licitum, nequit non afferre secum periculum, ad minus remotum, falsitatis, & consequenter nullitatis Sacramenti, cum pro opposita parte sint plures, & gravissimi Auctores, nec ei negari, possit probabilitas.

83 Nunc autem impugnatur directè solutio multipliciter: primò, vel in casu posito venatoris adest periculum ex natura sua prudens, & cavendum, vel solum adest periculum ex natura sua imprudens, nullum, & contemnendum? Si dicatur secundum: ergo tale periculum non petit naturaliter, caveri; consequenterque ex natura rei, seu ex lege naturali non tenebitur, illud cavere: quia lex naturalis obligat iuxta naturalem exigentiam rerum; ac proinde si periculum non petit ex natura sua

caveri; sed potest contemni, non dabitur lex naturalis præcipiens, illud cavere. Si autem dicatur primum, sic insurgo: primo, ergo opinio longè minus probabilis, ut talis, non est simpliciter improbabilis, eiusque fundamentum improbabile, imprudens, nullum, & contemnendum. Patet Conseq. Quia: si opinio longè minus probabilis, ut talis, esset simpliciter improbalis, eiusque fundamentum improbabile, imprudens, nullum, & contemnendum, etiam periculum longè minus probabile esset periculum simpliciter improbabile, nullum, & contemnendum.

84. Secund. ergo opinio asserens, animal esse lupum, & non hominem, non obstante, quòd sit longè probabilius, asserit secum periculum prudens, ne animal sit homo: ergo asserit secum periculum prudens falsitatis. Patet hæc conseq. quia si animal non est lupus, sed homo, opinio evadit falsa, ac proinde si opinio asserens, animal non esse hominem, asserit secum prudentem timorem, prudentisque periculum ne animal sit homo, asserit secum prudens periculum falsitatis: ergo qui assentitur tali opinioni longè probabiliori, se exponit periculo prudenti errandi re ipsa, & materialiter: er-

go non datur obligatio vitandi errorem materiale, vel qui tali opinioni longè probabiliori assentitur, peccat. Probat. hæc ultima cōseq. quia qui tali opinioni longè probabiliori assentitur, se exponit periculo prudenti erroris; sed qui se exponit periculo prudenti erroris, peccat, si tenetur, vitare errorem: ergo vel non datur obligatio vitandi errorem materiale, & in re, vel qui assentitur tali opinioni longè probabiliori, peccat. Quare vel debet dicere N. Christoph. quòd in casu posito, venator non potest assentiri tali opinioni, etsi longè probabiliori; vel debet dicere, quòd potest, iacere sagittam. Quia si adest timor, & periculum prudens, ne animal sit homo, in eorum principiis intellectus non potest, assentiri opinioni asserenti, animal non esse hominem: hoc enim esset, se exponere periculo prudenti erroris materialis, quem tenetur vitare. Si autem non adest periculum, & timor prudens, quòd animal sit homo, poterit, depellere talem timorem, utpotè imprudentem, & nullum, & sic mittere sagittam.

85. Secundò impugnatur solutio: ergo venator tenetur, vitare periculum minus probabile damni proximi: ergo omnes tenemur

venatur, vitare periculum minus probabile mortis animæ. Prob. conseq. venator non tenetur strictiori obligatione, vitare mortem corporalem proximi, quàm sit illa, qua omnes adstringimur, ad vitandam mortem animæ, sive propriæ, sive alienæ, sed per te ita strictè tenetur venator vitare mortem corporalem proximi, ut non possit, se exponere periculo minus probabili illius: ergo ita strictè tenemur omnes, vitare mortem animæ, tam propriæ, quam proximi, ut non possimus, nos exponere periculo minus probabili illius. Hanc consequentiam negat N. Christoph. asserens, licitum esse cuiquam, agere cum sola opinione probabiliori de non peccato formali, & consequenter, se exponere periculo minus probabili illius, cuiuscumque generis sit peccatum formale, etiam si sit omnium gravissimum. Sed hoc est, ponere strictiorem obligationem vitandi mortem corporis, quàm vitandi mortem animæ, quæ quæ maior laxitas excogitari potest? Hæc est vera laxitas ab omnibus vitanda, in qua omnes Adversarij conveniunt, asserentes, ad licite operandum non desiderari iudicium infallibile de non peccato formali, sed sufficere iudicium

probabilius, asserensque secum periculum minus probabile peccati formalis.

86. Tert. Medico non est licitum, uti medicina, de qua est dubium, an sit salubris, vel nociva; etsi probabilius iudicet, quod est salubris, si commodè potest, vitare usum talis medicinæ; & nihilominus in Medico non est casus irregularis, quòd inveniat contrarias opiniones circa medicinam; cum ferè sit ita regulare in Medicis, ac in Theologis, habere oppositas opiniones circa licitum, vel illicitum: ergo quòd venator teneatur, non se exponere periculo minus probabili damni proximi, non oritur ex eo, quòd casus ille sit irregularis; sed quia ex natura rei tenetur, vitare periculum minus probabile damni corporalis proximi, quod ex sua actione imminet: omnes enim tenemur, curare, ne ex nostra actione veniat aliquod damnum proximo.

87. Quartò: per te circa opiniones ad proximum pertinentes, si in usu opinionis detur periculum proximum, vitari debet; si autem non est proximum, sed remotum, regulariter vitari non debet; nisi res tanti momenti sit, quòd, etiam si sit remotum, cavere debeat: sed circa proximum non datur

datur res maioris momenti, quam vita: ergo ita tenemur vitare mortem proximi, quòd teneamur vitare periculum remotū illius, imminens ex nostra actione: ergo obligatio venatoris ad vitandum periculum minus probabile mortis proximi non oritur ex eo, quòd casus sit irregularis, sed ex eo, quòd ex terminis tenemur circa vitam proximi, vitare periculum minus probabile, imminens ex nostra actione. Sed maioris incomparabiliter momenti est mors animæ: ergo potiori titulo tenebimur, vitare periculum minus probabile illius. Quod, nescio, qua consequentia, negant adversarij.

88 Impugnatur tandem solutio: qui tenetur, vitare damnum, tenetur, vitare periculum minus probabile illius, saltē quando damnum est magni, aut maximi momenti: ergo si tenemur, vitare fractionem materiale legis, tenebimur vitare periculum minus probabile illius, saltē quando lex est magni, aut maximi momenti; consequenterque in tali casu non erit licitum, sequi opinionem probabiliorē de licito, nec facere id, quod prudenter iudicamus, esse licitum, facere, sed tenebimur ad tutius, quod omnes negant, vnanimiter asserentes,

esse licitum, facere quod prudenter iudicatur, esse licitum, in illis circumstantijs, in quibus prudenter iudicatur, esse licitum. Prob. consequ. per te non minus, immò magis tenemur, vitare fractionem materiale legis, quam damnum temporale; per te quando damnum est magni, aut maximi momenti, tenemur, vitare periculum minus probabile illius: ergo quando lex fuerit magni, aut maximi momenti, tenebimur, vitare periculum minus probabile illius.

89 Explicatur hucusque dicta: vel periculum minus probabile est periculum prudens, & quòd timeri debeat, vel non? Si est periculum prudens; si damnum sit leve, dabitur obligatio levis vitandi periculum minus probabile talis damni. Si est damnum grave, dabitur obligatio gravis; & si est gravissimum, dabitur obligatio gravissima. Si autem periculum minus probabile est simpliciter improbabile, & imprudens; sicut quando damnum est leve, non datur obligatio levis, nec quando damnum est grave, datur obligatio gravis, sic, nec quando est gravissimū, dabitur obligatio gravissima. Nec quòd damnum sit grave, aut gravissimum, facit, quòd periculum sit prudens, aut quòd caveri debeat;

sed

sed hoc colligitur ex fundamento, quod datur ad timendum, ne hic, & nunc sequatur damnum, & sit falsa opinio probabilior asserens, non sequendum. Si fundamentum fuerit leve, periculum erit leve, & imprudens, sive damnum sit leve, sive grave, sive gravissimum. Quare cum iuxta adversarios in omni materia, etiam gravissima, ut est materia pertinens ad fidem, fundamentum notabiliter minus probabile, sit fundamentum leve, imprudens, & contemnendum, utpotè simpliciter improbabile, necesse est, quòd periculum longè minus probabile, sit simpliciter improbabile, imprudens, leve, & contemnendum, aliàs in eorum sententia non posset intellectus assentiri opinioni probabiliori: quia iuxta ipsos datur obligatio vitandi errorem materiale, & qui tenetur vitare errorem, tenetur vitare periculum prudens illius.

Ex quibus omnibus colligitur, quòd licet irregularitas in gravitate damni inducat maiorem obligationem illud vitandi, periculumque illius, non tamen irregularitas in eventu. Quòd enim periculum damni rarè eveniat, non inducit maiorem obligationem illud vitandi, ac si frequenter eveniret; sed gravitas obligationis vitan-

di periculum venanda est ex gravitate damni: quod, quamvis gravissimum sic, non inducit obligationem naturalem vitandi periculum improbabile, imprudens, nullum, & contemnendum; sed solum aggravat obligationem vitandi periculum prudens.

§. III.

Triplici alia ratione munitur conclusio.

90 Probatur tert. conclusio ratione: vel Probabilistæ, per hoc præcisè, quòd sunt Probabilistæ, sunt incapaces absolutionis, vel capaces? Si sit aliquis adeò audax, ut dicat, quòd sunt incapaces, non impugnandus, sed cum amentibus annumerandus erit. Si autem dicant, ut in rei veritate dicent, esse absolutionis capaces; sic insurgo: non est capax absolutionis, qui est in animo docendi, & consiliandi, & fortasè agendi, etiam in re gravi, si casus occurrat, id, quòd est peccatum formale facere; est per vos capax absolutionis Probabilista, qui, hoc ipso, quòd talis, est in animo docendi, consiliandi, & fortasè agendi contra legem invincibiliter dubiam, & etiam contra legem

Rrrr

proba-

probabiliorum: ergo agere contra legem dubiam, & contra legem probabiliorum, non est peccatum formale: ergo Probabiliorista debet absolvere Probabilistam, ut talem. Hæc secunda consequentia patet ex prima; & prima legitimè inferitur ex præmissis. Et nunc subsumo: sed opinio Probabilissimi est ipsi Probabilioristis minus probabilis: ergo confessor Probabiliorista debet absolvere eum, qui accedit cum opinione ipsi confessori minus probabili, immò, & minus probabili ipsi pœnitenti Probabilistæ: quia Probabilista accedens cum opinione directa minus probabili, est, ut vidimus, capax absolutionis.

91 Ex quo iam constat, quàm alienum à veritate sit, quòd dicit N. Christoph. scilicet, quòd pœnitens accedens cum opinione probabiliori de eo, quòd aliquis contractus sit licitus, non potest absolvi à confessore oppositam opinionem tenente: nam confessor potest, & debet absolvere eum, qui est capax absolutionis, omnium iudicio est capax absolutionis, qui accedit cum opinione sibi post factam debitam diligentiam probabiliori: ergo. Rursus pœnitens non tenetur sequi in iudicando opinionem confessoris, si sit ip-

si pœnitenti probabilior, si vè non, sed ad summum tenetur illam sequi ex suppositione, quòd ipsi appareat prudenter probabilior: ergo si ipsi non apparet prudenter probabilior, sed minus probabilis, non tenebitur illam amplecti, immò iuxta adversarios nec licitè poterit. Sed non potest confessor negare absolutionem pœnitenti, per hoc præcisè, quòd non faciat id, quòd facere nequit sine peccato: ergo non potest negare absolutionem per hoc præcisè, quòd non sequatur suam opinionem, quam prudenter iudicat minus probabilem; aliàs cogeretur pœnitens, vel ad peccandum formaliter, vel ad recedendum sine absolutione.

Nec dici potest, quòd est pœnitens non possit sequi in iudicando opinionem confessoris, quam iudicat minus probabilem; potest tamen illam amplecti in operando, & consequenter debet facere animum operandi iuxta illam, ut absolutionem obtineat. Hoc, inquam, dici nequit: nam ex terminis non potest confessor negare absolutionem pœnitenti per hoc, quòd nollit facere id, ad quòd non tenetur, nisi aliquando confessor iudicet conveniens illud ei præcipere per modum pœnitentiæ, sed pœnitens non tenetur ad sequen-

De opinione probab. in ordine ad licitè operandum. Art. 8. 351

sequendam opinionem minus probabilem pro lege: ergo.

92 Probatur quart. conclusio alia ratione: lex dubia, & inter opiniones probabiles controversa, ut talis, non obligat verè: ergo licitum est agere contra illam. Probant. lex dubia, & inter opiniones probabiles controversa, ut talis, eodem modo obligat, si vè re ipsa existat, & sit vera lex Dei, si vè non; si non existit, & non est vera lex Dei re ipsa, non obligat verè: ergo si vè existat, si vè non existat re ipsa non obligat verè. Prob. min. lex eodem modo obligat, quo est lex: ergo si non est lex vera, non obligabit verè.

Ad hanc rationem respondent Adversarij primò: quòd licet, quæ non est re ipsa vera lex Dei, nequeat obligare verè subiectivè, & in se, bene tamen obligare potest verè, obiectivè, & secundum esse, quòd habet in intellectu. Sed hæc solutio satis impugnata manet quæst. 1. art. 3. §. 1. quæst. 2. art. 3. §. 1. Secundò resp. Adversarij, quòd, dato, quòd lex dubia, & inter Doctores controversa, non obliget directè, & positivè; obligat tamen indirectè, & remotivè, quatenus lex rigorosè dubia, aut probabilior, removet conscientiam requisitam ad operandum: stante namque du-

bio rigoroso de lege, aut opinione probabiliori de illicito, non potest formari conscientia de eo, quòd est licitum agere contra talem legem. Vel dicunt, quòd, & si talis lex directè dubia aut probabilior non obliget, datur tamen lex reflexa certò obligans ad non agendum contra legem directam dubiam, aut probabiliorum.

Hæc solutio iam impugnata manet loco immediatè cit. ex q. 2. & insuper impugnatur primò: in dubio de excommunicatione aliquorum præcedente concordem iudicium sententiam, si vè dubium sit rigorosum, si vè non sit rigorosum, sed dentur variæ opiniones inter Doctores, est licitum agere contra excommunicationem; non est licitum agere contra legem certò obligantem, aut sine conscientia: ergo nec lex dubia, aut probabilior obligat remotivè, nec datur lex reflexa obligans ad non agendum contra legem dubiam, aut probabiliorum. Conseq. est leg. min. certa, & mai. est D. Tho. ut latè vidimus art. 5. §. 1. num. 57.

93 Impugn. secund. solutio. Lex iustitiæ aliquando obligat ad agendum contra legem dubiam, aut probabiliorum, seu ad agendum id, de quo directè dubitatur an sit licitum, aut detur opinio proba-

probabilior de eo, quod re ipsa est malum, & contra legem Dei; non potest obligare ad agendum sine conscientia, aut contra legem certò obligantem: ergo idem, quod prius. Prob. mai. Si post contractum bona fide matrimonium alter coniugum dubitare incipiat de valore matrimonij ratione alicuius impedimenti dirimentis, & consequenter, an copula cum altero coniuge sit re ipsa illicita, & contra legem Dei; etsi post factam debitam diligenciam maneat dubius, aut habeat maiorem probabilitatem de eo, quod matrimonium re ipsa est nullum, & consequenter copula cum altero coniuge re ipsa mala, & contra legem Dei, debet in vi legis iustitiæ habere copulam cum altero coniuge, hoc petente, ut vidimus art. 3. huius quæst. §. 1. ergo lex iustitiæ obligat aliquando ad agendum cum dubio rigoroso, aut cum opinione probabiliori directâ, & contra illam.

94 Tert. Ecclesia permittit aliquando agere cum dubio rigoroso de licito, aut cum opinione probabiliori directâ de illicito re ipsa, & obiectivè; non permittit, aut permittere potest agere sine conscientia, aut contra legem certò obligantem: ergo idem quod

prius. Prob. mai. Si post contractum bona fide matrimonium insurgat inter coniuges dubium de nullitate matrimonij ratione impotentia ex parte alicuius, & consequenter, an copula inter eos sit re ipsa illicita, & contra legem Dei, si uterque coniux, vel eorum alter in iudicio reclamet, & post factam debitam diligentiam, debitumque examen ad cognoscendum, an impotentia sit perpetua, non certò constet, esse perpetuam, etiam si constet probabiliter, & consequenter constet probabiliter, matrimonium esse nullum, copulamque inter illos esse re ipsa malam, & contra legem Dei; Ecclesia eis permittit conari ad copulam per triennium; & non obstante, quod si post bienialem experientiam, experientia evasit nulla, sit iam longè probabilius, talem impotentiam esse perpetuam, & copulam re ipsa malam, & re ipsa contra legem Dei, adhuc perseverat permissio Ecclesiæ usque dum triennium compleatur: ergo Ecclesia permittit aliquando agere cum dubio directo de licito, & cum opinione probabiliori de illicito, non obstante, quod esset maior perfectio, & tutius, coniuges separari, quoad totum, & continenter vivere. Conseq. est leg. & ant. constat

ex

De opinione probab. in ordine ad licitè operandum. Art. 8. 353
ex dictis art. 3. huius quæst. toto §. 2.

95 Probatur quint. conclusio à ratione: Lex, quæ non est sufficienter proposita, & applicata, non obligat in actu secundo; lex probabilis, sive magis, sive minus, non est sufficienter proposita, & applicata: ergo non obligat in actu secundo. Conseq. est legi. mai. certa, quia lex est quædam regula, & nõ alio modo obligat, nisi regulando, regula autem non regulat actu, nisi ut applicata regulato. Et min. prob. primò: Implicatorium est, dari in Deo legem permittentem, & minus præcipientem agere contra legem naturalem sufficienter propositam, & intimatam; datur in Deo aliquando lex permittens, aliquando præcipiens agere contra legem naturalem probabilem, sive magis, sive minus: ergo lex probabilis, sive magis, sive minus, non est sufficienter proposita, & intimata, seu applicata. Conseq. est legi. min. constat in exemplis adductis supra, & mai. prob. tum: Nam lex sufficienter proposita, & intimata, necessariò obligat in actu secundo; implicatorium est, dari in Deo legem permittentem, & minus præcipientem agere contra legem naturalem actu obligantem: ergo implicatorium est, dari

in Deo legem permittentem, & minus, prohibentem, agere contra legem naturalem sufficienter propositam, & intimatam. Conseq. Est leg. min. certa, & mai. non minori certitudine gaudet, & quia lex sufficienter applicata necessariò regulat in actu secundo, & non alio modo regulat nisi actu præcipiendo, & obligando; & quia regulat, & obligat in genere causæ formalis, & causæ formalis sufficienter applicata ad causandum, necessariò causat. Tum etiam: nam agere contra legem naturalem sufficienter propositam, & intimatam, est agere id, quod est ab intrinseco malum, & contra legem Dei, sufficienter cognoscendo, esse ab intrinseco malum, & contra legem Dei; implicatorium est, dari in Deo legem permittentem, & minus, præcipientem, agere id, quod sufficienter cognoscitur, esse ab intrinseco malum, & contra legem Dei: ergo idem, quod prius. Conseq. est leg. mai. certa, & min. innegabilis: Licet enim ob maiora mala vitanda minora mala aliquando permittantur, aut præcipiantur, non tamen mala, quæ sint moralia, & quæ sufficienter cognoscantur talia, & contra legem Dei: agere namque id, quod sufficienter cognoscitur, esse ab intrinseco malum,

Sic

malum,

malum, & contra legem Dei ob nullam rationem honestari potest; aliàs honestari posset ob aliquod motivum, agere contra legem Dei evidenter cognitam, seu agere id, quod evidenter constat, esse malum, & contra legem Dei: quia vt lex sit sufficienter intimata, & cognita, vt obliget, non requiritur, quòd evidenter cognoscatur, sed sufficit per vos, quòd sit probabilis, aut probabilior; non obstante, quòd sit probabilior, per vos potest honestari agere cōtra illā: ergo non obstante, quòd sit evidenter cognita, poterit honestari agere cōtra illam, ob aliquod motivum: vel assignetur disparitas, cur, non obstante, quòd lex probabilior sit sufficienter intimata, & applicata ad obligandum, potest honestari agere contra illam, & non potest honestari agere cōtra illam vt evidenter cognitam, cum omnis inhonestas agendi contra legem proveniat in vtroque casu ex eo, quòd agitur contra legem sufficienter cognitam, & intimatam, ad quòd non requiritur, quòd cognitio illius sit evidens.

96 Secund. probatur minor primi syllogismi: lex dubia, & inter opiniones probabiles controversa, etiamsi probabilior sit, adhuc invincibiliter ignoratur; lex

ignorata non est sufficienter proposita, vt obliget, cum propositio, & intimatio illius fiat per cognitionem: ergo lex solùm probabilior non est sufficienter intimata, & applicata, vt actu obliget. Conseq. est leg. min. vid. certa, & mai. probatur primò, qui post factam debitam diligentiam solùm invenit probabilioritatem legis, adhuc non invenit illius veritatem realem, & an re ipsa detur, vel non detur; qui post factam debitam diligentiam adhuc non invenit veritatem realem legis, etiamsi re ipsa detur, adhuc ignorat invincibiliter, illam dari: ergo qui post factam debitam diligentiam solùm cognoscit legem esse probabilior, illam adhuc ignorat invincibiliter. Conseq. est leg. mai. certa: quia probabilioritas non est idem, ac veritas realis, sed solùm est quædam verisimilitudo, seu apparentia illius, quæ sine ipsa inveniri potest. Et min. est innegabilis. Prob. secund. eadem mai. qui solùm cognoscit, legem, aut propositionem de illicito esse probabilior, solùm cognoscit, assensum ipsi præstabilem esse probabilior: ergo adhuc ignorat, an talis assensus ipsi præstabilis sit in re verus: ergo assentitur illi, ignorando, an erret re ipsa, vel non in

suo

assensu, & solùm cognoscendo, talem assensum esse probabilior. Prob. 3. Quia si lex probabilior non ignoraretur invincibiliter, in nullo casu honestari posset, agere contra illam, quod iam vidimus, esse falsum.

97 Sed dices cum Illustriss. Palanco hanc probationem non habere locum circa ius naturale: de hoc enim dari nequit ignorantia invincibilis. Sed doctrina hæc satis manet impugnata quæst. 1. art. 1. & 2. & insuper impugnatur breviter, & efficaciter: qui assentitur opinioni circa ius naturale, quæ ipsi post factam humanam diligentiam apparet probabilior, se exponit periculo minus probabili errandi; non errandi voluntariè, & culpabiliter: ergo involuntariè, & inculpabiliter; & consequenter, si errat, involuntariè, & inculpabiliter errat; dabilisque proinde est error involuntarius, & inculpabilis circa ius naturale. Conseq. est leg. maior certa: quia sicut opinio minus probabilis affert periculum magis probabile falsitatis, & erroris; ita etiam opinio probabilior affert periculum minus probabile. Et min. prob. licitum est assentiri opinioni circa ius naturale, quæ, facta humana diligentia, apparet probabilior: ergo qui tali opinioni

assensum præstat, nulli periculo se exponit errandi voluntariè, & culpabiliter. Anteced. conceditur à Palanco, & prob. conseq. implicatorium est, quòd quis peccet formaliter, eliciendo actionem sibi licitam, & non prohibitam à Deo, in illis circumstantiis, in quibus sibi est licita: ergo qui elicit assensum opinativum in illis circumstantiis, in quibus talis assensus ipsi est licitus, nullo periculo se exponit errandi voluntariè, formaliterque peccandi in tali assensu. Prob. secund. eadem conseq. in circumstantiis, in quibus est licitum assentiri opinioni, non datur lex prohibens talem assensum: ergo nec datur periculum frangendi illam, talem assensum eliciendo; & consequenter nec errandi voluntariè, & culpabiliter.

Solutio, meo iudicio, oritur ex maxima equivocatione: nam aliud est, quòd quis, exercendo aliquam actionem sibi licitam, possit se exponere periculo peccandi formaliter, mediante alia actione, seu incidendi in aliam actionem formaliter peccaminosam: aliud est, quòd quis, exercendo actionem sibi licitam, se exponat periculo peccandi formaliter in ipsa actione sibi licita in illis circumstantiis, in quibus ipsi est licita, &

non prohibita. Primum est verum, & innumeris exemplis confirmari potest: nam Chirurgus, exercendo licite suum officium, se exponere potest periculo minus probabili peccandi formaliter media alia actione, seu incidendi in aliam actionem formaliter peccaminosam, habendi v. g. copulam cum muliere aliena, & idem est de confessario, & alijs. Secundum autem est evidentè falsum, ut constat ex dictis: quia si actio est formaliter licita, seu si est licitum illam elicere in his circumstantijs, vel non datur lex illam prohibens, vel si datur, ignoratur invincibiliter; in illis circumstantijs, in quibus non datur lex prohibens aliquam actionem, aut si datur, ignoratur invincibiliter, implicatorium est, quòd frangatur formaliter, & actio sit formaliter peccaminosa: ergo in circumstantijs, in quibus actio est licita, implicatorium est, quòd quis, illam exercendo, se exponat periculo peccandi formaliter per ipsam actionem: aliàs fieri posset, quòd eadem actio, & sub eisdem circumstantijs, esset licita, & illicita formaliter, & contra legem Dei; & quòd quis se condemnaret, elicendo actionem sibi licitam, in illis circumstantijs, in quibus ipsi est licitum illam elicere, quòd est chi-

mericum.

98 Hic notare oportet, recursum adversariorum ad legem reflexam, aut quasi reflexam, esse infelicissimum. Tum, quia ipsi totis viribus conantur defendere obligationem sequendi tutiora, aut probabiliora independèter ab hac lege reflexa; dicuntque, quòd, & si talis lex non daretur, aut invincibiliter ignoraretur, semper daretur talis obligatio in vi legis dubiæ, aut probabilioris. Tum etiam: quia talis lex reflexa non est certa, sed dubia, & inter opiniones, ab eis adstruitur, & à nobis negatur: quare eadem difficultas est ad defendendum obligationem istius legis reflexæ, ac obligationem legis dubiæ, aut probabilioris directæ.

§. IV.

Expenditur alia satis efficax ratio in favorem nostræ sententiæ, & prima solutio confutatur.

99 **P**Robatur cõclusio hæc ratione: subditus habens opinionem æquæ, aut magis probabilem de iniustitia alicuius materiæ, seu de eo, quòd aliqua materia est in se, & obiectivè mala, potest, & tenetur obedire Superiori præcipienti talem

lem materiam; nõ tenetur, nec potest, si non est licitum agere cum opinione directâ probabiliori de illicito: ergo est licitum agere cum opinione directâ probabiliori de illicito. Conseq. est leg. maior, loquendo de opinione æquè probabili, conceditur communiter: loquendo de opinione probabiliori; etiam est commune, quòd subditus potest obedire; quòd autem teneatur, placet pluribus Probabilistis, & ab aliquibus Probabilioristis conceditur: sed ad efficaciam rationis sufficit, quòd subditus, habens opinionem probabiliorem, possit obedire, etsi non teneatur. Et minor videtur certa: quia subditus non potest obedire nisi in licitis, ac proinde, si potest obedire Superiori præcipienti rem probabilius illicitam, licitum est agere rem probabilius illicitam.

Ad hanc aded efficacem rationem resp. N. Christoph. part. 2. art. 5. maximè §. 4. 5. 6. & 7. quòd, licèt per se loquendo, sit illicitum agere rem probabilius illicitam, per accidens tamen, & supposito præcepto Superioris, ratione istius circumstantiæ fit licitum agere cum opinione directâ probabiliori de illicito. Quare subditus iudicans, illicitum esse agere cum opinione directâ probabiliori de illicito,

debet, adveniente præcepto Superioris, deponere hoc iudicium reflexum, & iudicare, sibi post præceptum Superioris esse licitum: quia opinio probabilior de illicito, adveniente præcepto Superioris, non manet probabilior practice, sed solum speculativè; Vnde licèt (verba sunt huius auctoris) præceptum Prælati non possit directè, vel auctoritate sua tollere deformitatem actus, & periculum peccati absolute sumptum, & facere, quòd iam non sit tale: at verò, posito præcepto, ratione circumstantiæ obedientiæ, ipsa lex Divina dicitur, maius, & certius malum esse cavendum, seu certius, & maius periculum esse vitandum, quòd imminet ex eo, quòd non Superioris, sed subditorum iudicio esset standum in dubijs, seu rebus opinabilibus. Sic §. 7. n. 921.

& reddit rationem huius doctrinæ: quia quando occurrunt duo mala, quorum unum est certum, & aliud solum dubium, vel opinativum, debet potius attendi ad cavendum malum certum, quàm dubium, seu opinativum; sed debitum obediendi Superiori absolute est certum, de mandato enim datur certitudo, & de opposito opinato non datur certitudo, sed dubium, seu probabilitas: ergo debet subditus cavere inobedientiam contra

præceptum Superioris.

Confirmat etiam suam doctrinam aliquibus exemplis n. 909. utitur exemplo lixivij in ordine ad Baptismum: nam mihi probabilius est, lixivium non esse materiã Baptismi, & tamen in casu necessitatis teneor deponere meam opinionem, & uti hac materia. Et n. 912. adducit aliud exemplum in materia de usura. Et n. 921. utitur exemplo, quo probavimus nostrã sententiam. Art. 3. huius quæst. §. 1. n. 32.

100 Solutio hæc suslineri non potest in principijs adversariorum. Quare multipliciter impug. prim. subditus per te tenetur obedire Superiori præcipienti id, quod ipsi subdito est probabilius, esse contra legem Dei; non tenetur obedire Superiori præcipienti id, quod est ab intrinseco malum, & illicitum: ergo agere id, quod est probabilius illicitum, non est ab intrinseco malum, & illicitum. Secundò: vel agere cum opinione probabiliori de illicito, est materia capax voti, & præcepti, vel non? Si dicatur primum: ergo agere cum opinione probabiliori de illicito non est ab intrinseco malum, & illicitum: quia solùm est materia capax voti, & præcepti res ex se licita: præceptum namque non reddit li-

citam rem ex se illicitam; sed rem, quam supponit licitam, facit obligatoriam. Si dicatur secundum: ergo subditus, habens opinionem probabiliorum de illicito alicuius materiæ, non tenetur obedire Superiori illam rem præcipienti: quia solùm tenetur obedire ei præcipienti materiam capax præcepti. Vide supra dicta quæst. 2. art. 3. §. 4. & art. 3. huius quæst. §. 1. & §. præcedenti. Tertid impugnatur solutio: ob nullum malum vitandum potest honestari, & esse licitum, & minùs, obligatorium, agere id, quod non ignoratur, sed cognoscitur sufficienter, esse moraliter malum, & cõtra legem Dei: ergo si potest reddi obligatorium agere id, quod est probabilius illicitum, id, quod solùm probabilius cognoscitur, esse illicitum, adhuc invincibiliter ignoratur, esse illicitum, & contra legem Dei.

101 Impug. tandem solutio: vel subditus, habens opinionem probabiliorum de iniustitia gravi materiæ, potest obedire Superiori illam simpliciter ordinanti, aut solùm præcipienti sub veniali, vel non? Si potest: ergo non redditur licitum agere contra legem probabiliorum, ob maius malum vitandum; sed ided potest subditus, & tenetur obedire Superiori præcipienti

cipienti rem probabilius illicitam, quia hoc per se est licitum, & subditus tenetur obedire Superiori in licitis, quia, absolutè loquendo, maius malum est agere contra legem gravem probabiliorum, quàm contra ordinationem simplicem, aut contra præceptum Prælati tantùm sub veniali: hoc enim, per se loquendo, tantùm est malum leve, illud verò, per se loquendo, est peccatum mortale iuxta adversarios. Quare si unum malum cum alio conferatur, maius malum est agere contra legem gravem probabiliorum, quàm contra præceptum leve Superioris, aut contra simplicem eius ordinationem. Si autem non potest: ergo agere cum opinione probabiliori de illicito non est materia capax præcepti levis: ergo potiori titulo nõ est materia capax præcepti gravis. Prob. hæc conseq. licet materia capax obligationis gravis, sit capax obligationis levis; tamen materia incapax obligationis levis, potiori titulo est incapax obligationis gravis: quod enim nec leviter cadit sub potestate legislativa Superioris, quomodo absolutè, & simpliciter cadet?

102 Hic notare oportet quãdam doctrinam huius Auctoris: ait enim art. 6. n. 932. quod quando

præcipitur aliquid, in quo imminet periculum proximum vitæ, vel infamiæ subditi, vel alterius proximi; tunc licet opinio subditi sit minus probabilis, quod sit illicitum, excusatur, immò aliquoties id exequi non poterit: quia licet Superior habeat ius interrogandi, aut præcipiendi, etiam subditus habet ius ad suam vitam, & honorem conservandum. Quæ doctrina implicat in principijs Probabiliorum: quia si res, afferens secum periculum proximum vitæ, aut infamiæ propriæ, vel proximi, est subdito probabilius licita, & quod cadit sub potestate Superioris, sicut est ipsi Superiori, in principijs adversariorum est simpliciter improbabile subdito, quod præceptum talem rem præcipiens, non est iustum, & obligatorium; si illi est simpliciter improbabile, quod non sit iustum, & obligatorium, tenetur illi obedire: ergo subditus, habens opinionem probabiliorum de eo, quod res, afferens secum periculum proximum vitæ, aut infamiæ propriæ, vel proximi, est licita & cadens sub potestate Superioris, tenetur obedire Superiori illam præcipienti. Prob. conseq. prim. subditus tenetur obedire præcepto certo, quod non potest iudicare prudenter, quod est iniustum,

sed

sed potius debet iudicare prudenter, quod est iustum, & obligatorium; subditus habens opinionem probabiliorum de eo, quod præceptum superioris est iustum, & obligatorium, in principijs adversariorum debet iudicare, quod est iustum, & obligatorium, & non potest iudicare oppositum: ergo tenetur illi obedire.

Secundò: si est subdito probabilius, esse legitimum, & iustum præceptum superioris, præcipiens rem afferentem secum periculum proximum vitæ, aut infamæ, est illi probabilius, quod tale præceptum obligat ad ponendam talem rem, non obstante, quod afferat tale periculum; si est illi probabilius, quod tale præceptum est iustum, & obligat, iuxta adversarios datur obligatio parendi ei: ergo subditus tenetur illi obedire. Explicatur hoc: quod res afferat periculum proximum damni relativi, non tollit, quod præceptum sit subdito probabilius iustum, & obligatorium: ergo non tollit, quod illum obliget, si præceptum probabilius iustum verè obligat, aut exigit legem reflexam verè obligantem ad illius obedientiam.

Tum etiã implicat hæc doctrina in adversarijs principijs. Nam iuxta adversarios plus tenemur vi-

tare periculum proximum fractionis materialis legis gravis, quam periculum proximum cuiuscumque alterius damni temporalis; nõ obstante illa maiori, aut saltè non minori obligatione vitandi periculum proximum fractionis materialis legis gravis, tenetur quis per te obedire Superiori cum periculo proximo fractionis materialis legis: ergo potiori titulo tenebitur obedire Superiori cum periculo proximo alterius damni temporalis. Conseq. est legit. maior doctrina adversariorum, & minor etiam est certa; quia licitum est, & obligatorium, obedire Superiori cum opinione probabiliori de illicito, & opinio probabilior de illicito affert periculum proximum fractionis legis, si contra illam agatur.

Tum denique: quia ius ad vitam, aut honorem, est ius subordinatum legi, & in tantum subditus habet ius ad vitam, & honorem, in quantum præceptum Superioris oppositum tali iuri non sit iustum, & obligatorium; ac proinde si est subdito minus probabile, & consequenter simpliciter improbable, præceptum Superioris non esse iustum, & obligatorium, est illi minus probabile, consequenterque simpliciter impro-

babile.

De opinione probab. in ordine ad licite operandum. Art. 8. 361
 babile, quod tunc habeat ius ad vitam, & honorem; si est illi simpliciter improbable, quod tunc habeat ius ad vitam, aut honorem contra præceptum Superioris, nõ potest ob tale ius non obedire Superiori: ergo. Conseq. est leg. maior certa, & minor innegabilis: quia ius improbable est ius nullum, & simpliciter iniustum, insufficienteque ad tollendam vim præcepti contra illud militantis.

§. V.

Rejicitur alia adversariorum solutio.

103 **S**ecund. ad nostram rationem respondet adversarij, subditum habentem opinionem probabiliorè de eo, quod aliqua materia est re ipsa cõtra legem Dei, posse, & teneri obedire Superiori illam præcipiendi, non quia possit agere contra legem Dei probabiliorè; sed quia opinio pro lege redditur per præceptum Superioris longè minus probabilis: auctoritas namque Superioris talem materiam præcipientis, auget multum probabilitatem de licito; vel quia Superior est doctus, aut regitur consilio viri docti; vel quia Spiritus Sãctus ei

specialiter assistit, ut non erret in præcipiendo.

Sed contra est prim. subditus post factam debitam diligentiam probabilius iudicans, aliquam materiam esse re ipsa contra legem Dei, probabilius iudicat, talem materiam esse re ipsa incapacem præcepti, & quod si Superior illam præcipiat, re ipsa errat; si probabilius iudicat, talem materiam esse incapacem præcepti re ipsa, & quod si Superior illam præcipit, re ipsa errat, non potest iudicare probabilius, quod illam præcipiendo, non errat: ergo subditus probabilius iudicans, aliquam materiam esse re ipsa contra legem Dei, incapacemque præcepti, non potest prudenter mutare suam opinionem, & iudicare probabilius, talem Superiorem non errare re ipsa, illam præcipiendo.

Secund. subditus post factam debitam diligentiam probabilius iudicans, aliquam materiam esse re ipsa illicitã, & cõtra legem Dei, iudicansque proinde probabilius, talem materiam esse re ipsa incapacem præcepti, & quod si præceptum ponatur, erit re ipsa contra legem Dei, iudicat, se debere obedire Superiori, si illam materiam præcipiat: ergo iudicat debere obedire præcepto, quod est

ipsi probabilius, esse contra legem Dei. Ant. est certum: quia si iudicat prudenter, non debere obedire Superiori, si illam rem præcipiat, non tenetur ei obedire talem rem præcipienti. Et Consequen. facile prob. subditus iudicat probabilius, quod si præceptum ponatur, est re ipsa contra legem Dei, iudicat probabilius, quod si tale præceptum ponatur, tenetur illi obedire: ergo iudicat probabilius, se teneri obedire præcepto Superioris, quod sibi est probabilius, esse contra legem Dei.

104 Tert. si auctoritas Superioris præcipientis auget probabilitatem de licito, redderetque probabiliorem opinionem contra legem, hoc ipso, quod Superior aliquis aliquam rem præciperet, talis res esset respectu omnium probabilius licita; hoc non solum est falsum, sed etiam ridiculum: ergo Conseq. est leg. min. certa; & mai. prob. Nam vel auctoritas Superioris præcipientis iuncta fundamentis opinionis asserentis, talem materiam esse licitam, habet maiorem connexionem cum veritate, quam fundamenta sententiæ oppositæ, vel non? Si habet maiorem connexionem cum veritate, quam fundamenta sententiæ oppositæ, reddet opinionem de licito

probabiliorem respectu omnium: quia illa opinio est probabilior altera, quæ habet fundamenta magis connexa cum veritate. Si autem auctoritas Superioris præcipientis simul cum alijs fundamentis sententiæ asserentis materiam esse licitam; non habet in rei veritate maiorem connexionem cum veritate, quam fundamenta oppositæ sententiæ, non reddet re ipsa opinionem de licito probabiliorem respectu alicuius: ergo vel auctoritas Superioris præcipientis reddit opinionem de licito probabiliorem respectu omnium, vel non reddit illam probabiliorem respectu alicuius.

Quart. ergo opinio de licito, secundum quam Superior præcipit, redditur per præceptum Superioris probabilius licita: ergo si Superior præcipiat subdito defensionem Probabilismi, iam Probabilismus redderetur probabilior. Istæ consequentiæ videntur legitimæ. Sed tota Religio nostra præcipit omnibus Lectoribus Theologiæ Moralis defensionem Probabilismi: præcipit enim eis defendere, & discipulis traddere sententias Cursus Moralis, nihilque contra illas publicè in conclusionibus, aut conferentijs proferre: ex quibus sententijs vna est, quod lex dubia

dubia, & lex probabilis non obligant, in quo stat tota Probabilismi summa: ergo iam est probabilius, legem probabilem, & legem dubiam non obligare, & consequenter, esse licitum Probabilismum.

105 Explicatur hoc amplius: vel opinio asserens, licitum esse agere contra legem dubiam, aut probabilem, addito præcepto Religionis, habet iam fundamentum gravius opposita, vel non? Si habet iam fundamentum gravius opposita: ergo iam est omnibus probabilior, & consequenter Probabilismus: quia illa opinio est re ipsa respectu omnium probabilior alia, quæ habet fundamentum re ipsa gravius. Si autem addito præcepto Religionis, adhuc non habet talis opinio fundamentum re ipsa gravius: ergo non est probabilior respectu alicuius, nec præceptum Superioris auget probabilitatem. Quare vel dicendum est, quod si Superior aliquis præcipiat suis subditis defensionem Probabilismi, Probabilismus redditur re ipsa probabilior, vel asserendum est, auctoritatem Superioris præcipientis non augere probabilitatem opinionis, secundum quam præcipit.

106 Quint. impugnatur so-

lutio: subditus tenetur obedire Superiori præcipienti rem ipsi subdito æquè, aut magis probabiliter iniustam ante tale præceptum, si præceptum Superioris augeat, vel non augeat probabilitatem sententiæ stantis pro iustitia rei præceptæ: ergo tenetur obedire Superiori præcipienti aliquam rem, etiamsi talis res sit ipsi subdito post præceptum Superioris probabilius iniusta. Conseq. est leg. & ant. prob. 1. Si subditus sciret, Superiorem esse Probabilistam iudicantem, esse iustè præceptibilem rem, si magis, si minus probabiliter iustam; quod talis Superior aliquam rem illi præcipiat, non est fundamentum sufficiens ad iudicandum, Superiorem probabilius opinari, talem rem esse iustam, & consequenter eius auctoritatem stantem pro tali opinione augere probabilitatem illius, sed solum habet fundamentum ad iudicandum, talem rem iudicio Superioris esse licitè præceptibilem; & nihilominus subditus habens opinionem æquè, aut magis probabilem, tenetur obedire Superiori talem rem præcipienti: ergo subditus habens opinionem æquè, aut magis probabilem de iniustitia alicuius materiæ, tenetur obedire Superiori talē rem præci-

præcipienti, siue auctoritas Superioris augeat, aut non augeat probabilitatem opinionis stantis pro iustitia rei præceptæ. Conseq. est leg. mai. certa, & min. videtur non posse negari ab adversarijs.

107 Urgetur hoc ipsum: ponamus, quodd Superior dicat subdito probabilius est mihi, esse præceptibilem rem siue magis, siue minus probabiliter licitã, & ided præcipio tibi hanc rem, et si non sit probabilius iusta, subditus in hoc casu tenetur obedire Superiori præcipienti talem rem; & nihilominus talis res, nec subdito, nec Superiori est probabilius licita: ergo subditus tenetur obedire Superiori præcipienti aliquam rem et si talis res nec subdito, nec Superiori sit probabilius licita, & consequenter et si auctoritas Superioris non augeat probabilitatem directam de licito. Conseq. est leg. min. supponitur, & mai. prob. i. in rebus dubijs, & hinc inde controversis subditus tenetur obedire Superiori præcipienti id, quod probabilius iudicat, sibi esse licitum præcipere; Superior iudicat probabilius, sibi esse licitum præcipere id, quod est probabiliter licitum, siue magis, siue minus: ergo subditus tenetur obedire Superiori præcipienti agere id, quod est probabiliter

licitum, siue sit magis probabile, esse licitum, siue sit minus. Secundò: vel in casu posito auctoritas Superioris præcipientis augeat probabilitatem opinionis, secundum quam præcipit agere id, quod est probabiliter licitum, siue magis, siue minus, vel non? Si augeat probabilitatem: ergo, posito præcepto, subditus potest mutare opinionem, & iudicare probabilius, licitum esse agere id, quod est probabiliter licitum, siue magis, siue minus, & consequenter tenebitur obedire, non obstante, quod auctoritas Superioris non augeat probabilitatem contra legem directã, sed maneat semper opinio de licito, & contra legem directam minus probabilis. Si autem in casu posito auctoritas Superioris, non obstante, quod sit doctus, aut doctissimus, non augeat probabilitatem opinionis reflexæ de licito, secundum quam præcipit, cur in alijs casibus augebit? Cur negatur ei pro hoc casu assistentia Spiritus Sancti, quæ ei ab adversarijs conceditur in alijs casibus? Nam sicut est dubium, an aliqua res sit licita, vel illicita, etiam est dubium, an sit licitum agere rem, siue magis, siue minus probabiliter licitam, & sicut subditus pro priori ad præceptum habet opinionem probabiliorem de eo, quod
res

res est illicita, etiam habeat opinionem probabiliorem de eo, quod est illicitum agere rem æquè, aut minus probabiliter licitam: ergo si non obstante, quod aliqua res ante præceptum Superioris sit subdito minus probabiliter licita, adveniente præcepto, ratione auctoritatis Superioris sit subdito probabilius licita, etiam non obstante, quod ante præceptum Superioris, sit subdito minus probabiliter licitum agere id, quod est minus probabiliter licitum, adveniente præcepto Superioris, fiet subdito probabilius licitum, agere id, quod est æquè, aut minus probabiliter licitum. Nec reddit potest disparitas, quæ non sit omnino voluntaria.

108 Sext. Impugnatur solutio: subditus habens opinionem probabiliorem de eo, quod aliqua res est re ipsa illicita, tenetur, vel saltem potest obedire Superiori præcipienti talem rem, siue Superior sit doctus, siue indoctus, siue sit doctior subdito, siue non; & etiam si subditus habeat pro sua sententia viros doctiores ipso Prælato, & alijs Auctoribus, qui stant pro sententia opposita: ergo tenetur, vel saltem potest obedire Superiori præcipienti, siue auctoritas Superioris, ut est persona particu-

laris, aut auctoritas illorum, quorum consilijs vitur Superior, augeat probabilitatem sententiæ, secundum quam Superior præcipit, siue non. Ant. est cert. & conseq. leg. inferitur: quia si Superior est indoctus, aut non est doctior subdito, nec habet pro sua sententia viros doctiores Auctoribus stantibus pro opposita, quomodo poterit auctoritas illius, ut est persona particularis, augeat probabilitatem opinionis? Aut quo pacto poterit subditus in vi auctoritatis Superioris iudicare probabilius, quod antea iudicabat minus probabile?

109 Septim. impugnatur solutio: subditus habens opinionem æquè, aut magis probabilem pro iniustitia alicuius materiæ, tenetur, vel saltem potest obedire Superiori præcipienti talem materiam, siue Superiori sit promissa assistentia specialis Spiritus Sancti ad non errandum in præcipiendo, siue non sit promissa: ergo tenetur, vel saltem potest illi obedire, siue illius auctoritas, ut Superior est, augeat probabilitatem de licito ratione specialis assistentiæ Spiritus Sancti, siue non augeat. Conseq. est leg. & ant. prob. prim. dato, quod assistentia Spiritus Sancti sit promissa Superioribus ad non errandum in præcipiendo, non est

promissa omnibus Superioribus, sive Ecclesiasticis, sive Secularibus, sive Christianis, sive Gentilibus, sed solum Prælati Ecclesiasticis; & nihilominus subditus, habens opinionem æquæ, aut magis probabilem pro iniustitia alicuius materiæ, tenetur, vel saltém potest obedire Superiori præcipienti talem materiam, sive Superior, sit Ecclesiasticus, sive Secularis, sive Christianus, sive Gentilis: ergo tenetur, vel saltém potest obedire suo Superiori, sive ei sit promissa specialis assistentia Spiritus Sancti ad non errandum in præcipiendo, sive non sit promissa; & consequenter, sive auctoritas illius ut Superioris, augeat, vel non augeat probabilitatem de licito.

III Prob. secund. idem ant. dato, quod Deus promississet Superioribus specialem assistentiã Spiritus Sancti ad non errandum in præcipiendo, hæc promissio fuit Deo libera, quamque potuit Deus non facere; & nihilominus etiam si Deus illam non fecisset, subditus semper teneretur, vel saltém posset in rebus dubijs, & de quibus dantur diversæ opiniones probabiles, obedire Superiori præcipienti, etiam si res præcepta esset subdito ante præceptum probabilis illicita: ergo subditus habens opi-

nionem æquæ, aut magis probabilem pro iniustitia alicuius materiæ, tenetur, vel saltém potest obedire Superiori præcipienti talem materiam independentem ab eo, quod Superiori sit promissa specialis assistentia Spiritus Sancti ad non errandum in præcipiendo. Conseq. est leg. mai. certa, & minor facile probatur: obligatio namque, quam habet subditus obediendi suo Superiori est de iure naturali, & quia subditus est, præscindendo ab eo, quod Deus promittat, vel non promittat Superi assistentiã Spiritus Sancti ad non errandum in præcipiendo; hoc enim quid accidentale est Superiori in esse talis: ergo si subditus tenetur obedire Superiori præcipienti rem ipsi subdito æquæ, aut magis probabiliter illicitam, ad hoc tenetur, etiam si Deus non promississet specialem assistentiã ad non errandum in præcipiendo.

Præterquam quod falsum omnino est, Deum promississe specialem assistentiã Spiritus Sancti ad non errandum, aliàs non possent Superiores errare in præcipiendo, quod est evidenter falsum, cum multoties erraverint. Et dato, quod Deus eis promississet talem assistentiã specialem ad non errandum in præcipiendo, non fe-

quitur,

quitur, quod non errent directè, iudicando, esse re ipsa licitum, quod est illicitum; sed solum sequitur, quod non errent reflexè, iudicando, esse, attertis omnibus circumstantijs hic, & nunc ocurrentibus, præceptibile, quod, attentis illis, non est præceptibile; sive talis res sit re ipsa in se præceptibilis, vel non. An autem res probabiliter licita, sive magis, sive minus, sit præceptibilis, de hoc est dubiũ. Quod cernere licet in Summo Pontifice; nam huic abs dubio est promissa assistentiã Spiritus Sancti ad non errandum in præcipiendo toti Ecclesiæ, ac proinde est infallibile, quod illud, quod præcipit toti Ecclesiæ, in illis circumstantijs, in quibus illud præcipit, est præceptibile; & nihilominus ex hoc non sequitur, quod semper sit infallibile, quod est re ipsa, & in se præceptibile. Et hoc cernitur in præcepto posito à Summo Pontifice Ecclesiæ Universali exhibendi cultum Conceptioni B. V. M. determinatè secundum sententiã piam: nam infallibile est, quod Summus Pontifex non errat, præcipiendo exhibere cultum V. M. determinatè secundum sententiã piam, & consequenter, infallibile est, quod Conceptio V. M. est digna cultu secundum sententiã

piam, secundum statum, quem habet nunc sententiã pia; non tamen est infallibile, sententiã piã esse verã. Quare ex eo, quod Deus assistat specialiter Superioribus in præcipiendo, non infertur, quod opinio de licito, secundum quam præcipiunt, sit in se vera: immò neque probabilior; sed solum, quod sit licitum præcipere iuxta illam in illo casu, in quo Superior iuxta illam præcipit.

§. VI.

Aliquibus obiectionibus contra præcedentem rationem fit satisfactio.

III **C**ontra nostram rationem obijcies prim. iuxta dicta non tribuitur Superiori magis, quam cuilibet Theologo asserenti, aliquid esse licitum, immò minus illi tribuitur: quia hic iam addit sua auctoritate aliquid probabilitatis suæ opinioni directæ; hoc est prorsus falsum: ergo.

Ad hæc obijctione resp. quod Superiori, quia Superior est, & ex terminis sui officij non tribuimus tantum, quantum cuilibet Theologo, quantum ad probabilitatem directam: Superior namque, quia Super-

Superior, non addit suae opinioni directae aliquid probabilitatis directae, ut probatum manet. Tribuimus tamen Superiori plus, quam cuiilibet Theologo, quantum ad probabilitatem reflexam, & magis practicae: quia Superior reddit suam opinionem ratione sui praeccepti unice eligibilem, & practice probabilem, vel ad minus eligibilem, quod non facit quilibet Theologus.

112 Objicies secund. subditus debet respicere Superiorem ut Deum, non ut hominem subiectum erroribus, aut miserijs: ergo debemus iudicare, non errare in praecipiendo; & consequenter, addere suo praeccepto probabilitatem speculativam opinioni, secundum quam praecipit.

Ad objectionem resp. subditum debere respicere Superiorem ut Deum, ad exhibendum ei honorem: honor namque exhibitus Superiori, Deo exhibetur, qui, & contemptum ei irrogatum, quasi sibi praestitum reputat. Debemus etiam respicere Superiorem ut Deum, quia eius vices gerit, & quod Superior praecipit, Deus praecipit, ut fiat, dummodo non constet certo, & in sententia aliquorum, probabilius, esse contra legem Dei, quod praecipitur. Non tamen debemus

respicere Superiorem ut Deum, omnino infallibilem in suis iudicijs, cum multoties sit re ipsa contra legem Dei, quod Superior praecipit, etiam si praecipiat cum opinione sibi probabiliori.

113 Objicies tert. ex eo, quod subditus teneatur obedire Superiori praecipienti secundum opinionem probabilem, etiam si talis opinio sit subdito minus probabilis, non sequitur, quod sit absolute licitum sequi opinionem probabilem contra legem in conspectu oppositae aequae, aut magis probabilis pro lege: ergo argumentum propositum nullius roboris est in favorem Probabilismi, adhuc dato, quod subditus, habens opinionem probabiliorem de iniustitia materiae, teneatur obedire Superiori illam praecipienti. Prob. ant. Certum est apud omnes, illicitum esse operari cum dubio actuali de licito; & nihilominus si subdito dubitanti, an opus sit licitum, Praelatus praecipiat tale opus, subditus tenetur obedire, etiam si post praecceptum Superioris ad huc perseveret dubium: ergo ex eo, quod subditus teneatur obedire Superiori praecipienti id, quod ipsi subdito est minus probabile, non sequitur, licitum esse absolute, & extra casum obedientiae sequi opinionem minus

De opinione probab. in ordine ad licite operandum. Art. 8. 369
minus probabilem, ut talem. Sic Palanco.

Ad objectionem resp. neg. ant. & ad eius probationem disting. mai. Certum est apud omnes, illicitum esse operari cum dubio actuali practico, conc. mai. cum dubio actuali speculativo, neg. mai. & disting. min. tenetur obedire subditus, perseverante dubio speculativo precise, conc. min. perseverante dubio practico, neg. min. & conseq. Quare in eo sensu, in quo est illicitum agere cum dubio actuali extra casum obedientiae, est etiam illicitum agere cum dubio actuali in casu obedientiae; & in eo sensu, in quo est licitum agere in casu obedientiae cum dubio actuali, est etiam licitum extra casum obedientiae. Quapropter ex eo, quod sit licitum sequi opinionem minus probabilem contra legem in casu obedientiae, recte illatum est, esse etiam licitum absolute, & extra casum obedientiae.

114 Quart. objicies ex Palanco. Rationem nostram magis militare contra Probabilismum, quam contra probabiliorismum: nam ex Probabilismo sequitur primo, quod in omni casu, in quo est probabile, etsi minus, Praelatum non habere iurisdictionem ad aliquid praecipendum, potest subdi-

tus non obedire Praelato praecipienti cum opinione probabiliori de sua iurisdictione, quod est magis absurdum, quam si possit non obedire Praelato praecipienti secundum opinionem de licito minus probabilem subdito. Prob. sequela. Quia iuxta Probabilistas licitum est iudicare secundum opinionem minus probabilem: ergo potest subditus in casu posito iudicare secundum opinionem sibi minus probabilem, Praelatum non habere iurisdictionem ad illud praecipendum, & consequenter iudicare, tale praecceptum esse nullum, nec teneri illi obedire. Sequitur secundo quod subditus, habens opinionem, sive magis, sive minus probabilem de iniustitia rei praecceptae, possit non obedire Superiori praecipienti, quia potest iudicare prudenter, rem esse illicitam, & consequenter, praecceptum circa illam esse nullum.

Ad hanc objectionem resp. neg. assumptum: quia ex Probabilismo, quod ad summum sequitur, est, quod subditus possit non obedire, sed ex Antiprobabilismo manifeste sequitur, ut manet probatum, quod non possit obedire Superiori praecipienti, & quod peccet, obediendo, quod incomparabiliter est maius absurdum. Sed in rei veritate

te ex nostra sententia nullum sequitur inconueniens. Non primum: quia iuxta Probabilistas subditus in dicto casu tenetur obedire Superiori præcipienti: Tunc enim opinio contra iurisdictionem Superioris, etsi sit speculative probabilis, non tamen practice: nam, etsi sit probabile, Superiorem non habere absolute iurisdictionem, non est probabile, illam non habere ad præcipiendum cum opinione probabiliori de sua iurisdictione. Nec facit contra hoc inserta probatio, quia licet subditus possit in tali casu iudicare, Prælatum non habere absolute iurisdictionem ad præcipiendum talem rem; non tamen potest prudenter iudicare, non habere iurisdictionem ad præcipiendum cum opinione probabiliori de sua iurisdictione: hoc enim apud omnes est certum.

Nec similiter sequitur, secundum inconueniens: quia licet subditus possit iudicare probabiliter, rem esse in se illicitam; non tamen potest iudicare prudenter, rem non esse absolute, & apud Superiorem præcipientem probabiliter licitam, consequenterque non potest iudicare prudenter, præceptum Superioris esse nullum: quia ad hoc, quod sit validum, sufficit, quod res præcepta sit licita verè,

vel probabiliter. Rursus vel subditus est Probabilista, vel Probabiliorista? Si est Probabilista, tenebitur, vel saltè poterit: quia iuxta sententiam Probabilistarum subditus habens opinionem directam magis probabilem de iustitia rei præceptæ tenetur obedire, quia, accedente præcepto Superioris, opinio directa minus probabilis de illicito redditur practice improbabilis. Si autè opinio de licito sit subdito minus probabilis, tunc ad minus potest obedire. Verùm si subditus est Probabiliorista, & opinio de illicito est ipsi probabilior, fateor, quod iuxta eius principia non tenebitur obedire; immò tenebitur non obedire, & peccabit, obediendo: sed hoc inconueniens sequitur ex eorum principijs, non ex nostris.

115 Sed replicabis cum Palanco: subditus per nos potest iudicare secundum opinionem minus probabilem, rem esse illicitam: ergo potest se eximere ab obligatione obediendi Superiori. Prob. conseq. Superior non habet iurisdictionem præcipiendi subdito, quod ab ipso subdito prudenter iudicatur illicitum: ergo si subditus potest prudenter iudicare secundum opinionem minus probabilem, rem esse illicitam, vel iniustam, subditus, habens opinionem minus

minus probabilem de iniustitia alicuius materiæ, poterit se eximere ab obligatione obediendi Superiori præcipienti talem materiam. Explicatur hoc amplius: subditus non tenetur obedire Superiori contra propriam conscientiam; sed subditus iuxta Probabilistas potest formare secundum opinionem minus probabilem propriam conscientiam: ergo subditus, habens opinionem minus probabilem de iniustitia alicuius materiæ, poterit non obedire Superiori præcipienti talem materiam.

Ad hanc replicam resp. conc. ant. neg. conseq. & ad eius probationem, dico, Superiorem habere iurisdictionem præcipiendi subdito, quod ipsi Superiori probabiliter est licitum, siue iudicetur à subdito probabiliter licitum, siue iudicetur illicitum; aliàs non posset Superior præcipere subdito aliquam rem, nisi prius illi constaret, talem rem esse iudicio subditi probabiliter licitam, & consequenter antecederet ad præceptum Superioris deberet esse probabiliter licita subdito res præcipienda, & Superior deberet de hoc certificari, priusquam rem præciperet: quod omnino evertit obedientiæ votum. Potest: ergo Superior præcipere subdito, quod sibi est probabiliter

licitum; siue subdito sit probabiliter licitum, siue non: & consequenter potest subditus, & fortasse tenetur obedire Superiori præcipienti, siue res præcepta sit subdito magis, aut minus probabiliter licita. Subditus namque per votum obedientiæ se obligavit ad obediendum Superiori in licitis: quare quod antecederet ad præceptum Superioris est subdito licitum, adveniente præcepto, redditur illi obligatorium ratione voti. Nec facit contra hoc, quod possit subditus iudicare prudenter, rem esse illicitam: quia vel potest obedire Superiori adhuc stante tali iudicio, vel tenetur ratione voti illud suspendere: tenetur namque ratione voti ad faciendum quidquid licitè potest, ad obediendum Superiori præcipienti: quod enim per se est licitum, per accidens, & ratione voti potest reddi obligatorium.

Ad explicationem resp. conc. mai. disting. min. in illis circumstantijs, in quibus opinio minus probabilis, est practice improbabilis, neg. min. in quibus est practice probabilis, conc. min. & neg. conseq. Quia apud Probabilistas opinio minus probabilis ut talis, licet sit, per se loquendo, practice probabilis; per accidens tamen, & ratione alicuius circumstantiæ super-

pervenientis reddi potest practicè improbabilis. Instantia est manifesta: licet quis habens opinionem probabiliorē contra legem, pingendi v. g. in die festo, possit apud omnes per se loquendo formare conscientiam secundum illam; tamen ob maiorem reverentiam diei festi emitat votum non sequēdi talem opinionem, iam ratione circumstantiæ supervenientis, opinio probabilior contra legem sit practicè improbabilis, nec poterit iam formare conscientiam iuxta illam. Sic similiter in nostro casu: licet enim opinio minus probabilis contra legem sit, præcissio præcepto, practicè probabilis, & sit licitum formare conscientiam iuxta illam; tamen, adveniente præcepto, talis opinio sit practicè improbabilis, illicitumque est subdito formare conscientiam iuxta illam, quia subditus ratione voti se obligavit ad obediendum Prælato in illis circumstantiis, in quibus licitè potest. Quare quod antecesserit ad præceptum Superioris erat licitum subdito, adveniente præcepto, sit illi obligatorium.

116 Sed dices: si subditus habet ius naturale iudicandi secundum opinionem minus probabilem, non tenebitur ad non iudicandum ratione præcepti, aliàs non

potest formare conscientiam contra proprium iudicium: ergo nullo modo tenebitur obedire Superiori præcipienti rem ipsi subdito minus probabiliter licitam. Minus cum consequenter patet, & maius probabiliter: ius naturale prævenit omnino præceptum Prælati: ergo non potest auferri per illud. Secundum iudicare de moribus est actus internus; præceptum Superioris non potest præcipere actus pure internos, cum sit lex humana: ergo.

Hæc replicam nullius momenti est, & manifestas patitur instantias: nam in primis peto à Palanco, an coniux, qui post contractum bona fide matrimonium habet opinionem probabilem de illicitate, & consequenter de eo, quod copula cum altero coniuge est re ipsa mala, & contra legem Dei, possit prudenter iudicare, esse copulam in se licitam, & matrimonium validum; ut asserit opinio minus probabilis, vel non? Si potest: ergo, & subditus poterit etiam iudicare prudenter secundum opinionem minus probabilem directam de licito. Si non potest; sic arguo: coniux habens opinionem probabiliorē directam de eo, quod copula cum altero coniuge est re ipsa mala, & contra legem Dei, potest, & tenetur

for-

formare conscientiam de licito copulæ, altero coniuge petente: quia de facto tenetur in tali casu in vi legis iustitiæ ad copulam, etsi probabilius in se, & obiectivè illicitam: ergo stante opinione directa probabiliori de illicito alicuius actionis, potest formare conscientiam de eo, quod, attentis omnibus, est licitum, & aliquando obligatorium, agere contra talem opinionem probabiliorē directam de illicito: ergo similiter poterit, & tenebitur subditus, adveniente præcepto, in vi voti obedientiæ, formare conscientiam de eo, quod sibi est licitum, & obligatorium obedire, agendo contra opinionem probabiliorē directam de illicito.

Insto secundum. Quilibet habet ius naturale ad operandum secundum opinionem probabiliorē de licito, quod ius prævenit votum, & præceptum Superioris, & nihilominus, adveniente voto, aut præcepto Superioris, iam non habet tale ius: ergo ex eo, quod quis habeat ius naturale ad iudicandum secundum opinionem minus probabilem, non sequitur, quod adhuc debeat conservare tale ius, supposito voto, aut præcepto Superioris.

Insto tertium. Attentio est actus

interior; & nihilominus Legislator humanus præcipientis recitare Officium Divinum, præcipit internam attentionem: ergo ex eo, quod iudicare de moribus sit actus internus, non sequitur, quod Legislator humanus non possit illum præcipere: quia licet Legislator humanus non possit præcipere directè actum internum; potest tamen præcipere indirectè. Præterquamquod ius naturale permittens iudicare secundum opinionem probabilem, solum habet locum per se loquendo; non tamen pro quacumque circumstantia: per quæ sufficienter patet solutio ad replicam.

117 Pro solutione alterius duplicis objectionis, quæ hic fieri potest, nota, primum, quod si aliqui post factam debitam diligentiam iudicent probabiliter, subditum habentem opinionem, sive magis, sive minus probabilem de iniustitia rei præceptæ, non teneri obedire Prælato præcipienti talem materiam, tales non tenentur obedire; quia, etsi detur lex præcipientis, & obligans ad obediendum Superiori præcipienti, etsi subditus habeat opinionem probabilem de iniustitia rei præceptæ; excusant tamen ab hac obligatione ratione ignorantiae probabilis. Nota secundum.

Zzzz

cund.

cund. Ex contraria sententia sequi, subditum habentem opinionem probabilioris de iniustitia materiæ non solum non teneri obedire Superiori præcipienti talem materiam; sed etiam, teneri ad non obediendum. Quare dato, quod opinio contraria sit probabilis, non sequitur tantum, quod qui se voluerit cum illa conformare, possit non obedire; sed quod teneatur ad non obediendum; quod est intolerabile absurdum.

§. VII.

Notatur quedam doctrina Illustriss. Palan. & ex ea de novo corroboratur ratio præcedens, & impugnatur adversa opinio.

118 **I**llustriss. Palan. quæst. 37. inquit: quid faciendum ei, qui versatur inter duas opiniones, quarum utraque est pro lege, & obligatione? Et §. 4. nu. 15. ait, quod quando opinio longè probabilior stat pro lege obligante tantum sub veniali & opinio opposita longè minus probabilis stat pro lege obligante graviter, & sub mortali, potest quis quamlibet ex illis pro libito amplecti: quia maior proba-

bilitas opinionis compensatur per periculum gravioris damni, quod sequitur ex sequela opinionis probabilioris, & consequenter ad hanc doctrinam docet, quæst. sequenti. §. 4. nu. 33. in fine, quod subditus habens opinionem probabilioris de eo, quod aliqua res est graviter iniusta, non tenetur obedire Superiori illam præcipienti tantum sub veniali; quia licet, supposito præcepto Superioris, utraque opinio stet pro lege, & opinio subditi sit iam longè minus probabilis; tamen quia stat pro lege graviter obligante, & ex sequela oppositæ imminet periculum gravioris mali, compensatur per periculum gravioris damni minor probabilitas, & subditus potest obedire, vel non obedire.

Ex hac doctrina impugnatur de novo sententia contraria: vel agere contra legem minus probabilem est licitum, & materia capax præcepti, vel non? Si est materia capax præcepti, & ex se licita, subditus tenebitur obedire Superiori illam præcipienti sub veniali; quia tenetur obedire in licitis. Si autem dicatur secundum: ergo non est licitum agere contra legem gravem minus probabilem, quod est falsum: quare ex sententia contraria sequitur, vel quod non

non est licitum agere contra legem gravem minus probabilem, vel quod subditus non tenetur obedire Superiori in licitis, quod est maximum absurdum.

Secund. ergo agere contra legem gravem minus probabilem non est materia capax obligationis levis: ergo potiori titulo non erit capax obligationis gravis, & consequenter subditus habens opinionem minus probabilem de eo, quod aliqua res est graviter iniusta, non tenebitur obedire Superiori illam præcipienti sub mortali, quod est omnino falsum: quia tale opus est probabilius licitum, & simul præceptum: quia probabilius licitum, potest illud licite facere: ergo quia præceptum, tenebitur illud facere: quia tenetur facere, quod sibi est licitum: quæ ratio idem convincit, etsi præceptum solum sit sub veniali.

119 Tert. alia via ex hac doctrina impugnatur sententia contraria: ergo quando opinio longè minus probabilis stat pro lege obligante graviter, licitum est agere contra legem probabilioris obligantem tantum sub veniali: ergo lex probabilior ex terminis non habet vim obligandi. Prob. consequ. Si haberet vim obligandi, illam non amitteret in conspectu

legis gravis oppositæ minus probabilis: ergo si in conspectu legis gravis minus probabilis non habet vim obligandi, nec in se illam habet. Prob. ant. Non amittit vim obligandi in conspectu legis non obligantis; sed lex minus probabilis non habet vim obligandi: ergo Tum etiam: vel lex probabilior habet omnia requisita ad hoc, ut habeat vim obligandi, vel non? Si non habet, in nullo casu obligat. Si habet, implicat, quod non obliget in omni casu: ergo vel lex probabilior in nullo casu obligat, vel in nullo casu amittere potest vim obligandi. Explicatur hoc amplius: vel lex probabilior, ut talis, est sufficienter intimata, vel non? Si est sufficienter intimata, & notificata, implicat casus, in quo non obliget. Si non est sufficienter intimata, in nullo casu obligat: ergo idem quod prius.

Quart. non est licitum cuiquam se exponere periculo, quod tenetur vitare, ob vitandum periculum, quod non tenetur vitare; non tenetur vitare periculum minus probabile peccati gravis: ergo si potest quis se exponere periculo probabiliori peccati levis ob vitandum periculum minus probabile peccati gravis, non datur absolute obligatio vitandi periculum magis pro-

probabile peccati levis.

Quint. licitum est per te, agere contra legem probabiliorem levem, ob non faciendum contra legem minùs probabilem gravem; non est licitum agere contra legem sufficienter cognitam, aut vincibiliter ignoratam, ob aliquod morivum, quodcumque illud sit, & maximè ob non faciendum illud, quod ex se licite fieri potest: ergo si potest quis agere contra legem obligantem leviter, etsi sit probabilior, ob non faciendū contra legem gravem minùs probabilem, non obstante, quod hoc sit licitum, lex probabilior, nec est sufficienter cognita, nec vincibiliter ignorata, sed invincibiliter, & ignorantia excusante; & consequenter erit ex terminis licitum agere contra legem probabiliorem.

Sext. nemo liberatur ab obligatione vitandi periculum, quod absolute tenetur vitare, ob vitandū periculū improbabile, imprudens, nullum, & contemnendum; datur per te obligatio vitandi periculum proximum peccati venialis materialiter sumpti: ergo, vel quis tenetur vitare periculum magis probabile peccati venialis in conspectu periculi minùs probabilis peccati gravis, vel periculum minùs probabile non est periculum impro-

babile, imprudens, nullum, & contemnendum, quod negant adversarij.

§. VIII.

Refertur sententia contraria, & primo argumento in contrarium satisfi.

120 **C**ontrariam sententiam tenet P. Ant. Celadei. RR. Thyrsus. M. Contenson. M. Gontent. Illustriss. Palan. P. Muniessa. P. Camargo, N. Christophorus à S. Joseph, & alij recentiores. In quorum favorem arguitur prim. Voluntas constituta inter duas opiniones probabiles contradicentes, si operetur iuxta minùs, vel æquè probabilem pro libertate, relicta opposita pro lege, æquali periculo exponitur violandi legem Divinā, & peccandi, ac si operetur cū conscientia dubia; sed si operetur cum conscientia dubia certissimè peccat: ergo si operetur cōtra legem cum opinione æquè, aut minùs probabili de licito, certissimè etiam peccat. Min. cum conseq. patet, & mai. prob. primò: nam, stante opinione æquè, aut minùs probabili de licito, non potest intellectus formare prudenter aliam conscientiam,

tiam, nisi dubiam: ergo qui operatur cum opinione æquè, aut minùs probabili de licito, æquali periculo se exponit frangendi legem Dei, ac si operetur cum conscientia dubia. Conseq. leg. infertur, & ant. etiam constat: quia intellectus non potest prudenter assentiri opinioni probabili in conspectu oppositæ, æquè, aut magis probabilis. Secund. prob. eadem mai. Idèd operans cum conscientia dubia se exponit periculo proximo frangendi re ipsa legem Dei, quia quando adest conscientia dubia, æqualis ratio datur, ut sit lex permitens, ac ut sit lex prohibens; ac proinde qui cum tali conscientia operatur, illud operatur, sive in re sit contra legem Dei, sive non; sed quando adest opinio æquè, aut magis probabilis pro lege, est maior ratio, ut detur lex; vel est æqualis ratio, ut detur, ac ut non detur: ergo qui in tali casu agit cōtra legem, æquali periculo proximo se exponit frangendi re ipsa legem, ac si operetur cum conscientia dubia.

Confirmatur hæc ratio hoc exemplo: si Rex Duci sui exercitus præcipiat, ut in omnibus circa expeditionem militarem sequatur ductum septem seniorum ab ipso Rege nominatorum; & occurrente hoste, eis consuleret, an dimi-

care oporteret, & tribus affirmantibus, reliqui negarent: si, hoc non obstante, dux dimicaret abs dubio ageret contra præceptum Regis; nec excusaretur, dicendo, se egisse iuxta consilium seniorum: quia statim redargueretur, non egisse iuxta consilium seniorum, cum spræverit maiorem partem seniorum; & consequenter egit contra mandatum Regis: ergo qui stante opinione æquè, aut magis probabili pro lege, agit contra legem, dicendo, Deum solum à nobis exigere agere iuxta dictamen rationis de licito, & dictamen æquè, aut minùs probabile pro licito est dictamen rationis; statim redarguetur à synderesi in hunc modum: sicut potes agere iuxta consilium rationis, seu id quod apparet honestum, ita etiam debes fugere agere contra dictamen rationis, seu id, quod apparet inhonestum; sed quando est magis probabile rem esse inhonestam, apparet ex consilio rationis esse inhonestam, & magis apparet esse inhonestam, quam honestam: ergo debes illam fugere, & consequenter non est tibi licitum agere, quod apparet honestum, si æquè aut magis apparet esse inhonestum.

Ad argumentum resp. neg. mai. & ad eius primam probatio-

nem neg. ant. tum, quia stante opinione æquæ, aut minùs probabili de licito, intellectus potest prudenter iudicare, rem esse in se licitam, ut vidimus quæst. antecedenti art. 5. & iuxta tale dictamen formare conscientiam de eo, quòd hic, & nunc est licitum agere talem rem. Tum etiam, quia sive iudicet, sive non iudicet directè, talem rem esse licitam, potest quis iudicare reflexè, sibi esse licitum agere cum opinione directâ æquæ, aut minùs probabili de licito, & iuxta hoc iudicium formare rectè suam conscientiam. Quare licet agere cum opinione æquæ, aut minùs probabili de licito, non priùs formato iudicio reflexo de eo, quòd est licitum agere cum tali opinione, sit idem, ac agere cum conscientia dubia; non tamen, si priùs formetur iudicium reflexum de eo, quòd est licitum agere cum tali opinione: hoc enim modo agere, est agere cum conscientia recta.

121 Ad secundam eiusdem maioris probationem resp. conc. mai. & min. neg. conseq. Quia qui operatur cum conscientia dubia se exponit periculo proximo frangendi re ipsa legem Dei modo speculativo, & modo practico; at qui operatur cum opinione æquæ,

aut minùs probabili de licito, se exponit periculo proximo frangendi re ipsa legem Dei modo speculativo, non, modo practico; vel alijs terminis: qui operatur cum conscientia dubia se exponit periculo frangendi legem Dei, & insuper agendi contra suam obligationem: non enim agit præcisè, sive detur, sive non detur lex; sed etiam, sive detur, sive non detur obligatio agendi cum dubio de lege. At qui operatur cum opinione æquæ probabili de licito, licet agat, sive detur, sive non detur lex, non tamen agit, sive detur, sive non detur obligatio agendi cum dubio de lege; sed agit, sive detur, sive non detur lex, iudicando priùs, sibi esse licitum ita agere. Quare qui operatur cum conscientia dubia, non ideò peccat, quia agit, sive detur, sive non detur lex; sed quia agit, sive detur, sive non detur lex, non iudicando priùs sibi hoc esse licitum; sed sive sit licitum, sive non. Ad hoc namque ut aliquis licitè operetur, non sufficit, quòd res sit licita, sed insuper requiritur, quòd de hoc se certificet: quare cum ille, qui operatur cum conscientia dubia, agat cum dubio de lege, non priùs se certificans de eo, quòd hoc ei licet, peccat, agendo cum dubio de lege, etsi hoc re ipsa sit licitum. Ad

Ad confirmationem respond. neg. paritatem: quia in casu posito opiniones seniorum sunt circa factum, in nostro casu sunt circa licitum, vel illicitum: in casu posito agitur de vitando damno temporali, in nostro autem casu agitur de vitando peccato: & licet quando opiniones sunt circa factum, & agitur de vitando damno temporali, non sit licitum sequi opinionem æquæ, aut minùs probabilem, immò nec probabiliorē, si est minùs tuta, sed pro posse debeat teneri tutior; at quando opiniones sunt circa licitum, licitum est sequi opinionem æquæ, aut minùs probabilem de licito, & ratio huius disparitatis est, quòd vitatio damni temporalis non dependet ex nostro prudenti iudicio, sed ab eo, quòd res est, vel non est; & ideò licet prudenter iudicemus non venturum damnum, si nostrum iudicium re ipsa est falsum, damnum re ipsa veniet, nec excusabitur per prudens iudiciū; at vitatio peccati formalis dependet ex nostro iudicio prudenti de licito, & licet iudicium sit re ipsa falsum, dummodo sit prudenter conceptum, peccatum non incurretur. Quare ad licitè operandum sufficit illa opinio, secundum quam potest formari iudicium prudens de licito,

ut est opinio æquæ, aut minùs probabilis; quia stante hoc iudicio prudenti, certissimè vitatur peccatū. At in ordine ad vitanda damna, quæ dependent ex facto, non sufficit ad operandum, sequi opinionem, secundum quam formari possit iudicium prudens de eo, quòd damnum non eveniet, sed datur obligatio sequendi tutiorem. Quare iuste damnaretur Dux sequens opinionem trium seniorum, relicta opposita, quam maior pars amplectebatur: quia se exponebat periculo proximo incurrendi damnum, quod tenebatur vitare; non tamen iuste damnari potest, qui sequitur opinionem æquæ, aut minùs probabilem de licito; quia vel nulli periculo se exponit, vel solum se exponit periculo peccati materialis, quod non tenetur vitare. Per quod patet solutio ad argumentum.

122 Nunc licet ostendere, quòd argumentum factum, vel nihil probat, vel probat contra Pōtificum decreta, contra D. Tho. & contra ipsum Palan. cuius est argumentum factum: nam vel agere cum opinione probabili de licito in cōspectu oppositæ æquæ probabilis de illicito, est intransitive agere cum conscientia dubia, vel non? Si non: ergo ex eo, quòd sit illi-

illicitum agere cum conscientia dubia, non sequitur, quod sit illicitum agere cum opinione æquè probabili de licito. Si autem dicatur primum, sic arguo: in nullo casu est honestabile agere cū conscientia dubia: ergo, si agere cum opinione æquè probabili directa de licito, est agere cum conscientia dubia, in nullo casu honestari poterit, agere cū opinione directa de licito in conspectu oppositæ æquè probabilis de illicito, nec hoc unquam præcipi poterit, aut permitti: quod est, ut statim dicam, contra Pontificum decreta, contra D. Tho. & contra Palan.

Explicatur hoc amplius: per te, qui operatur cum opinione directa de licito æquè probabili, ac sua opposita, æquali periculo se exponit peccandi, ac qui operatur cum conscientia dubia; sed in nullo casu honestari potest, agere cum conscientia dubia ob periculum, cui se exponit, frangendi legem Dei, qui sic operatur: ergo in nullo casu honestari poterit, & minus præcipi, agere cum opinione directa de licito in conspectu oppositæ æquè probabilis de illicito, ob æquale periculum, cui se exponit, qui sic operatur. Mai. est doctrina Illastriff. Palan. min. certa apud omnes, & consequ. legitime infertur, sed

est falsissima, & in primis contra decreta Summorum Pontificum: nam si coniuges post contractum bona fide matrimonium dubitare incipiant, an impotentia sit perpetua, & matrimonium nullum, & consequenter, an copula inter illos sit re ipsa mala, & contra legem Dei, & hoc dubio moti reclamant in iudicio: si post factum debitum examen non constet certo, impotentiam esse perpetuam, & consequenter copulam esse re ipsa malam, & contra legem Dei, etiã si constet probabiliter, Summus Pontifex in cap. *laudabilem de frigidis* ☉: permittit eis conari ad copulam per triennium: ergo stante æquali probabilitate directa de licito, vel illicito copulæ, licitum est coniugibus conari ad copulam: ergo honestari potest agere cum opinione æquè probabili directa de licito in conspectu oppositæ æquè probabilis de illicito: & oppositum asserere, est contra decretum Pontificum. Rursus si post contractum bona fide matrimonium alter coniugum probabiliter dubitet de nullitate matrimonij ratione alicuius impedimenti, & consequenter, an copula cum altero coniuge sit re ipsa illicita, & contra legem Dei, immo, etsi hoc constet probabiliter, Pontifex in cap.

cap. *Inquisitioni* declarat, talem conjugem non solum posse, sed etiam teneri habere copulam cum altero coniuge, si petat: ergo agere cum opinione directa æquè, aut minus probabili de licito, non solum potest honestari, sed aliquando est obligatorium, ut constat ex citato decreto.

123 Est etiam dicta consequentia contra D. Tho. nam iuxta hunc Sanctissimum Doctorem in dubio probabili de excommunicatione aliquorum ante concordem sententiam iudicium, licitum est agere contra excommunicationem, ut vidimus art. 5. huius quæst. §. 1. ergo in dubio probabili de lege, licitum est, & honestum iuxta D. Tho. agere contra legem. Est tandem contra Palan. qui asserit, subditum, constitutum inter duas opiniones directas æquè probabiles pro licito, & pro illicito alicuius materiæ, teneri obedire Superiori præcipienti talem materiam, etsi post præceptum opiniones perseverent æquales in probabilitate: ergo iuxta M. Palan. dabilis est casus in quo sit licitum agere cum dubio probabili directo de licito: & consequenter dici nequit, esse, agere cum conscientia dubia, aut cum æquali periculo peccandi, ac agere cum conscientia dubia, agere cum

dubio directo de licito.

124 Alio modo, & verius ad argumentum factum responderi potest, dicendo, quod qui operatur cum conscientia dubia, non idem peccat, quia se exponit periculo proximo frangendi re ipsa legem Dei directam, quia multoties non datur tale periculum; & admissio, quod detur aliquando, re ipsa non datur obligatio illud vitandi; sed potius est re ipsa permittum, & aliquando obligatorium se exponere tali periculo; & nihilominus, qui operatur in ijs casibus cum conscientia dubia, peccat formaliter. Exemplis rem declaro: qui solum habet scrupulum de eo, quod res est in se illicita, & contra legem Dei directam, non habet periculum proximum frangendi re ipsa talem legem directam; & nihilominus si operetur cum scrupulo, & non iudicando prius, sibi esse licitum agere cum tali scrupulo, sed cum dubio de hoc, ac proinde cum conscientia dubia, peccat formaliter. Rursus coniux habens opinionem probabiliorum de eo, quod matrimonium est nullum, & consequenter copula cum altero coniuge re ipsa mala, & contra legem Dei directam, tenetur in rei veritate habere copulam cum altero coniuge, si petat, & se expo-

nere periculo probabili, & proximo, quod iuxta adversarios tunc datur, frangendi re ipsa, & materialiter legem Dei directam; & nihilominus si habeat dicto modo copulam cum altero coniuge, non prius iudicando, sibi esse licitum, & obligatorium habere talem copulam; sed cum dubio, aut conscientia dubia de hoc, peccat formaliter. Non ergo peccat formaliter qui operatur cum conscientia dubia; quia se exponit periculo frangendi re ipsa legem Dei directam; aut quia re ipsa detur obligatio vitandi tale periculum proximum; sed idem peccat, quia sive detur, sive non detur re ipsa tale periculum; & sive detur, sive non detur obligatio illud vitandi, agit sine certitudine requisita ad licite operandum, & sine regula, non curando de eo, quod detur, vel non detur obligatio re ipsa non operandi; & quod detur, vel non detur lex, consequenterque contemnendo frangere legem, & quodcumque talis fractionis periculum. Quod est idem ac dicere, quod qui operatur cum conscientia dubia, non idem peccat, quia cum effectu se exponat periculo proximo frangendi legem directam, sed quia affectivè, & ex modo operandi se exponit cuiuscumque peri-

culo, & fractioni cuiuscumque obligationis, quæ detur, aut dari possit. Quod non contingit operanti cum opinione æquè, aut minus probabili de licito: hic enim prius format iudicium de eo, quod sibi est licitum agere cum tali opinione. Si autem aliquis operatur cum opinione æquè probabili de licito, non prius iudicando, hoc esse sibi licitum, agit cum conscientia dubia, & peccat formaliter: non quia re ipsa non sit licitum agere cum tali opinione; sed quia, etsi re ipsa sit licitum, agit cum incertitudine de hoc; seu non prius se certificando de eo, quod sibi est licitum agere cum tali opinione; qui modus operandi est illicitus.

§. IX.

Diluitur secundum argumentum.

125 **A**rguitur secundum nostram conclusionem: agere id, quod est æquè, aut magis probabile, esse illicitum, & prohibitam per legem, est se exponere periculo proximo agendi rem prohibitam, & frangendi re ipsa legem Dei; cuiquam est illicitum se exponere periculo proximo frangendi

re

re ipsa legem Dei: ergo cuiquam est illicitum agere id, quod est directè æquè, aut magis probabiliter illicitum: Conseq. est leg. mai. certa: quia ex lege charitatis tenemur vitare fractionem realem legis; & certum est, quod qui tenetur vitare aliquid, tenetur vitare periculum proximum illius. Et min. videtur certa: quia periculum probabile, ut pote prudens, est periculum proximum.

Confirmatur hæc ratio: qui elicit contractum cum opinione æquè, aut magis probabili de eo, quod re ipsa est illicitus, & contra legem Dei, illum facit, sive re ipsa sit prohibitus, & malus, sive non; facere voluntariè contractum, sive re ipsa sit malus, & prohibitus, est peccare formaliter: ergo qui voluntariè agit contractum cum opinione æquè, aut magis probabili de eo, quod re ipsa est malus, & prohibitus peccat formaliter, & consequenter est illicitum exercere contractum cum opinione æquè, aut magis probabili de eo, quod re ipsa est malus, & prohibitus.

Hoc argumentum, quod usque ad coelos evehit Illustriss. Palā. & latissimè prosequitur, est Aquiles Probabiliorismi, totaque eius machina in eo, tanquam in solidif-

simo fundamento, tutissimè quiescit. Quare oportet illud nervosè profligare, ut, eo debellato, tota Probabiliorismi structura ab imis evellatur.

126 Respondeo ergo ad arg. negando suppositum: Supponitur namque hic auctor, quod lex Dei prohibens, v. g. aliquem contractum, includit sub se casum conscientie erroneæ, & opinionis verè probabilis de licito, & consequenter, quod in dictis casibus fragitur, aut potest frangi realiter Dei lex, quod est falsum. Sed quia hanc doctrinam, quam tradit P. Terillus, q. 28. n. 12. Illustriss. Palā. appellat per contemptum stupendam, & mirabilem, libet eius veritatem rationibus munire, & nervosè explicare.

127 Prob. ergo prim. nostra doctrina: Si lex Dei prohibens, v. g. mendacium, includeret etiam casum conscientie erroneæ iudicantis invincibiliter esse contra charitatem non mentiri, darentur in Deo simul duæ leges oppositæ, & contrariæ; hoc implicat: ergo, Conseq. est leg. min. certa, & mai. prob. In Deo datur lex præcipiens mentiri pro casu conscientie erroneæ invincibilis: ergo si lex prohibens mentiri, se extendit ad casum conscientie erroneæ invincibilis, datur

in

in Deo simul lex præcipiens mentiri, illudque prohibens pro casu conscientiae erroneae invincibilis. Conseq. legitime infertur, vt ipse Palan. concedit, & ant. prob. In Deo datur lex præcipiens, & obligans per se ad obediendum conscientiae erroneae invincibili dictanti, esse mentiendum: ergo in Deo datur lex præcipiens mendacium pro casu conscientiae erroneae invincibilis. Supposito antecedenti, adversarij iudicant, consequentiam esse legitimam, & idem illud negant, quod sic probatur: agere contra conscientiam erroneam dictantem, non mentiri esse contra legem charitatis, per se loquendo, est peccatum contra charitatem: ergo lex charitatis præcipit, & obligat per se ad non faciendum contra talem conscientiam. Conseq. est leg. quia lex charitatis in eo sensu prohibet, & obligat ad non agendum contra legem charitatis falsè existimatam, quo est contra virtutem charitatis agere contra talem legem, ac proinde, si per se loquendo, est contra charitatem agere contra legem falsè existimatam charitatis, per se prohibetur à lege charitatis. Et ant. videtur innegabilis: quia licet per accidens sit, quod mendacium existimetur præceptum per legem charitatis;

non tamen est per accidens, quod agere contra talem legem falsè existimatam, & contra conscientiam intimantem obligationem obediendi tali legi falsè existimatæ, sit peccatum contra charitatem: sed per se est contra charitatem; & ita per se vt in nullo eventu honestari possit.

128. Prob. secund. nostra doctrina: si lex mentiendi v. g. se extenderet in prohibendo mendacio ad casum conscientiae erroneae, illumque includeret, Deus per talem legem præciperet peccare formaliter; hoc est intolerabile absurdum: ergo lex mentiendi non se extendit in prohibendo mendacio ad casum conscientiae erroneae. Prob. mai. Deus præciperet non mentiri pro casu conscientiae erroneae, & de facto in casu conscientiae erroneae talis lex frangeretur realiter, mentiendo, & adimpleretur, non mentiendo; sed non mentiri pro casu conscientiae erroneae, dictantis esse mentiendum, est peccatum formale: quia est agere contra conscientiam: ergo si lex mentiendi se extenderet in prohibendo mendacio ad casum conscientiae erroneae, illudque includeret, Deus per talem legem præciperet peccare formaliter.

129. Prob. tert. si opinio probabili-

De opinione probab. in ordine ad licite operandum. Art. 8. 385

babilis contra legem afferret secum periculum fractionis realis legis, opinio probabilior contra legem afferret periculum minus probabile talis fractionis; hoc est falsum: ergo Prob. min. Si opinio probabilior contra legem afferret secum periculum minus probabile fractionis realis legis, esset illicitum sequi opinionem probabiliorem contra legem; hoc apud omnes est falsum: ergo opinio probabilior contra legem non affert secum periculum minus probabile fractionis realis legis. Prob. mai. illicitum est cuiquam, iuxta adversarios, se exponere periculo minus probabili fractionis realis legis: ergo si opinio probabilior contra legem afferret secum periculum minus probabile fractionis realis legis, illicitum esset sequi opinionem probabiliorem contra legem. Prob. ant. Tenemur vitare iuxta adversarios fractionem realem legis: ergo tenemur vitare periculum, siue magis, siue minus probabile talis fractionis. Ant. est cert. & conseq. legitima: quia qui tenetur vitare aliquid, tenetur vitare periculum, siue magis, siue minus probabile illius: quod multis exemplis confirmari potest. Videantur à me dicta in hac quæst. art. 2. §. 1. & §. 2. huius articuli.

130. Probato iam, legem prohibentem aliquam rem ratione suae malitiae obiectivae, non se extendere ad casum conscientiae erroneae, ad quam pertinet opinio probabilis re ipsa falsa: oportet nunc explicare quomodo hoc componi possit. Pro cuius intelligentia est notandum cum N. Salmonicenis tract. 13. disp. 10. dub. 5. quod lex naturalis, quando prohibet aliquam rem, prohibet illam, vel ratione malitiae obiectivae, vel ratione malitiae formalis, quae importat, vel ratione alicuius nocuementi, quod causat, & iuxta gravitatem malitiae, vel nocuementi est gravitas obligationis. Quando lex naturalis prohibet aliquid, vel ratione malitiae formalis, vel ratione nocuementi, quod secum affert, non solum prohibet consensum in talem rem, sed etiam consensum in illius permissionem iuxta gravitatem malitiae formalis, aut nocuementi: quia unusquisque tenetur vitare, quantum in se est, ne sua actio sit formaliter mala, aut ne ex illa alicui sequatur aliquod damnum. Quando verò res prohibetur solum ratione malitiae obiectivae, licet prohibeatur consensus in illam: quia consensus in illam, cognitam prout in se, & positio illius in vi talis consensus, sunt

Cecce for-

formaliter mala; non tamen prohibetur consensus in permissione, immo, *permissio, & obligatio non permitendi* (vt optimè dicunt citati PP.) *non habet locum respectu malitiae dumtaxat obiectivae, nec lege propriè dicitur permitti: sed respectu malitiae formalis, aut respectu nocimenti concernentium rei existentiam, & executionem.*

131 Ob hanc causam dicti PP. loco citato docent, quod licet voluntas teneatur sub mortali ad non consentiendum in motus appetitus sensitivi, versantes circa obiecta sub mortali prohibita; non tamen tenetur sub mortali ad illos positivè reprimendum, seu non permittendum; sed solum tenetur ad hoc sub veniali; quia licet tales motus sint graviter mali obiectivè, solum sunt leviter mali formaliter; & voluntas solum tenetur ad non permittendum motum, secundum quod est malus formaliter, non secundum quod est malus obiectivè, nisi per accidens detur periculum incidendi in peccatum formale, aut alterius damni gravis, nisi voluntas positivè resistat: quia tunc tenebitur voluntas sub mortali ad positivè resistendum, non ratione malitiae obiectivae gravis, sed ratione dicti periculi. Quam doctrinam tenet D. Tho. q. 7. de

malo art. 6. ad 2. his verbis: *Dicendum quod Aug. intelligit omne peccatum esse in voluntate sicut in primo movente, vel movere potente: ex hoc enim motus sensualitatis est peccatum veniale, quia voluntas potest illud impedire.* Sentit ergo D. Tho. quod licet voluntas possit impedire motum appetitus, non tenetur ad illud impediendum sub mortali; aliàs ex hoc ipso esset talis motus peccatum mortale, & non solum veniale. Clariùs adhuc loquitur in resp. ad 6. his verbis: *Quando motus illicitus est in sensualitate triplex ad ipsum se potest habere ratio. Uno modo sicut resistens: & tunc nullum est peccatum. Alio modo sicut imperans: & tunc si sit illicitus in genere peccati mortalis erit peccatum mortale. Aliquando autem se habet ut nec prohibens, neque imperans, seu consentiens: & tunc est peccatum veniale.* Idè docet in alijs locis, quae videri possunt apud dictos PP. qui pro eadem sententia citant D. Bonavent. Caiet. & plures alios.

132 Ex qua doctrina sequitur, quod quando aliquid prohibetur ratione solius malitiae obiectivae, prohibetur simul cum consensu in illud cognitum vt malum, & non independenter à tali consensu, consequenterque non prohibetur

tur illius permissio; quando verò prohibetur ratione alicuius nocimenti, aut damni, quod formaliter causat, prohibetur absolutè, & independenter à consensu formali in illud; & consequenter non solum prohibetur consensus in illud, sed etiam illius voluntaria permissio. Ratio autem huius differentiae in eo stat, quod peccatum formale per se, & ratione sui est malum formaliter, & inferens damnum, & idem est de alijs nocentis; at verò, quod solum est malum obiectivè, non est per se, & ratione sui formaliter malum, formaliterque damnificans, sed solum est malum in causando, seu in quantum est causa actus formaliter mali, & per ordinem ad illud: quare cum unumquodque eo modo prohibeatur, quo est malum, & damnificativum, quod per se, & ratione sui est formaliter malum, formaliterque damnificans, per se, & ratione sui prohibetur, & independenter à prohibitione alterius: quod autem non est per se, & ratione sui formaliter malum, formaliterque damnificans, sed solum in causando, & per ordinem ad aliud, non prohibetur absolutè, & ratione sui, sed prohibetur ratione effectus, & in quantum illius causa, eodemque precepto: nam causa alicuius dam-

ni, in quantum talis, eodem precepto prohibetur, ac prohibetur ipsum damnum; nec prohibetur nisi in quantum influens in tale damnum, aut in quantum imminet prudens periculum, quod in illud influat. Quapropter cum mendacium v. g. non influat, aut influere possit in malitiam formalem consensus, nisi vt cognitum provt est in se, preceptum prohibens mendacium, non extenditur, nec includit casum conscientiae erronee, in quo mendacium non cognoscitur provt est in se malum, sed potius cognoscitur, & apprehenditur vt honestum, immo vt obligatorium: nec similiter includit casum opinionis probabilis, si daretur; quia tunc licet obiectum appareat probabiliter malum, apparet etiam probabiliter honestum, & preceptum prohibet obiectum provt est in se malum, & consensum in illud, provt est in se cognitum; non tamen prohibet illud vt apparet honestum, nec consensum in illud vt apparet honestum, et si aliàs appareat probabiliter malum.

133 Ad confirmationem, cui sepe insistit Illustriss. Palan. & praecipue q. 38. §. 6. n. 107. ad impugnamdam quandam solutionem P. Terilli, quam etiam per respectum vocat singularem, & mirandam, resp.

resp. quodd vel nihil probat, vel probat, quodd aliquando est licitum, & aliquando obligatorium, præceptumque à Deo, peccare formaliter; quod est absurdum omnem superans exaggerationem. Quod sic demonstro; primò, tendere voluntariè in obiectum, quod probabiliter apparet prohibitum; seu tendere voluntariè in obiectum, etsi in re sit prohibitum, vt opinio æquè aut magis probabilis affirmat, est per te formalissimè peccare formaliter; aliquando est licitum, & aliquando obligatorium, tendere voluntariè in obiectum, quod probabiliter apparet in se prohibitum, seu in obiectum, etsi in re sit prohibitum, vt opinio æquè, aut magis probabilis dicit: ergo aliquando est licitum, & aliquando obligatorium, præceptumque à Deo, peccare formaliter. Consequens est leg. mai. est Palan. & min. constat in exemplis adductis §. præced. Nam iuxta Palan. agere cum dubio directo de licito, seu agere rem, siuè in re sit licita, siuè non, est materia capax præcepti, & subditus tenetur obedire superiori in dubio directo de licito, etiam si post præceptum superioris adhuc perseveret dubium: ergo si agere rem dubiam, seu siuè sit re ipsa licita, siuè non, est formalissimè peccare for-

maliter, erit materia capax præcepti peccatum formale, & adveniente præcepto, subditus tenebitur ad formaliter peccandum.

Rursus. Coniugibus dubitantibus, aut habentibus solùm opinionem probabilem de perpetuitate impotentiae, & consequenter de eo, quodd conatus ad copulam inter illos est re ipsa malus, & contra legem Dei, Ecclesia permittit vt licitum talem conatū per triennium, & consequenter permittit talem conatum, & alios tactus inter illos, siuè in re sint mali, & contra legem Dei, siuè non: per te conari ad copulam, siuè talis conatus sit in se malus, siuè non, seu conari ad copulam cum opinione probabilis de eo, quodd talis conatus est re ipsa malus, & contra legem Dei, est formalissimè peccare formaliter: ergo Ecclesia permittit vt licitum peccatum formale.

Et tandem, Deus coniugi præcipit habere copulam cum altero coniuge, si hic petat, etiam si ipsi redenti debitum sit æquè, aut magis probabile, quodd matrimonium est nullum ratione alicuius impedimenti dirimentis, & consequenter, quodd talis copula est re ipsa mala, & contra legem Dei: ergo si facere rem, siuè in se sit mala, siuè non, seu facere voluntariè, quod

pro-

§. X.

Diluuntur obiectiones Illustriss. Palan. contra solutionem argumenti precedentis.

134 Resp. ergo ad cõf. quodd agere contractum cum opinione æquè, aut magis probabilis de eo, quodd re ipsa est malus, & contra legem Dei, non est formalissimè peccatum formale: quia tunc ita apparet contractus probabiliter malus, quodd simul apparet, æquè, aut minùs probabiliter honestus; & electio talis contractus ad illum, vt apparet verè probabiliter honestus terminatur: licet enim terminari ad obiectum, quod vnicè apparet malum, sit formalissimè peccare; non tamen terminari ad obiectum, quod verè probabiliter apparet honestum, etsi aliàs appareat æquè, aut magis probabiliter malum: quia vt dictum manet, lex prohibens contractum ratione sue malitiae obiectivæ, prohibet illum, & consensum in illum, prout est in se malus; non tamen illum prohibet, vt apprehensum verè probabiliter honestum, & consensum in illum, vt talem, etsi aliàs appareat probabiliter in-

honestus.

* * *

135 **I**llustriss. Palanco vidit doctrinam solutionis præcedentis argumenti, & dicit, quodd hæc singularissima doctrina videtur quidem speciosa, sed re ipsa est chimerica, & contra illam multipliciter insurgit: prim. Nam ex nostra doctrina sequitur, quodd conscientia erronea, non sit erronea, sed recta; hoc est absurdum: ergo, & id ex quo sequitur. Prob. mai. nam talis conscientia esset conscientia vera: ergo recta. Prob. ant. conscientia erronea dicitur v. g. quodd hic, & nunc mihi est licitum dimidiare confessionem; hoc est verum, quia pro illo casu iuxta doctrinam datam lex non prohibet dimidiare confessionem: ergo.

Ad hanc obiectionem resp. quodd conscientia erronea, si sumatur pro ultimo dictamine conscientiae, semper est formaliter recta: quia quodd dicitur conscientia erronea sic sumpta, est, esse licita intendentiam voluntariam ad obiectum, vt hic, & nunc apparet licitum;

Dddd

citum; & esse illicitam tendentiã voluntariam ad obiectum cognitum, vt illicitum, quod dictamen est verum, & consequenter rectũ. Vide à nobis dicta q. 1. art. 4. si autem conscientia erronea sumatur præsuppositivè, est erronea: quia iudicium directum speculativum præsuppositum ad ultimum dictamen conscientie dicentis v. g. hic, & nunc esse mentiendum ad tuendam famam proximi, est iudicium, quo quis iudicat, mendacium ad tuendam famam proximi non esse re ipsa malum, nec dari in Deo absolutè legem prohibentem tendentiam voluntariam ad mentiendum ob tuendam famam proximi; quod est falsum: licet enim non detur in Deo lex prohibens tendentiam voluntariã ad mendacium, vt falsò apprehensum, vt licitum, & obligatorium; verè tamen datur in Deo lex prohibens tendentiam voluntariam ad mendacium ob tuendam famam proximi, prout est in se. Et licet Palan. adeò absurda videatur hæc doctrina, vt illum exclamare cogat: *Hæc autem quis patienter audiat?* Nostra parum refert, qui non exclamationibus, sed rationibus movemur.

136. Secundò obijcit: nam ex nostra doctrina sequitur, quòd

Patres, & Pastores possint pro suo libito facere, quòd suos filios, & subditos Deus sua lege non comprehendat; hoc est falsum: ergo prob. mai. nam si Patres filios, & Pastores subditos non doceant legem Dei, subditi, & filij illam ignorant; pro casu ignorantie per nos non comprehenduntur lege: ergo.

Ad hanc obiectionem resp. neg. sequelam: quia Patres, & Pastores habent obligationem ex vi sui muneris docendi filios, & subditos, quid re ipsa sit malum, & prohibendum à Deo; & omnes habemus obligationem illud sciendi; ac proinde nec Patres, nec Pastores habent in sua manu non docere filios, & subditos legem Dei; nec ipsi filij, aut subditi possunt illam non inquirere. Ex suppositione tamen, quòd Patres, & Pastores non intiment filijs, & subditis legem Dei, isti non frangent illam realiter; non quia sint exempti à lege, aut lex illos non comprehendat; semper enim cadunt sub lege prohibente tendentiam voluntariam ad mendacium cognitum prout est in se, & positionem mendacij in vi talis tendentiæ, aut consensus, nec hoc eis aliquando est permissum; sed idè non frangunt re ipsa talem legem: quia re ipsa non

po-

ponunt tendentiam voluntariam ad mendacium cognitum prout est in se; sed solùm ponunt tendentiam voluntariam ad illud, prout falsò cognitum licitum, & obligatorium, quòd nunquam eis est prohibitum. Per quòd patet solutio ad quandam replicam Palan.

137. Tertiò sic obijcit: Implicatoriũ est, quòd aliquis sequatur opinionem minùs probabilem falsam re ipsa, & quòd re ipsa nullam legem Dei violet: ergo implicat in terminis solutio argumenti. Prob. ant. si opinio est re ipsa falsa, obiectum est re ipsa prohibitum; sed implicat, quòd quis eligat obiectum re ipsa prohibitũ, & quòd nullam legem Dei re ipsa violet: ergo.

Ad obiectionem resp. prim. neg. ant. & ad eius probationem dicimus, quòd si opinio est re ipsa falsa, re ipsa obiectum est prohibitum per modũ obiecti tendentiæ voluntariæ ad illud prout in se, & ipsa tendentia voluntaria, ac proinde, qui tenderet voluntariè ad illud obiectum prout in se, re ipsa frangeret legem Dei. Sed hoc non facit, qui operatur cum opinione re ipsa falsa: hic enim non tendit voluntariè in obiectum, prout in se; sed solùm tendit voluntariè in obiectum, prout apparet probabiliter honestum:

quòd per nullam legem prohibetur.

138. Sed contra dicta replicabis. Primo, ergo qui habet conscientiam invincibiliter erroneam de eo, quòd mendacium est obligatorium, mentiendo, nullam frangit re ipsa legem Dei: ergo poterit quis præbere consilium habenti conscientiam invincibiliter erroneam, quòd mentiatur, quòd est falsum.

Ad hanc replicam resp. prim. quòd mendacium, licet independenter à prohibitione non sit obiectivè malum formaliter, est tamen moraliter malum obiectivè fundamentaliter: est enim contra inclinationem naturæ rationalis, vt talis. Quare sicut nemini licet ponere mendacium cognitum, vt malum; sed datur lex naturalis hoc prohibens; sic nemini licet consiliari mendacium cognitum vt malum; sed hoc est contra legem naturalem. Secund. & clariùs resp. quòd nemini licet consiliari mendacium, nisi in quantum est licitum: vnde cum mendacium absolutè sumptum non sit licitum, sed solùm sit licitum, supposito iudicio erroneo, nemini licet consiliari absolutè mendacium; sed solùm potest consiliari mendacium reduplicativè, vt apprehensum licitum, quòd est idem, ac dicere:

quod

quòd licet non possit quis consiliari mendacium absolute; potest tamen consiliari sequelam conscientiae erroneae invincibilis, dicentis esse mentiendum, ex suppositione quòd talis conscientia non possit deponi ob aliquod iustum motivum, & ex alia parte habens talem conscientiam, nollit adimplere obligationem, quae ex illa oritur.

139 Replicabis secundò: ergo qui mentitur, ignorando legem non mentiendi, non frangit re ipsa legem non mentiendi: ergo qui ignorat legem ieiunandi, non ieiunando, non frangit re ipsa talem legem, quod est contra communem modum sentiendi: communiter namque distinguunt doctores duplicem causam; aliam eximentem ab obligatione legis, & aliam non eximentem, sed solum excusantem; & huius secundi generis est ignorantia invincibilis: inter quas causas hoc datur discrimen, quòd quando causa eximit aliquem ab obligatione legis, ponendo rem per legem prohibitam, non peccat, nec obiectivè; at quando causa est solum excusans, licet non peccet quis formalitèr, ponendo rem prohibitam per legem, peccat tamen materialitèr, & obiectivè: est ergo contra communem sen-

tentiam dicere, quòd qui ignorat legem ieiunandi, non peccat adhuc materialitèr, & obiectivè, non ieiunando.

Ad hanc replicam in sententia probabilis resp. concessa prima cōseq. neg. secundam: quia in lege humana, vt docet N. Cursus scholasticus tract. 13. de peccatis disp. 9. dub. 2. §. 1. à num. 27. datur duplex munus, & munus reddendi materiam ex se indifferentem, materiam necessariam virtutis, aut materiam determinatè oppositam virtuti, & munus obligandi; primum munus convenit legi humanae directè: secundum solum convenit illi indirectè, & directè legi naturali: nam lex humana, praecipiendo aliquam materiam ex se indifferentem, reddit illam, materiã necessariam virtutis, & quia hoc ipso, quòd aliqua materia sit materia necessaria virtutis, lex naturalis obligat nos ad illam voluntariè ponendam, dicitur, quòd lex humana obligat ad ponendam talem materiam. Primum munus exercet lex humana independentèr omnino à nostra cognitione: nam quòd ieiuniũ sit in se materia necessaria virtutis, omnino independentèr est ab eo, quòd à nobis cognoscatur, vel non cognoscatur. At lex humana secundam suam vim obli-

obligandi non terminatur ad ieiunium absolute sumptum; sed ad ponendum voluntariè ieiunium cognitum, vt praecipuum, quo pacto est materia necessaria virtutis. Et ratio est manifesta: quia lex non obligat ad ieiunium, vt praecipuum, nisi in quantum ieiuniũ, vt praecipuum, est capax obligationis; non est capax obligationis, nisi in quantum est actus voluntarius, & liber: ergo lex non obligat ad ieiunium, vt praecipuum, nisi in quantum vt praecipuum est actus voluntarius, & liber, quod non habet independentèr à cognitione prohibitionis. Quare cum lex reddat ieiunium materiã necessariã virtutis independentèr à nostra cognitione; non tamen obliget ad ieiunium, vt praecipuum, nisi in quantum ieiunium, vt praecipuum, est actus voluntarius, quod solum habet, quando cognoscitur, esse praecipuum, hinc fit, quòd homo cadit sub lege ieiunandi secundum primum munus, sive talis lex cognoscatur, sive non cognoscatur: non tamen cadit sub lege, vt habet vim obligandi expeditam, nisi quando lex cognoscitur; quia solum quando cognoscitur, potest dari tendentia voluntaria ad ieiunium, vt est materia necessaria virtutis, seu vt praecipuum.

140 Si autem quis opponat ex hac doctrina sequi, ignorantiam invincibilè legis naturalis esse causam eximentem à lege. Resp. quòd ignorantia legis naturalis non eximit hominem à lege: quia lex non mentiendi v. g. prohibet tendentiam voluntariam in mendacium, provt est in se, sub qua lege semper est homo, sive illam ignoret, sive non: semper enim ipsi est prohibita tendentia voluntaria in mendacium cognitum, provt est in se. Quare ignorantia invincibilis non eximit hominem à lege prohibente tendentiam voluntariã in mendacium, provt est in se; sed solum facit, quòd homo re ipsa non frangat illam: quia facit, quòd tendentia voluntaria in mendacium, non sit in mendacium cognitum provt in se, & hoc pacto illam tendentiam voluntariam liberat à peccato; non tamen liberat hominem à lege prohibente tendentiam voluntariam in mendacium provt in se: quòd erat necessarium, vt ignorantia diceretur causa eximens hominem à lege, & non solum excusans tendentiam voluntariam in illud obiectum à contractione malitiae.

141 Secundò resp. ad 3. obiectionem applicando doctrinam datam pro lege humana legi naturali directae: nam in lege naturali direc-

ta prohibente v. g. mendacium; etiam datur, & munus reddendi mendacium moraliter malum obiectivè, & munus obligandi; seu munus prohibendi mendaciū per modum obiecti, & munus prohibendi consensum in mendacium, & mendacium, vt actualiter terminans, & specificans talem consensum. Secundū primum munus terminatur lex ad mendacium absolute sumptum: mendacium nāque independenter ab eo, quod cognoscatur, vel nō cognoscatur, est obiectivè malum moraliter, moraliter odibile, seu indignum moraliter, vt ametur. At secundū munus aliud terminatur lex ad mendacium cognitum vt malum: tum ob rationem supra datam; tū quia lex naturalis licet independenter à dictamine cōscientiæ habeat vim obligandi; non tamen habet vim obligandi nisi medio dictamine cōscientiæ, quod non obligat ad non mentiendum, nisi vt hic, & nunc cognoscitur malum.

142 Sed obijciēs: mendacium est ab intrinseco malum: ergo non redditur malum moraliter per legem; consequenterque in lege prohibente mendacium illud duplex munus non reperitur.

Ad hanc obiectionē resp. quod mendacium per se, & ratione sui

solum est ab intrinseco malum, remotè, & radicalitèr; non verò proximè, & formalitèr, sed hoc habet à lege proximè, & formalitèr, vt docent ex D. Tho. NN. Sapientiff. PP. Salmant. tract. 13. disp. 7. dub. 1. quod est vsque aded verum, vt aliqui sentiant, malitiam moralem obiectivam consistere in denominatione extrinseca proveniente à lege. Quare distinctio inter obiecta ab intrinseco mala, & inter obiecta ab intrinseco indifferentia, non consistit in eo, quod illa sunt per se obiectivè mala formalitèr, & non ista: sed differentia in eo stat, quod obiecta ab intrinseco indifferentia, nec sunt mala obiectivè formalitèr, nec fundamentalitèr; at obiecta, quæ dicuntur ab intrinseco mala, sunt moralitèr mala fundamentalitèr, & initiativè, exigentiaque prohiberi per legem naturalem, à qua vel in recto, vel solum per modū conorati habent esse obiectivè mala formalitèr. Dandum est ergo etiam in lege naturali directā illud duplex munus assignatum legi humanæ; ex quibus munus prohibendi mendacium vt obiectum, præcedit munus prohibendi tendentiam voluntariam in mendacium, & mendacium, vt actualiter terminans, & specificans talem tendentiā. Et ratio est: quia
lex

lex naturalis prohibet consensum in mendacium, quia obiectivè malum moralitèr; est malum moralitèr, quia prohibitū: ergo lex naturalis prohibet consensū in mendacium, vt prohibitum, & consequenter munus prohibendi mendacium, vt obiectum, præcedit munus prohibendi consensum in mendacium.

143 Ex qua doctrina sequitur primo, quod qui sequitur opinionem re ipsa falsam, & similiter qui operatur cum conscientia erronea, frangit re ipsa legem Dei, non in quantum habet vim obligandi, sed solum in quantum habet vim reddendi rem obiectivè malam: & adhuc hoc modo illam frangit purè concomitanter; licet enim ponat rem, quæ obiectivè est mala, & prohibita, non tamen ponit illam sub ratione malæ, & prohibitæ; & licet sit prohibitum consentire in rem, vt malam, & prohibitam, non tamen illam permittere, seu ponere rem, etiam si obiectivè mala, ob aliquod moti-
vum honestum.

144 Sequitur secundo, non dari in Deo leges inter se oppositas, & cōtrarias, nec legē conditionatam, sed legem naturalem esse absolutam, & semper, & pro semper habere vim legis: nam lex men-

tiendi prohibet mendacium, provt est in se, & consensum in mendacium, positionemque mendacij in vi talis consensus; & hoc semper prohibet, & sine aliqua conditione. Et similiter lex præcipiens obedire conscientiæ erroneæ dicenti, obediendum esse legi falsò existimatæ mentiendi, præcipit consensum in mendacium falsò apprehensum, vt præceptum, & hoc semper præcipit talis lex, & sine aliqua restrictione. Nec dictæ leges sunt inter se contrariæ, sicut nec eorum obiecta; nec qui ponit tendentiam voluntariam in mendacium apprehensum vt præceptum, agit contra legem prohibentem tendentiā voluntariam in mendacium provt in se cognitum.

Sed notandum est, quod munus obligandi solum convenit legi veræ, at munus reddendi obiectum moraliter malum convenit legi, sive veræ, sive falsò existimatæ, vt contingit in casu conscientiæ erroneæ: Nam in hoc casu denominatio boni, aut mali moraliter saltè radicalitèr, non provenit obiecto à lege reflexa præcipiente obedire conscientiæ erroneæ, sed ab ipsa lege falsò existimatæ. Doctrina tradita in hac secunda solutione videtur mihi verissima; & idè iuxta illam intelligendus sum, quoties

in hoc opere asserere, vel suppone-
re videor, operantem cum opinio-
ne probabili de licito se exponere
periculo frangendi re ipsa legem
Dei.

§. XI.

Diluitur duplex aliud argumentū.

145 **A** Rg. tert. contra cōc.
Non est licitum
operari cum opi-
nionē, quæ non est tuta regula ho-
nestatis; opinio directa de licito
æquē, aut minū probabilis, non
est tuta regula honestatis: ergo non
est licitum operari cum opinione
æquē, aut minū probabilis de li-
cito. Prob. min. opinio directa de
licito æquē, aut minū probabilis,
est indifferens, vt sit conformis;
vel disconformis cum prima regu-
la morum, id est, cum Divina lege,
opinio sic indifferens, nequit esse
tuta regula honestatis: ergo.

Hoc argumentum patitur
evidentes instantias: nam in pri-
mis peto à Palā. cuius est argu-
mentum, an subditus obediens Su-
periori præcipienti rem ipsi sub-
dito æquē probabiliter licitam, &
illicitam adhuc post præceptum
Superioris, reguletur per ipsam
opinionem directam æquē proba-

bilem de licito, vel non? Si non: er-
go opinio directa de licito æquē
probabilis non est regula nostra-
rum operationum, sed stantibus
opinionibus directis æquē proba-
bilibus de licito, vel illicito, dari
potest alia regula tuta moralitatis.
Si dicat primum: ergo opinio di-
recta æquē probabilis de licito, est
regula tuta. Rursus peto ab eo, an
mulier habens copulam cum viro
suo, ipso petente, non obstante,
quod illa habeat opinionem direc-
tam probabiliorem de eo, quod
matrimonium est re ipsa nullum,
& consequenter talis copula re ip-
sa mala obiectivè, & contra legem
Dei, reguletur per opinionem di-
rectam minū probabilem, quam
habet, de eo, quod copula est re ip-
sa licita, vel non? Si reguletur per
opinionem directam minū pro-
babilem de licito: ergo opinio di-
recta minū probabilis de licito est
regula tuta. Si non reguletur per
illam: ergo opinio minū proba-
bilis directa de licito non est regu-
la moralitatis; sed, illa non obstan-
te, dari potest regula tuta opera-
tionis contra legem probabiliore
de illicito.

Non minū clarè, & convin-
center fieri potest instantia in cō-
iungibus conantibus ad copulam
per trienium cum opinione æquē,

aut

aut minū probabilis de eo, quod
impotentia non est perpetua, &
talis conatus re ipsa licitus. Quare
ad argumentum dicimus, quod si
sermo sit de regula formali opera-
tionis, opinio directa non est re-
gula formalis, sed iudicium refle-
xum infallibile, vt vidimus quæst.
1. art. 6. Si autem sermo sit de re-
gula obiectiva, opinio directa de
licito, sive magis, sive minū pro-
babilis, potest esse regula tuta: quia
fundari potest supra illam iudiciū
omniò conforme primæ regulæ
nostrarum operationum, legi sci-
licet Dei; opinio namque directa
de licito æquē, aut minū proba-
bilis, non est indifferens, vt sit con-
formis, vel disconformis cum le-
ge Dei per modum circumstantiæ
se tenentis ex parte obiecti, sed
determinatè est conformis legi
divinæ reflexæ; vt constat per ex-
empla adducta, & in dubio de excom-
municatione: nam in dubio de
excommunicatione iuxta D. Tho.
licitum est agere contra excommu-
nicationem, sive opinio pro ex-
communicatione sit magis, sive
minū probabilis: fundari que pro-
inde potest supra tale dubium di-
rectum de licito iudicium omni-
ò conforme primæ regulæ nos-
trarum operationum.

146 Arguitur 4. opinio mi-

nū probabilis de licito, est minū
probabilis practicè, & opinio ma-
gis probabilis de illicito est magis
probabilis practicè, siquidem tota
probabilitas de licito, vel illicito
practica est; sed qui sequitur opi-
nionem minū probabilem prac-
ticè, quàm sua contradicens, pec-
cat: ergo qui sequitur opinionem
minū probabilem de licito, pec-
cat: Prob. min. qui sequitur opi-
nionem practicè minū probabi-
lem, exponitur periculo proximo
errandi practicè; qui se exponit pe-
riculo proximo errandi practicè,
peccat formalitè: ergo.

Hoc argumentū quod latissi-
mè prosequitur Palā. in mera equi-
vocatione consistit, & eadem pa-
titur instantias, ac præcedens. Qua-
re ad illud breviter respondeo:
quod nomine opinionis practicè
probabilis de licito, illam intelli-
gimus, cum qua est licitum opera-
ri, seu quæ per modum circum-
stantiæ se tenentis ex parte obiecti,
est verè conformis legi Dei reflexæ:
cum illa autem opinione di-
recta de licito est licitum agere,
quæ verè probabiliter affirmat,
rem esse in se licitam hîc, & nunc,
inspectisque omnibus circumstan-
tijs se tenentibus ex parte obiecti:
quare cum omnis opinio directa
de licito hîc, & nunc, sive magis,

ffff

sive

sive minus probabilis, sit verè probabilis, omnis opinio directã de licito hìc, & nunc, sive magis, sive minus probabilis, est verè practicè probabilis, seu habet veritatem practicã, veramque conformitatem cum lege divina reflexa.

147 Ex quo sequitur, quòd licèt opiniones circa licitum, & illicitum, se opponant in enunciando ex parte dicti, conveniunt tamen in veritate practica, seu in conformitate per modum circumstantiæ se tenentis ex parte obiecti cum lege divina reflexa permittente. Sequitur insuper, quòd qui sequitur in operando opinionem minus probabilem de licito, nulli periculo se exponit peccãdi, quòd teneatur vitare, si autem illam sequatur in iudicando, & finis talis iudicij sit veritatis inventio, peccabit: quia in ordine ad invenendam veritatem illicitum est eligere medium minus conducens. Si autem assensus talis opinionis minus probabilis ordinetur à iudicante ad operandum, aut ad aliam utilitatem propriam, vel alienam, ad quam talis assensus sit magis conducens, non erit illicitum illum eligere. Nec obstat, quòd teneamur iudicare de moribus quantum possumus, iuxta legem Dei: nam tenemur iudicare iuxta legem

Dei, sive permittentem, sive prohibentem; non verò determinatè iuxta legem Dei prohibentem, quãdo occurrit cum lege Dei permittente verè probabili: tunc enim in ordine ad operandum non tenemur iudicare iuxta legem prohibentem, sed possumus iudicare iuxta legem permittentem.

§. XII.

Argumenta ab inconvenientibus enodantur.

148 **A**rguitur quint. nam si nostra sententia esset vera, tolleretur magna ex parte diligentia, & orationis indigentia pro veritate inveniendã; hoc est absurdum: ergo & id, ex quo sequitur. Prob. mai. nam in nostra sententia ad rectè vivendum sufficit probabilitas: ergo in nostra sententia non est necessarium quærere in rebus moralibus veritatem.

Ad hoc argumentum resp. quòd licèt probabilitas sit regula tuta, & recta morum, non est regula tuta, & recta per se; sed per accidens: solum enim est regula tuta ex suppositione, & in absentia veritatis, per modumque substitutæ, & vicariæ illius, quæ ratio-

ne

De opinione probab. in ordine ad licite operandum. Art. 8. 399
ne sui, & vt ita dicam proprietariè habet rationem regulæ tuta, & rectæ. Quare sicut veritas realis est per se, & ratione sui regula tuta, & recta, & probabilitas solum est regula recta in absentia illius, & per modum substituti; sic per se primo semper pro viribus quærenda est veritas realis, & in absentia illius probabilitas; quòd semper re ipsa fit: non enim inquiritur per se primo, vtrum hoc, vel illud sit probabiliter licitum; sed semper inquiritur absolutè, vtrum sit licitum: & ad hoc inveniendum quæruntur rationes, & motiva, diligenterque examinantur eorum gravitas, & efficacia: & si post adhibitam hanc diligentiam non invenitur veritas realis obiecti, in absentia huius quæritur veritas probabilitatis, qua inventa, acceptatur in regulam in veritatis realis absentia. Et instari potest argumentum instantijs aded repetitis §. prec. nam si ex eo, quòd in illis casibus sit licitum operari cū opinione æquè, aut minus probabili directã de licito, non tollitur indigentia diligentia pro veritate reali inveniendã, cur ex eo, quòd in alijs casibus sit licitum agere cum opinione æquè, aut minus probabili directã de licito, tolletur indigentia talis diligentia.

149 Arg. sext. nam ex nostra doctrina sequitur, quamcumque opinionem probabilem, sive magis, sive minus, & quemcumque auctorem gravem sufficientem ad dandam probabilitatem opinionibus, esse tantæ auctoritatis ad regendos mores, quantæ est Summus Pontifex, vel Concilium Generale; hoc est intollerabile absurdum: ergo prob. seq. nam tota auctoritas Summi Pontificis, & Concilij Generalis in eo consistit, quòd eius doctrina sit regula morum ita infallibilis, vt sui sequelam non solum excuset à culpa, sed etiam infallibiliter reddat illam honestam; hanc eandem auctoritatem habet quilibet Doctor, & eius sententia, vel opinio: nã iuxta nos est impossibile, quòd peccatum incurrat, & quòd non operetur honestè, qui eius sententiam sequitur, vtpotè probabilem: ergo tanta erit auctoritas cuiusvis Doctoris gravis potentis dare veram probabilitatem suæ opinioni, quanta est auctoritas Summi Pontificis, aut Concilij Generalis,

Ad hoc argumentum resp. neg. suppositum: nam doctrina infallibilis Ecclesiæ nõ excusat infallibiliter à culpa, nec reddit positivè honestum actum cum ea elicitum: immò si excusaret à culpa actum

actum iuxta illam elicited, redderetque honestum, non esset infallibilis; sed potius invincibiliter erronea: quia non excusatur à culpa ratione opinionis, aut doctrinæ, quod ex se non est obiectivè malum; nec redditur positivè honestum, quod ex se est honestum. Quare tam longè abest, quod doctrina Ecclesiæ, quia infallibilis, excuset à culpa, & reddat honestam operationem iuxta eam elicited, quòd si excusaret operationem à culpa, illamque redderet honestam, non esset infallibilis, sed falsa, quia proponeret, ut honestum, quod ex se non est honestum, & licitum. Doctrina ergo Ecclesiæ, quia infallibilis, numquam excusat à culpa, nec reddit actum honestum, sed manifestat infallibiliter honestatem, quam obiectum in se habet, quod ecòtra accidit doctrinæ particularis Doctoris ob oppositam rationem.

Sed parcamus arguenti, & non attendamus ad id, quod dixit, sed ad id, quod voluit dicere, & data hac venia, ad argumentum resp. quòd tam doctrina Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam Doctorum gravium, est regula tuta, & recta morum; aliter tamen, & aliter; nam cum doctrina Ecclesiæ sit infallibiliter vera, est regula tuta, & rec-

ta per se, & proprietariè; at doctrina Doctorum gravium, cum solum sit probabilis, non est regulata, & recta per se, sed per accidens, & ut vicaria veritatis, in eiusque absentia. Quare doctrina Ecclesiæ ita est tuta, quòd non potest non esse tuta; at doctrina Doctorum particularium ita est tuta, quòd potest tuta non esse: quia solum est tuta, quando perseverat verè probabilis, quam probabilitatem amittere potest: quia fieri potest, quòd veritas inveniat, aut quòd oppositum per Ecclesiam declaretur; ac proinde datur magna disparitas inter doctrinam Ecclesiæ, & doctrinam Doctorum gravium particularium. Quibus addi potest: quòd Ecclesia habet potestatem ad regendos mores auctoritativè, at Doctores solum possunt regulare mores doctrinaliter, & ostendendo, quòd sit, vel non sit licitum.

150 Arg. septim. nam ex nostra sententia sequitur, omnes opiniones probabiles esse æquè tutas: ac proinde vanam esse illam distinctionem de opinione probabili, magis, & minùs tuta; hoc dicere est absurdum: ergo prob. sequela: nam si est regula tutissima, & securissima, quòd licet sequi quamlibet opinionem, sive pro li-

liber-

bertate, sive pro lege; sive magis, sive minùs probabilem, omnes opiniones sunt æquè tutæ, æquèque liberant à peccato: ergo.

Ad hoc argumentum resp. quòd licet ex opinionibus moralibus contradicentibus, vna possit esse, & de facto sit tutior alia, materialitèr, non verò formalitèr, quia vel nullo modo est tuta formalitèr, vel est omnino tuta: illicitum siquidem est, & nullo modo tutum, sequi opinionem de licito, quæ secum affert aliquod periculum peccandi formalitèr in eius sequela. Quare illa divisio opinionis in minùs tutam, & magis tutam, vel non est divisio in magis, & minùs tutam formalitèr, sed solum materialitèr, vel non est divisio opinionis simpliciter probabilis, sed opinionis, prout abstrahit à simpliciter probabili, & à probabili tantum secundum quid, & tenuitèr.

151 Arguitur octav. ex nostra sententia sequitur, quòd licet sectarijs in suis sectis perseverare; etiam si agnoscant, nostram Religionem esse probabiliorem: quia iuxta nos licitum est amplecti opinionem minùs probabilem; hoc est intolerabile absurdum: ergo.

Ad hoc argumentum resp. neg. sequelam: in nostra namque

sententia in ordine ad inveniedam veram Religionem; sicut neque in ordine ad inveniedam quamcumq; aliam veritatem, non est licitum sequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliore, sed tenemur sequi probabiliorem, ut dictum manet q. 1. art. 5. & ratio est: quia in ordine ad inveniedam veritatem realem, debemus eligere illud medium, quòd magis conducatur ad hoc magis conducit opinio probabilior: ergo. Quare ex eo, quòd hæreticus non possit in invenieda vera Religione, sequi opinionem minùs probabilem, nihil contra nos sequitur, qui idem sentimus.

152 Sed dices: licet in nostra sententia non sit licitum sequi opinionem minùs probabilem in ordine ad inveniedam veritatem; licitum tamen est in ordine ad operandum: ergo licet hæreticus habens opinionem probabiliorem de veritate nostræ Religionis teneatur illi assentiri in ordine ad inveniedam veritatem; non tamen tenetur agere iuxta illam, sed poterit sequi in operando oppositam opinionem, & Religionem.

Ad hanc rep. resp. neg. consequ. quia si tenetur credere nostram Religionem esse veram, tenetur credere, esse vera omnia, quæ ipsa

Gggg
gggg

docet;

docet; quare cum ipsa dicat, neminem posse salvari, nisi per media, quæ ipsa præscribit, vel in re, vel in voto, & oppositum esse impossibile, falsum; & quod liberare non potest ab eterna damnatione, tenetur hæreticus hoc iudicare: cum quo iudicio apud omnes est illicitum agere contra ea, quæ nostra Religio proponit. Unde licet circa licitum, vel illicitum sit licitum sequi opinionem minus probabilem; tamen circa veram Religionem non est licitum sequi opinionem minus probabilem, nec in iudicando, nec in operando.

153 Arguitur 9. ex nostra sententia sequitur: homines non teneri ad quærendam maiori diligentia conformitatem realem cū lege Dei, immo nec æquali, ac quærimus bona temporalia: hoc est absurdum; ergo Prob. sequela: nam bona temporalia numquam quærimus per media minus probabilia; sed iuxta nostram doctrinam possumus quærere conformitatem realem cum lege Dei per media minus probabilia: ergo,

Hoc argumentum vel nihil probat, vel impugnat Probabiliorismū, & adstruit Tutiorismum: quod sic demonstro: nam iuxta Probabilioristas non tenemur vitare fractionem realem legis per

media tutiora, & idem possumus sequi opinionem probabilioris de licito, relicta minus probabili de illicito, quæ est tutior, etsi hac possumus facile uti; & nihilominus tenemur vitare damna temporalia propria, vel aliena, per media tutiora, si commodè addiberi possunt; nec illis relictis, uti valeamus medijs probabilioribus minus tutis: ergo maiori conatu tenemur vitare damnum temporale, quam fractionem realem legis; vel si tenemur vitare maiori conatu fractionem realem legis, quam damna temporalia, tenebimur ad tutius, nec poterimus sequi opinionem probabilioris de licito. Consequenter legitima. Mai. est sententia adversariorum, & min. ab omnibus conceditur. Videantur à nobis dicta in hac q. art. 2. §. 1. n. 16. & in hoc art. §. 2.

154 Hoc argumentum in sententia adversariorum indissolubile est, & idem semper in ea sententia sum, quod sub nomine Probabiliorismi defendunt tutiorismum. In nostra autem sententia facile diluitur, negando sequelam. Et ad eius probationem dicimus, quod qui sequitur opinionem æquæ, aut minus probabilem de licito, certissimè se conformat cum lege Dei reflexa, & nulli periculo se exponit

ponit frangendi legem Dei directam, ut habet vim obligandi, sive per modum legis, sive per modum circumstantiæ se tenentis ex parte obiecti, quia per modum legis solum prohibet tendentiam voluntariam in obiectum malum cognitum prout est in se; & per modum circumstantiæ solum exigit legem obligantem ad non ponendam talem tendentiam voluntariam: & qui sequitur opinionem de licito, non tendit voluntariè, nec se exponit periculo voluntariè tendendi in obiectum malum prout in se; sed solum tendit voluntariè in obiectum cognitum ut honestum, quod nullo modo est legi Divinæ disconforme.

155 Arguitur decimo: nam ex nostra sententia sequitur, nullam opinionem pro lege esse practicè probabilem, si adsit contra illam alia opinio probabilis: immo, & esse omnes invtiles, & vanas; hoc est absurdum: ergo. Probatur sequela: nam ad quid, vel quo fine dicunt plures auctores: quod tenetur penitens aperire circumstantias notabiliter aggravantes in Confessione, si certè adest in contra opinio probabilis dicens, non teneri, & aliunde est regula universalis securissima, & tutissima, quod licet omnibus iudicare, & agere secun-

dum quamlibet opinionem certò probabilem? Et idem est in alijs controversijs moralibus: ergo si nostra sententia est vera, in vanum laborant Theologi, dum pro non licet auctoritates quærunt, rationes excogitant, & argumenta opposita solvunt.

Ad hoc argumentum resp. quod si nomine opinionis practicè probabilis de illicito intelligat arguens opinionem, quæ habet vim obligandi, opinio probabilis de illicito in conspectu opinionis verè probabilis de licito, non est practicè probabilis, nec hoc est aliquod inconveniens, sed ex opposito non levià inconvenientia sequuntur. Est tamen talis opinio in concursu oppositæ, verè probabilis practicè, quia est regula tuta, & recta morum, & quæ sine periculo aliquo practicari potest.

Nec ex eo, quod opinio de licito, sive magis, sive minus probabilis, sit regula tuta, & recta morum, sequitur, quod sint invtiles, & vanæ disputationes inter Theologos circa licitum, vel illicitum: quia cum probabilitas simpliciter talis solum sit regula tuta, & recta morum, substitutivè; & in absentia veritatis realis, & tantum quamdiu veritas realis ignoratur, quæ per se, & proprietariè est regula tuta,

tuta, etiam si adsit probabilitas simpliciter talis, debent Theologi, quo possint conamine, investigare veritatem, & quærere regulam moralitatis per se rectam: & ad hoc ordinantur disputationes directæ de licito vel illicito: nam ut optimè dixit Innoc. Secundus cap. grave. 35. q. 9. *Veritas hinc inde exagitata splendet in lucem.* Et veritas, quæ initio disputationis latebat, post longam discussionem solet manifestari evidentem, vel ita convincenter, ut opposita opinio appareat simpliciter improbabilis, incapaxque proinde regulandi nostras operationes. Verum est, quod quandiu sic non manifestatur, sed dantur opiniones verè probabiles pro utraq; parte, quælibet acceptari potest in regulam: sed non ob hoc desistendum est ab inquisitione veritatis realis, nec eius ignorantia, regulæque rectæ per se moralitatis, debet esse causa illam non inquirendi.

156 Arguitur ulterius: nam ex nostra sententia sequitur, licitum esse unicuique mutare opiniones pro libito, sicut vestimenta, & hoc pacto licebit plures leges frustrare, seu potius irridere: sit exemplum in Sacerdote habente duo horologia, quæ sibi faciunt opinionem probabilem circa horam, quæ

designant, eo quod communiter benè gubernentur; in hoc casu Sacerdos dum audit primum, dans signum mediæ noctis, potest illi non credere, sed potius opinari, nondum esse mediam noctem, sequendo sententiam alterius horologi, quod nondum dedit signum mediæ noctis, & tunc dicere probabiliter; *adhuc non teneor recitare officium, quia nondum est media nox.* Et paulò postquam secundum horologium det signum mediæ noctis; vel paulò antequam sonet, licebit illi mutare opinionem, & iudicare, iam transactam esse mediam noctem, & consequenter iam non habere obligationem recitandi, & sic liberari licitè ab obligatione recitandi: hoc est absurdum: ergo.

Ad hoc argumentum respondetur, quod qui audit signum mediæ noctis datum à primo horologio, non alio modo eximitur ab obligatione incipiendi tunc recitationem officij divini, nisi obligando se ad sequendum secundum horologium. Licet enim lex naturalis præcipiens obedite legi Ecclesiasticæ præcipienti recitationem divini officij, non præcipiat illam adimplere iuxta vnam opinionem præcisè, præcipit tamen illam adimplere, vel secundum

vnam,

De opinione probab. in ordine ad licitè operandum. Art. 8. 405

vtiam, vel saltè secundum aliam: ac proinde, etsi sit in manu Clerici absolutè quamlibet ex illis amplecti: ex suppositione tamè, quod nolit vnam amplecti, & adimplere legem Ecclesiasticam secundum illam, iam tenetur determinatè in vi legis naturalis aliam amplecti; nec est in sua manu illam relinquere, & recitationem ommittere. Ex quo solùm sequitur, quod per accidens, & in aliquo particulari casu, facta que aliqua suppositione, non possit quis mutare opinionem, non verò, quod absolutè loquendo, non possit uti, qua maluerit.

§. XIII.

Ultimum argumentum solutione donatur.

157 **A**rguitur tandè contra nostram conclusionem: illicitum est agere contra legem cum notitia illius, aut cum ignorantia vincibili: qui agit contra legem cum opinione probabiliori de eo, quod datur, agit contra legem cum notitia illius, aut cum ignorantia vincibili: ergo illicitum est agere contra legem cum opinione probabiliori de eo, quod datur talis lex. Prob. min. vel

agit contra legem, assensum præstando tali opinioni probabiliori, vel suspendendo iudicium, aut assensum præstando opinioni minùs probabili de eo, quod talis lex non datur? Si primum, agit contra legem cum notitia illius. Si secundum, agit contra legem cum ignorantia vincibili illius, quia illam nõ cognoscit, cum possit: ergo qui agit contra legem probabiliozem, agit contra illam cum notitia, aut cum ignorantia vincibili illius.

Ad hoc arg. resp. neg. min. quia per assensum probabilem non excluditur ignorantia veritatis realis, sed solùm excluditur practicè ignorantia veritatis rationalis: solùm enim excludit ignorantiam sui obiecti; obiectum autem opinionis probabilis, seu probationis, non est obiectum prout in se verum, sed obiectum vt probabile, sicut obiectum amoris, est obiectum vt amabile, & obiectum scientiæ, est obiectum vt scibile. Videantur supra dicta tota quæst. 3. & præcipuè art. 4. & 5. & instatur instantijs sæpius repetitis: nam in illis casibus est licitum agere cum opinione minùs probabili directæ de licito, cum in nullo casu licitum sit agere contra legem cum notitia, aut ignorantia vincibili illius.

158 Replicabis: saltè qui ope-

Hhhhh

ra-

ratur contra legem naturalem cum opinione minus probabili, operatur cum ignorantia vincibili illius, vel ad minus se exponit periculo probabiliore agendi cum ignorantia vincibili, cum circa ius naturale non possit dari ignorantia invincibilis: hoc est illicitum: ergo ad minus est illicitum agere contra legem naturalem cum opinione minus probabili de non existentia illius.

Ad hanc replicam resp. primò, negando, quòd non possit dari ignorantia invincibilis iuris naturalis: quòd abundè manet probatum quest. 1. art. 1. & 2. & hac quest. 4. art. præc. §. 3. à n. 97. & insuper prob. Probabilistæ post factam magnam diligentiam ad inveniendam veram legem Dei; habent opinionem probabiliorem de eo, quòd non datur in Deo lex permittens, sed quòd datur lex naturalis prohibens agere contra legem probabiliorem: Probabilistæ etiam post factam magnam diligentiam ad inveniendam veram legem Dei naturalem, habent opinionem probabiliore de eo, quòd datur in Deo lex naturalis permittens agere contra legem probabiliorem. Peto nunc ab adversarijs, an tam Probabilistis, quam Probabilistis sit licitum assentiri suæ

opinionem probabiliore conceptæ post factam tam magnam diligentiam ad inveniendam veram legem Dei? Si dicunt, quòd neutris est licitus assensus: ergo tam ipsi, quàm nos peccamus, assensum præstando dictis opinionibus; & consequenter debemus suspendere iudicium; nec poterimus dicere, quòd est licitum, aut quòd est illicitum sequi opinionem minus probabilem contra legem, quòd est prorsus falsum.

159 Si dicunt, ut abs dubio dicent, & de facto dicit Illustriss. Palan. ut vidimus q. 1. art. 2. §. 3. à n. 19. quòd utrisque est licitum assentiri suæ opinionem probabiliore conceptæ post factam tam exactam diligentiam ad inveniendam veritatem: sic arguo: ergo uterque assensus circa ius naturale est licitus formaliter, & non peccaminosus. Vnus ex illis assensibus est re ipsa falsus, & erroneus; cum unus affirmet, quòd alter negat: ergo si uterque est formaliter licitus, & unus ex illis est re ipsa falsus, iam est formaliter licitus assensus re ipsa falsus, & erroneus: Non est, nec potest esse formaliter licitus assensus erroneus errore vincibili, & culpabili, aliàs actus formaliter licitus esset formaliter peccaminosus: ergo si assensus re ipsa falsus, & erroneus

ius

neus circa ius naturale est formaliter licitus, talis assensus non est erroneus errore vincibili, & culpabili, sed errore invincibili; dabilisque proinde est error invincibilis circa ius naturale.

160 Si autem aliquis dicat, unum ex illis assensibus esse formaliter illicitum, nescire tamen, quis ille sit, cum quoad nos eadem ratio sit pro utroque assensu, ut sit licitus, aut illicitus formaliter, cum uterque sit probabilior. Si hoc aliquis dicat, sic arguo: ergo ignoras, an pecces formaliter, assensum præstando tuæ opinionem: ergo vel ignoras hoc ignorantia vincibili, vel invincibili. Si ignorantia vincibili: ergo non potes elicere talem assensum: nemo enim potest elicere aliquam actionem cum ignorantia culpabili de sua malitia formali, imò, quin prius se certificet de eo, quòd non peccat formaliter, illam eliciendo. Si ignoras ignorantia invincibili: ergo sentis, quòd potes peccare formaliter, ignorando invincibiliter, an pecces formaliter, quòd est absurdum. Ergo ignoras invincibiliter, te ignorare vincibiliter legem: ergo ignoras invincibiliter, an habeas obligationem faciendi ulteriorem diligentiam ad inveniendam veram legem naturalem, & consequenter

iam habes ignorantiam invincibilem alicuius obligationis naturalis.

161 Si autem aliquis dicat, Probabilioritas concepisse suam opinionem probabiliorem circa ius naturale post factam diligentiam debitam, secus autem Probabilistæ, & idè illis est licitus assensus, non verò istis. Si hoc aliquis dicat, peto ab eo, unde ei constat, quòd nullus Probabilista fecit omnem diligentiam debitam ad inveniendam talem legem naturalem, & consequenter, quòd omnes peccant, assensum præstando suæ opinionem probabiliore; cum plures ex illis fecerint tam exactam diligentiam ad inveniendam veram legem Dei; & ad efficaciam mei argumenti sufficiat, quòd assensus alicuius Probabilistæ sit licitus formaliter, & quòd etiam sit licitus formaliter assensus alicuius Probabilioristæ circa legem permittentem sequalem opinionem minus probabilis contra legem: quia si uterque est licitus, iam est licitus assensus re ipsa falsus, & erroneus circa ius naturale.

162 Si autem dicatur, Probabilioritas esse licitum assensum suæ opinionem probabiliore, quia ipsis est probabilior, se concepisse talem opinionem probabiliorem circa

ius

ius naturale post factam debitam diligentiam ad inveniendam veritatem. Sic arguo: ergo ut aliquis licetè præstet assensum suæ opinioni probabiliori circa ius naturale, sufficit illi probabilius iudicare, se concepisse talem opinionem post factam debitam diligentiam ad inveniendam veritatem; sed hoc iudicium etiam habent Probabilioristæ, & ego illorum minimus illud re ipsa habeo: ergo etiam erit illis licitum assentiri suæ opinioni probabiliori circa ius naturale, & certè affirmari nequit sine ingenti temeritate, nullum Probabilistam fecisse omnem diligentiam humanam ad inveniendam dictam legem, & consequenter omnes peccare, assensum præstando suæ opinioni.

163 Secundò resp. ad propositam replicam, negando, quòd qui operatur contra opinionem probabilioris pro lege naturali, se exponat periculo magis probabili agendi contra legem cum ignorantia vincibili illius: quia licet opinio asserens, non posse dari ignorantiam invincibilem iuris naturalis sit probabilis, est longè minus probabilis sua opposita; ac proinde licet qui sequitur opinionem minus probabilem contra legem naturalem se exponat periculo probabiliori frã-

gendi talem legem, & errandi circa illam; non tamen se exponit periculo probabiliori errandi vincibiliter, sed tantum periculo minus probabili; & huic periculo minus probabili non se exponit absolute, sed tantum ex suppositione, quòd erret. Quòd alijs terminis explicatur, dicendo: quòd qui operatur cum opinione minus probabili contra legem naturalem, se exponit periculo probabiliori incidendi in periculum minus probabile operandi cum errore vincibili; quòd periculum minus probabile iuxta adversarios non debet vitari.

164 Tertio resp. quòd lex naturalis considerari potest, & circa suum obiectum formale, & circa sua obiecta partialia, & inadequata, si lex naturalis consideretur secundum respectum, quem dicit ad suum obiectum formale formalitèr sumptum, probabile est, quòd circa illam sic sumptam dari nequit ignorantia invincibilis, maxime per longum tempus. Si autem lex naturalis consideretur secundum respectum, quem dicit ad sua obiecta partialia, nego, quòd sit simpliciter probabile, quòd de illa sumpta sic non possit dari ignorantia invincibilis; cum de illa sic sumpta passim dubitent Theologi, & in varias sententias dividan-

tur

tur post diligens examen ad inveniendam veritatem, hac semper ignota manente.

165 Quibus addo, nostra parum referre, quòd opinio asserens, non posse dari ignorantiam invincibilem legis naturalis quocumque modo considerata sit probabilis. Quia non obstante hac probabilitate, iuxta Probabilioristas licitum est cuiquam assentiri opinioni etiam circa ius naturale, quæ post factam humanam diligentiam ei apparet probabilior; sed Probabilistis apparet longè probabilius post factam magnam diligentiam ad inveniendam veritatem, licitum esse sequi opinionem minus probabilem contra legem, nec dari legem naturalem hoc prohibentem: ergo licitum est Probabilistis, non obstante dicta probabilitate, iudicare, licitum esse sequi opinionem minus probabilem etiam contra legem naturalem. Sed cuiquam est licitum agere, quòd licitè iudicat probabilius esse licitum agere: ergo si iuxta Probabilioristas Probabilistæ licitè iudicant probabilius, esse licitum agere cum opinione minus probabili contra legem naturalem, iuxta Probabilioristas licitum est Probabilistis agere cum opinione minus probabili etiam contra legem naturalem. Conse-

quenterque Probabilissimus in omnium sententia est licitus Probabilistis.

Explicatur hoc amplius: Si Probabilistæ post factam humanam diligentiam ad inveniendam veritatem iudicant probabilius, non dari legem prohibentem sequi opinionem minus probabilem contra legem, talis lex est minus probabilis; sed lex minus probabilis in omni sententia non obligat: ergo talis lex non obligat Probabilistas, consequenterque Probabilistæ licitè possunt agere contra talè legem in omnium sententia, & amplecti in operando opinionem minus probabilem contra legem directam.

166 Respondebis, quòd licet lex reflexa sit Probabilistis minus probabilis, lex tamen directa, ut supponitur, est illis magis probabilis, quæ lex magis probabilis per se habet obligare ad sui sequelam, & nõ precisè lex reflexa, ac proinde licet Probabilistæ non habeant obligationem sequendi opinionem magis probabilem pro lege ex vi legis reflexæ, quæ illis est minus probabilis, habent tamen obligationem sequendi opinionem magis probabilem pro lege in vi ipsius legis directæ ipsis magis probabilis.

Sed contra: licet Probabilis-

tis sit magis probabilis lex directæ; non tamen est illis magis probabile, sed minùs, post factam debitam diligentiam, quòd talis lex magis probabilis, ut magis probabilis, habet vim legis obligantis; sed in omnium sententia quando est probabilius, quòd aliqua lex non habet vim obligandi, talis lex non obligat: ergo si Probabilissis est magis probabile, quòd lex magis probabilis, ut talis, non habet vim obligandi: lex magis probabilis ut talis, in omnium sententia non obligat Probabilissis, consequenterq; Probabilissis in omnium sententia nõ habent obligationem amplectendi opinionem probabiliorē pro lege, neque in vi legis reflexæ, quia hæc illis est minùs probabilis; neque in vi legis directæ magis probabilis, quia hæc ut talis, est illis magis probabile quòd non habet vim obligandi.

§. ULTIMVS.

Aliqua difficultates breuiter resolvuntur.

167 **I**nquires prim. Vtrum ad licitè operandum requiratur iudicare probabiliter, rem esse licitam, vel sufficiat iudicare prudenter, esse pro-

babile, rem esse licitam? Ad hoc respondeo: sufficere iudicare prudenter, esse probabile, rem esse licitam, quòd adversarij debent fateri: nam coniuges habentes opinionē æquē, aut magis probabilem de eo, quòd matrimonium est nullum ratione impotentie perpetuæ, & consequenter de eo, quòd conatus ad copulam inter illos est re ipsa malus, & contra legem Dei; iuxta adversarios non possunt iudicare probabiliter, talem conatum ad copulam esse re ipsa licitum; quia in eorum sententia intellectus nec physicè potest assentiri opinioni æquæ, aut minùs probabilis; & nihilominus tales coniuges possunt conari ad copulã per trienium: ergo ad licitè operandum non requiritur iudicare probabiliter, rem esse in se licitam, sed sufficit iudicare prudenter, esse probabile, rem esse in se licitam.

168 Inquires secund. Vtrum licitum sit agere contra legem vnicè probabilem? Ad hoc resp. negativè: tum, quia non est licitum agere id, quod nullo modo apparet licitum; sed vnicè illicitum: sed quando solum datur opinio probabilis pro lege, seu de illicito, res solum apparet probabiliter illicita, & nullo modo apparet licita: ergo. Tum etiam: quia probabili-

tas

De opinione probab. in ordine ad licitè operandum. Art. 8. 411
 170 Inquires tandem: An quis possit cõsulere diversos Doctores graves, si fortè inveniat aliquos dicentes, rem esse licitam, animo illam non faciendi, si re ipsa non inveniat viros doctos assentes, illam esse licitam? Respondetur affirmativè, quia in hoc utimur iure nostro per licita, & honesta media.

ARTICVLVS. ULTIMVS.

In quo traduntur aliqua regule pro recto usu Probabilismi.

Vidimus iam in articulo primò. quæst. 3. quid, & quotuplex sit probabilitas: & in articulo 5. eiusdem quæst. firmatum reliqui, non esse ex terminis illicitum assentiri opinioni simpliciter probabilis in conspectu oppositæ magis probabilis. Et tandem tota quæstione 4. quo potui confirmari, defendi, non esse ex terminis illicitum operari cum opinione simpliciter probabilis contra legem in conspectu oppositæ æquæ, aut magis probabilis pro lege. Sed quia ex illa doctrina generali malè intellecta, & contracta ad casus particulares, plures laxitates pul-

larunt,

Nec obstat contra hoc, quòd in tali casu talis lex adhuc invincibiliter ignoretur: quia ignorantia invincibilis tunc solum excusat à peccato, quando iungitur cum errore, aut cum opinione probabilis, vel saltè cum dubio rigoroso de licito; non verò in nostro casu ob rationes dictas: in hoc enim casu, etsi talis lex probabilis nõ obliget, quia non est sufficienter proposita, & intimata, exigit legem reflexam prohibentem agere contra legem vnicè probabilem.

169 Inquires tert. Vtrum Doctores possint consulere contra propriam opinionem? Resp. Doctores iudicantes, aliquam opinionem directam esse minùs probabilem, non posse dicere consilium postulanti, talem opinionem esse probabiliorē: possunt tamè dicere, licitum esse agere iuxta illam: quia, etsi sit minùs probabilis, est verè probabilis, & licitum est agere iuxta opinionem, sive magis, sive minùs probabilem.

larunt, oportet aliquas regulas tradere pro recto opinionis probabilis usu.

§. I.

Traduntur aliquæ regule pro recto opinionis probabilis usu in ordine ad iudicandum.

171 **P**rima regula est: quod ad licitè præstandū assensum opinioni minùs probabili, requiritur, quod talis opinio sit simpliciter probabilis. Et probatur breviter: quia non potest intellectus assentiri licitè opinioni sine gravi, & solido fundamento; sed opinio, quæ non est simpliciter probabilis, non habet grave, & solidum fundamentum, aliàs esset simpliciter probabilis: ergo.

172 Sed replicabis: ergo illicitum est assentiri opinioni tenuis probabilitatis; sed opinio minùs probabilis ut talis, est tenuis probabilitatis: ergo illicitum est assentiri opinioni minùs probabili ut tali: Probatur min. opinio minùs probabilis ut talis, est tantùm probabiliter probabilis simpliciter, cum ei negetur probabiliter probabilitas simpliciter talis à Probabilioristis; sed opinio tantùm

probabiliter probabilis, est tenuis probabilitatis: ergo opinio minùs probabilis ut talis, est tenuis probabilitatis. Conseq. est legitima, mai. certa, & min. conceditur à P. Corella, & alijs, supra propositionem 3. damnatam ab Innoc. XI.

Ad hanc replicam resp. negando, quod opinio probabiliter probabilis non sit simpliciter probabilis ei, qui probabiliter iudicat, esse simpliciter probabilem. Et in primis in isto argumentum contra Probabilioristas: nam in eorum principijs probabilitas opinionis in conspectu oppositæ consistit in probabiliore; sed probabilioreitas opinionis, communiter loquendo, non est certa, sed tantùm probabilis, nam quilibet asserit, suam opinionem esse probabiliorē, & oppositam minùs probabilem: ergo vel debent concedere, quod opinio probabilior tantùm probabiliter, in quantum talis, est simpliciter probabilis; vel debent concedere, opinionem probabiliorē ut talem non esse simpliciter probabilem, nisi quando ab omnibus habetur ut probabilior, quod in moralibus rarò contingit.

173 Probatur insuper, quod opinio tantùm probabiliter probabilis non est tenuis probabilitatis: qui probabiliter, consequenter- que

que prudentèr iudicat, aliquam opinionem esse simpliciter probabilem, potest illi prudentèr assentiri; non potest prudentèr assentiri opinioni tenuis probabilitatis: ergo opinio tantùm probabiliter simpliciter probabilis, non est tenuis probabilitatis. Conseq. est leg. min. certa, & mai. probatur; quia licitè, & prudentèr potest quis assentiri opinioni, quã iudicat prudentèr dignam assensu; sed iudicare prudentèr esse simpliciter probabilem, est iudicare prudentèr, esse dignam assensu: ergo. Aliàs assensus præstitus tali opinioni, esset assensus temerarius, quod nemo concedet. Videatur N. Lumbier tom. 2. fracm. fracm. 7.

174 Pro solutione cuiusdam obiectionis, quam facit P. Corella in explicatione tertiæ propositionis damnatæ ab Innoc. XI. advertere oportet, quod ad licitè operandum non requiritur certitudo moralis directæ, aliàs non esset licitum agere contra legem cum dubio invincibili directo de illa, quod est falsum; sed requiritur certitudo moralis reflexa; quæ certitudo optimè fundari potest supra iudicium probabiliter simpliciter probabile; quia tale iudicium est certè prudens, & supra iudicium certè prudens de licito alicuius ac-

tionis optimè potest fundari iudicium reflexum moraliter certum de eo, quod est licitum elicere talem actionem: quia cuilibet est licitum agere, quod prudentèr, & nõ temerariè iudicat, esse licitum.

175 Secunda regula est, quod licet sit licitum assentiri opinioni minùs probabili in ordine ad operandum, vel in ordine ad alios fines; non tamen in ordine ad inveniendam veritatem: quia in ordine ad inveniendam veritatem opinio minùs probabilis est medium minùs conducens; & in ordine ad obtinendum aliquem finem imprudentèr eligitur medium minùs conducens, dum æquè bene eligi potest medium maiorem conductentiam habens.

176 Tertia regula est, quod in dubio de personis non possumus assentiri opinioni contra personam, etiam si talis opinio sit probabilior; sed ex suppositione, quod velimus resolvere dubium, debemus illud resolvere in favorem personæ, etiam si opinio favens personæ sit minùs probabilis: quia melius est, quod aliquis frequentius fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quàm quod rariùs fallatur, habens malam opinionem de aliquo bono. Videatur dicta q. 3. art. 4. §. 1. n. 64.

KKKKK

§. II.

§. II.

Statuitur prima regula pro recto usu opinionis probabilis in ordine ad operandum.

177 **P**rima regula pro recto usu opinionis probabilis est, quod qui tenetur vitare aliquod damnum, vel malum, tenetur vitare periculum, siue magis, siue minus probabile talis damni, vel mali: quia ut constat ex dictis in hoc tractatu, & præcipue quæst. 1. art. 6. periculum, siue magis, siue minus probabile, est periculum proximum, & qui tenetur vitare aliquod damnum, certissimum est, quod tenetur vitare periculum proximum illius. Et consequenter in ordine ad vitandum damnum, quod tenetur vitare, non possumus amplecti opinionem probabiliorē minus tutam, quia hoc est exponere nos periculo minus probabili talis damni; sed debemus amplecti opinionem tutiorem, etsi minus probabilem.

178 Ex hac regula infertur primò: quod circa valorem Sacramentorum, in eo, quod pendet ex institutione divina, non est licitum extra casum urgentis necessi-

tatis uti opinione probabiliori minus tuta; sed semper ac datur duplex opinio probabilis contraria circa valorem Sacramenti, vel circa id, ex quo dependet valor, & quod Ecclesia suplere nequit, tenemur amplecti opinionem tutiorem, etsi sit minus probabilis. Quæ doctrina ut rectè advertunt NN. Sapientissimi Patres Salmant. tract. 24. disp. 7. dub. 1. n. 52. non solum adstringit ministrantes Sacramenta, sed etiam illa recipientes, cum isti teneantur, etiam quantum est ex sua parte vitare nullitatem Sacramenti, & consequenter periculum proximum illius.

179 Sed hic advertere libet, quod materia remota Sacramenti poenitentiae potest esse necessaria ad valorem Sacramenti, necessitate Sacramenti, & necessitate præcepti: illa materia dicitur necessaria necessitate Sacramenti, sine qua in nullo eventu fieri potest validum Sacramentum: illa dicitur necessaria necessitate præcepti, sine qua per se loquendo, fieri nequit validum Sacramentum, bene tamen per accidens, quando scilicet datur aliqua causa excusans ab obligatione præcepti. Quare cum ignorantia invincibilis excuset ab obligatione præcepti, & hanc ignorantiam invincibilem afferat opinio verè

verè probabilis, siue magis, siue minus de non existentia præcepti, ut constat ex dictis; hinc fit, quod qui habet opinionem siue magis, siue minus probabilem de eo, quod non datur præceptum divinum confitendi aliquam materiam, bene potest omittere confessionem talis materiae: quia tunc ratione ignorantiae invincibilis nullo periculo se exponit peccandi formaliter, & faciendi nullum Sacramentum.

180 Si autem inquiras, quæ sit materia necessaria necessitate Sacramenti, & quæ sit solum materia necessaria necessitate præcepti? Resp. cum nostro curs. mor. tract. 6. cap. 8. p. 6. nu. 140. quod materia necessaria necessitate Sacramenti solum est peccatum in genere; species autem, & numerus peccatorum solum sunt necessaria necessitate præcepti; circumstantiae notabiliter agravantes intra eandem speciem, est valde probabile, quod nec necessitate præcepti sunt materia necessariò confitenda, ac proinde licite possunt in confessione reticeri. Similiter est valde probabile, & mihi longè probabilius, non esse necessarium necessitate præcepti, quod qui ponit pro materia confessionis peccata iam rite confessi, ea explicet in specie, & individuo; nec quod dicat, me acu-

so de primo, vel ultimo peccato; sed satisfacere suæ obligationi, dicendo, acuso me de vno peccato furti, sacrilegij, vel contra castitatem. Quare non peccabit, qui hanc opinionem in praxi amplectatur, etsi oppositum sit tutius, quia nulli periculo se exponit nullitatis Sacramenti.

181 Infertur secund. ex regula data, quod Medicus in medicamentis eligendis debet amplecti opinionem tutiorem, relicta probabili minus tuta, quia hanc eligendo, se exponit periculo minus probabili inferendi damnum proximo. Si non adsit medicamentum certò salubre, & adsit remedium ita probabiliter profuturum, ut non sit probabile, nociturum, Medicus tenetur illud infirmo applicare, ei convenientiori modo succurrendo. Si æquè probabile sit, medicamentum esse nocivum, & esse salubre, non est applicandum infirmo, quia hoc est se exponere periculo nocendi infirmo. Sed hoc est intelligendum, dum adest probabilis spes de eo, quod sine aliquo medicamento natura viribus proprijs prævalebit contra morbum. Si autem casus fuerit desperatus, & non adsit spes aliqua salutis, Medicus potest, & tenetur adhibere tale remedium, quia eo non applicato

cato certissimè peribit infirmus; tali tamen remedio adhibito, adest probabilis spes salutis, quam Medicus procurare tenetur. Sic Illustriss. Tapia in cat. tom. 1. lib. 2. q. 8. art. 19.

182 Infertur tert. ex regula data, quòd iudex in ferenda sententia in causis civilibus tenetur amplecti opinionem probabiliorè: quia tenetur evitare, ne ex sua sententia sequatur damnum proximo, & ad evitandum ne ex sua sententia adveniat damnum proximo, opinio probabilior, est tutior, quia est medium magis proportionatum ad inveniendam veritatem, & ut detur cuique quòd re ipsa suum est. Est communis Doctorum sententia.

183 Infertur quart. quòd qui solùm habet opinionem probabiliorè de eo, quòd ingrediendo in aliquam domum, non peccabit, non potest sine gravi necessitate ingredi talem domum: quia se exponit periculo minùs probabiliter peccandi formalitèr.

§. III.

Statuitur duplex alia regula pro recto usu opinionis probabilis in ordine ad operandum.

184 **S**ecunda regula sit, quòd

ad hoc, quòd sit licitum uti opinione probabiliter, requiritur, quòd sit practice probabilis. Pro quo est advertendum, quòd non solùm circa alias res, sed etiam circa licitum, fieri potest, quòd opinio aliqua sit speculativè probabilis, & non sit practice probabilis: quia fieri potest, quòd sit probabile, quòd aliqua actio secundum se sumpta, est licita, & quòd non sit probabile, quòd illa actio ut vestita illis circumstantiis, quibus occurrit communitèr, & existit à parte rei, sit licita: in hoc casu illa opinio est speculativè probabilis, sed non practice. Est speculativè probabilis, quia intellectus prudenter potest ei assensum præbere; sed non est practice probabilis; quia non versatur circa actionem prout communitèr occurrit in praxi. Ad hoc ergo ut quis licitè possit amplecti aliquam opinionem, & iuxta illam operari, requiritur, quòd talis opinio sit practice probabilis, seu quòd versetur circa actionem prout communitèr occurrit in praxi, & quòd de ea sic considerata probabiliter affirmet, quòd est licita. Aliàs eliciet actionem, non curando de eo, quòd sit re ipsa, vel non licita, omnibus inspectis, quòd apud omnes est illicitum.

185 Sit tertia regula: opinio, quæ

quæ per se loquendo est practice probabilis, fieri potest, quòd per accidens sit practice improbabili ratione alicuius circumstantiæ per accidens se habentis respectu actionis, de qua est opinio. Ex qua doctrina infertur, quòd licet sit practice probabile, quòd aliqua actio est licita, non erit licitum illam elicere, quoties hoc fuerit contra consuetudinem alicuius loci legitime introductam, aut quoties ex elicientia illius sequetur scandalum, vel imminet periculum proximum illius; aut quoties subiectum operaturum habet ex voto, aut pacto obligationem non exequendi talem actionem: quia pro his casibus talis opinio aliàs practice probabilis, est simpliciter improbabili.

Quare licet per se loquendo non detur obligatio amplectendi opinionem minùs probabilem, Confessor tamen tenetur amplecti opinionem poenitentis asserentem, aliquam actionem esse licitam, vel non dari obligationem restituendi, licet talis opinio sit ipsi Confessori minùs probabilis, quia poenitens accedens cum opinione verè probabili, accedit benè dispositus, & poenitentem benè dispositum tenetur Confessor absolvere, sicut indispositum in absolutum relinquere aliàs suo muneri non

satisfaciet. Videatur Curs. mor. trac. 6. cap. 12. q. 3. n. 44.

186 Et non solùm Confessor absolvere debet poenitentem accedentem cum opinione ipsi Confessori minùs probabili, sed etiam si ipsi Confessori post maturum examè videatur omninò improbabili, dummodò communitèr talis opinio à viris doctis, ut probabilis habeatur, quia iam talis opinio est verè probabilis; sic Lugo de Poenit. disp. 22. sec. 2. num. 46. Si autem opinio poenitentis communitèr habeatur ut improbabili, Confessor se gerere debet cum poenitente, sicut cum eo, qui habet ignorantiam invincibilem rei præceptæ, seu quæ non est necessaria necessitate mediæ ad salutem: si enim Confessor ex monitione sua non sperat fructum, sed potius timet damnum, tunc debet poenitentem non admonere, sed illum absolvere, relinquendo illum in sua bona fide: iuxta illud D. August. relati in cap. *Si quis autem de poenit. distinc. 7. Si scirem nihil tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem.* Quæ verba, dato, quod non sint D. Aug. ut contendit N. Christoph. part. 2. de regulis morum q. 5. art. 8. §. 6. n. 988. sunt D. Ambrosij immediate post lib. 2. de poenit. in exortatione ad poenitentiam.

187 Inquires, utrum in aliquo casu sit licitum amplecti opinionem tenuis probabilitatis? Respond. quod vel opinio tenuis probabilitatis versatur circa licitum, vel versatur circa validum? Loquendo de opinione, quæ versatur circa licitum, in nullo casu est licitum uti opinione tenuis probabilitatis; tunc: quia opinio tenuis probabilitatis est simpliciter improbabilis; illicitum est agere, quod est simpliciter improbabile, esse licitum ergo illicitum est agere in omni eventu cum opinione tenuis probabilitatis de licito. Tunc etiam, quia illicitum est, ita ut honestari non possit, agere id, quod ita est moraliter certum, esse illicitum, ut prudenter de eo dubitari non possit; sed quod tantum est tenuiter probabiliter licitum, ita est moraliter certum, quod est illicitum, quod prudenter de eo dubitari non possit: ergo in omni eventu est illicitum agere cum opinione tenuis probabilitatis de licito.

Si autem opinio tenuis probabilitatis versetur circa validum, licitum est in casu urgentis necessitatis ea uti, sed ea circumspectione, ut eius usus prodesse possit, & non obesse. Quare si opinio tenuis probabilitatis sit circa valorem Sacramenti, utendum est ea in casu urgentis necessitatis sub conditione; quia utendo illa sub conditione, si

est vera, occurritur proximi necessitati; & si est falsa, nulla Sacramento irrogatur iniuria. Sic communiter Doctores.

188 Ex quibus omnibus colligitur, quod in omni eventu, ut quis licite possit agere cum opinione probabili contra legem, non sufficit, quod sit tenuis probabilitatis; nec etiam sufficit, quod sit simpliciter probabilis speculative; sed requiritur, quod sit simpliciter probabilis practice inspectis omnibus circumstantiis se tenentibus tam ex parte obiecti, quam ex parte subiecti. Semel autem, quod opinio de licito sit absolute sumpta modo dicto practice probabilis, licitum est agere cum illa, etiam si appareat longe minus probabilis sua opposita; esse namque longe minus probabilem sua opposita, non est circumstantia auferens ab ea esse simpliciter probabilem practice: in quo stat summa Probabilissimi.

§. IV.

Statuitur triplex regula pro recte deponenda conscientia dubia.

189 **L**icet conscientia dubia recte deponatur per possessionem, ut vidimus q. 2. tamen quia non

De opinione probab. in ordine ad licite operandum. Art. ult. 419

non semper possidet libertas, oportet tradere aliquam regulam ad cognoscendum pro qua parte stet possessio, exorto dubio. Ad hoc ergo cognoscendum, videndum est, quæ pars esset in possessione ante exortum dubium; nam, exorto dubio, illi parti favet possessio, quæ ante dubium erat in possessione. Quare si ante exortum dubium homo bona fide iudicabat, se aliqua lege adstringi, exorto dubio, & perseverante post factam debitam diligentiam, possessio favet legi, in favoremque illius dubium practice resolvendum est. Si autem econtra ante exortum dubium homo bona fide iudicabat, non dari legem prohibentem aliquam actionem, sed eam ipsi licere, exorto dubio, & non resoluta post factam debitam diligentiam, possessio favet libertati, pro eaque dubium resolvendum est; & hæc sit prima regula, de qua videri potest N. Curs. Mor. trac. 1. cap. 2. pun. 6. Secunda regula sit, quod quando in dubio de obligatione legis dubitatur pro qua parte stet possessio, si post factam debitam diligentiam dubium de possessione evacuari nequit, tutior pars est eligenda: quia cum possessio nulli parti faveat præ alia, non adest ratio ad resolvendum dubium practicum, seu deponendam conscientiam dubiam, qua perseverante illicitum est agere contra legem, ut omnes fatentur. Sic Illustriss. Tappia lib. 1. de actionibus moralibus q. 8. §. 3. num. 9.

190 Ex qua doctrina infertur 1. quod in dubio invincibili de existentia legis, si homo ante exortum dubium bona fide iudicabat, non adesse talem legem, dubium practice resolvendum est in favorem libertatis. Si autem ante exortum dubium homo bona fide iudicabat, dari talem legem, dubium resolvendum est in favorem legis.

191 Infertur 2. quod qui est certus de lege, & dubitat invincibiliter de adimplentione, tenetur illam adimplere, quia possessio stat pro lege. Infertur 3. quod quando quis est certus de lege, & dubitat invincibiliter, an habeat aliquam causam eximentem illum à lege, tenetur adimplere talem legem, nisi per accidens adimpletio talis legis sit contra aliquam legem Superiorem. Videatur Cursus loco citat.

192 Infertur 4. quod qui bona fide iudicans, non habere sufficientem ætatem ad ieiunandum, incipit dubitare, an illam habeat, si post factam diligentiam, adhuc manet dubius, non tenetur ieiunare, quia possessio stat pro libertate. Econtra si quis dubitet invincibiliter,

ter, an habeat sufficientem ætatem ad Ordines suscipiendos, non potest eos recipere, quia possessio stat pro lege prohibente susceptionem Ordinum usque ad tale tempus.

193 Infertur 5. illum, qui dubitat invincibiliter, utrum mediam noctem cænando excesserit, non posse Eucharistiam sequenti die sumere. Tum, quia lex sumendi Eucharistiam obligat sine limitatione ad hunc, vel illum diem, ac proinde semper est in possessione obligandi. Tum etiam, quia dato, quod lex incipiat obligare quotidie, pro illo die possessio est dubia pro utraque parte, cum inceperit dubium, quando tam lex dicta, quam libertas ad sumendum Eucharistiam incepturæ erant possidere, nimirum initio illius diei, & quando possessio est dubia pro utraque parte, tutior pars est eligenda, ut iam diximus. Sic Illustriss. Tapia lib. 4. de leg. art. 8. quem sequitur N. Cursus Moralis, trac. 11. cap. 2. punt. 6. n. 122.

194 Tert. regula est, quando possessio stat pro utraque parte, inspiciendum est, quæ pars habeat melius ius in casu dubij, & pro illa practice deponendum est dubium. Ex qua regula infertur, quod si vir sine certitudine morali de morte prioris coniugis alteram ducat, &

hæc bona fide contrahat Matrimonium, tunc utraque coniux habet ius Matrimonij contra virum; sed quia ius primæ est dubium, & ius secundæ certum, cum certe possideat bona fide, pro secunda resolvendum est dubium, eique petenti debet Maritus reddere debitum. Econtra vero vir non potest perere debitum secundæ uxori, quia prima possidet contra illud, à qua possessione extrahi nequit per contractionem secundi Matrimonij, cum illud vir mala fide contraxerit, & possessio non faveat mala fide possidenti. Videatur N. Curs. Moral. trac. 9. cap. 15. punt. 4. & hæc de hoc tractatu aded difficili dicta sufficiant. Quæ utinam cedant in laudem, & gloriam Sanctissimæ Trinitatis, omniumque Sanctorum: præcipue vero Beatissimæ V. Mariæ de Monte Carmeli: Patrum nostrorum Eliæ, Theresiæ à Jesu, & Ioannis à Cruze: necnon Angelici Præceptoris, & Doctoris nostri D. Thomæ Aquinatis, cuius doctrinæ, si quid protulerimus adversum, iterum atque iterum retractamus. Et præcipue si quid diximus ijs, quæ tenet Sacrosanta Romana Ecclesia, disonum, aut minus consonum, pro non dicto habere volumus, cuius iudicio omnia humiliter subij-

cimus.

IN-

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM RUM IN HOC OPERE CONTENTARUM: Ordine Alphabetico.

A

D. Antoninus:

Docet, obiectum prudentiæ esse verum practicum, sive in re, sive in apprehensione. Quæst. 1. art. 5. §. 2. n. 109. Docet, legem divinam non obligare aliquo modo. Quæst. 2. art. 2. §. 1. n. 5. Est de illius mente Probabilismus. Quæst. 4. art. 7. per totum.

D. Augustinus:

Docet, obiectum prudentiæ esse verum practicum, sive in re, sive in apprehensione. Quæst. 1. art. 5. §. 2. Docet, duplicem opinionem posse esse simpliciter probabilem eidem intellectui. Quæst. 3. art. 3. §. 2. n. 24. Est de illius mente Probabilismus. Quæst. 4. art. 4. per totum.

Actus:

Actus procedens ex errore invincibilis est actus humanus, & voluntarius. Quæst. 1. art. 4. §. 1. n. 82. Actus regulatus conscientia erronea habet pro obiecto obiectum bonum moraliter bonitate morali reflexa tam in re, quam in apprehensione ibi. §. 3. n. 92. Actus voluntatis procedens ex errore invincibili non indiget excusari à culpa, indiget tamen actus ab eo imperatus, & apud homines ipse actus imperans: ibi n. 97. Actus regulatus conscientia erronea regulatur doctrina sana: ibi n. 98. Actus circa obiectum, ut falsò apprehensum supernaturale supernaturalitate practica, & de linea morali, evadit supernaturalis: ibi n. 99.

Adoratio:

Adoratio Hostiæ consecratæ solum in apprehensione, est actus Religionis. Quæst. 1. art. 5. §. 3. n. 113.

Assensus:

Assensus opinativus non excludit prudentem formidinem de opposito: Quæst. 2. art. 6. §. 4. n. 137. & §. 5. n. 144. Positivus

omnibus requisitis ad assensum probabilem alicuius extremi, potest intellectus immediatè tali extremo dissentire: Quæst. 3. art. 4. per totum. Assensus scientificus aliquando est necessarius quoad exercitium, & aliquandò liber: Quæst. 3. art. 4. §. 4. in fine. Obiectum assensus opinativi est verum veritate rationali: Quæst. 3. art. 4. §. 5. n. 55.

B

D. Bernardus:

Docet, in opere re ipsa malo posse esse dignam præmio bonam voluntatè: Quæst. 3. art. 5. §. 2. n. 108.

C

Conscientia:

Conscientia erronea non obligat in velle legis falsò existimatæ: Quæst. 1. art. 3. §. 4. Sumpta pro ultimo dictamine est formaliter recta, ibi §. 3. n. 63. & art. 4. §. 2. Si omnis lex verè existens in Deo ignoraretur, non daretur, nec posset dari dictamen conscientiæ: Quæst. 1. art. 3. §. 4. n. 65. Actus regulatus conscientia erronea invincibili non solum excusatur à culpa, sed est positivè honestus: Quæst. 1. art. 4. §. 1. Si non esset verè recta, non esset verum peccatum agere contra illam, ibi §. 2. n. 89.

Conscientia dubia:

Qui operatur cum conscientia dubia, non ideo peccat, quia se exponit re ipsa periculo frangendi re ipsa legem Dei dictam: Quæst. 4. art. 8. §. 8. n. 124. Conscientia dubia non consistit in dubio directo de lege: Quæst. 2. art. 3. §. 1. n. 29.

Certitudo:

Consistit in adhesionè intellectus ad Minimam

verum: Quæst. 1. art. 5. §. 1. n. 103. Certitudo infallibilis reflexa; fundari potest mediata supra opinionem directam æquæ, aut minus probabilem de licito: quæst. 1. art. 6. §. 8. n. 157.

Christus Dominus.

Laudat actionem procedentem ex errore invincibili: quæst. 4. art. 6. Iugum Christi est suave, quia licet præcipiat difficilia, præcipit illa modo suavi: quæst. 4. art. 1. §. 1. n. 1. & §. 2. n. 11. redditur suave per exercitia virtutum, non per præcepta de illis exercendis, ibi n. 6.

Cursus Salmanticensis scholasticus.

Docet omnes ferè conclusiones huius tractatus.

Cursus moralis.

Docet passim Probabilissimum: quæst. 4. art. 8. §. 1. n. 76.

D*Deus.*

Deus non obligat ad obediendum legi falso existimatae per ipsam legem falso existimatam: quæst. 1. art. 3. §. 1. Nec in vi legis præcipientis præcisè obedire veræ legi Dei, ibi §. 2. Sed obligat in vi legis præcipientis obedire legi Dei, si verè, si verè falso existimatae, ibi n. 58. Deus præcipiens obedire legi falso existimatae, non præcipit contraria, ibi n. 69.

Dubium.

Circa operationem eliciendam duplex dubium excitari potest; practicum scilicet, & speculativum, ex quibus practicum resolvi debet infallibiliter ad licitè operandum: quæst. 1. art. 6. §. 8. n. 156. Dividitur in positivum, & negativum. Dubium positivum dividitur in dubium rigorosè tale, & in dubium probabile: quæst. 2. art. 1. n. 1. & 2. Dubium rigorosè tale dividitur in dubium leve, & in dubium grave, ibi. Quando occurrunt motiva probabilia pro utraque parte contradictionis, & dubitat intellectus de veritate probabilitatis, tunc datur dubium grave rigorosè tale, ibi n. 3. In dubio eligere tutiorem partem, per se loquendo, non est de præcepto, nisi dubium sit practicum: quæst. 2. art. 2. §. 4. n. 20. & sequentibus. In dubio de lege licitum est agere contra legem, post factam debitam diligentiam ad illam

inveniendam: quæst. 2. art. 3. per totum, & art. præced. Agere cum dubio invincibili de lege, non est ab intrinseco malum, nec est intrinsece agere cum conscientia dubia, ibi: quæst. 2. art. 3. §. 1. n. 29. Agere cum dubio invincibili legis, est materia capax voti: quæst. 2. art. 3. §. 4. n. 38. Non est licitum agere immediatè post dubium invincibile legis, & sine dictamine reflexo, ibi: §. 4. n. 39. Perseverance dubio directo in univèrsali, perseverat dubium directum in particulari; non tamen dubium reflexum, ibi: §. 6. n. 42.

Doctrina.

Doctrina re ipsa falsa potest esse sana: quæst. 3. art. 2. §. 1. n. 10.

E*Ecclesia.*

Est iuxta doctrinam Ecclesiæ duplicem opinionem posse esse simpliciter probabilem eidem intellectui: quæst. 3. art. 3. §. 1. n. 20. Probabilissimus est iuxta doctrinam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: quæst. 4. art. 2.

Excommunicatio.

In dubio invincibili rigorosè, vel probabiliter de excommunicatione ante sententiam Iudicis, non tenetur quis se gerere ut excommunicatum: quæst. 4. art. 5. §. 1. n. 58.

F*Fundamentum.*

Fundamentum minus probabile, ut tale, est simpliciter probabile: quæst. 3. art. 3. §. 3. & 4. Vide verbum periculum, & verbum opinio.

Fides.

Actus fidei est immediatè liber libertatis contrarietatis: quæst. 3. art. 4. §. 4.

G*Gratia.*

Carentia gratiæ sanctificantis non est impedimentum ad cognoscendam quamlibet veritatem naturalem: quæst. 1. art. 2. n. 25. Facienti, quòd est in se, Deus non dene-

denegat gratiam ad obtinendam notitiâ eorum, quæ sunt necessaria ad salutem necessitate mediæ; secus autem, si solum sunt necessaria necessitate præcepti: ibi, §. 4. n. 39.

H*D. Hieronymus.*

Docet, probabiliter unius opinionis non destruere probabilitatem alterius: quæst. 3. art. 3.

I*Ignorantia.*

Circa ius naturale datur ignorantia invincibilis: quæst. 1. art. 1. Non tamen potest dari circa prima principia naturalia, nec circa conclusiones immediatè connexas cum illis: quæst. 1. art. 2. n. 15. Ignorantia invincibilis moraliter, illa dicitur, quæ moraliter vincitur nequit: ibi n. 16. Dari potest ignorantia invincibilis facti: ibi n. 17. Ad hoc, ut ignorantia alicuius legis sit vincibilis, requiritur, quòd aliquo modo prævideatur debitum illam sciendi: ibi art. 2. §. 2. n. 2. & toto art. Si non posset dari ignorantia invincibilis iuris naturalis, nullus posset licitè assentiri opinioni probabiliori, aut probabilissima circa ius naturale: ibi §. 3. n. 31. & quæst. 4. art. 8. §. 13. Nec posset agere cum opinione probabiliori, aut probabilissima contra ius naturale: ibi n. 33. Actus procedens ex ignorantia est partim voluntarius, & partim involuntarius: quæst. 1. art. 4. §. 3. n. 94. Ignorantia invincibilis legis, etiâ negativa, excusat ab obligatione legis: quæst. art. 3. §. 2. Potest aliquid esse ex ignorantia obiectivè, & casualitè: quæst. 3. art. 2. §. 2. n. 12. Ignorantia invincibilis legis non excluditur per opinionem probabiliorum de illa: quæst. 4. art. 3. §. 1. Ignorantia invincibilis legis non eximit ab obligatione legis: quæst. 4. art. 8. §. 10. n. 139.

Iudicium.

Iudicium reflexum discordare potest à directo: quæst. 1. art. 6. §. 2. n. 128. Iudicium reflexum infallibile fundari potest supra iudicium directum infallibile: ibi;

§. 3. Iudicium fallibile non potest habere rationem primæ regulæ proximæ operantis: quæst. 1. art. 6. §. 6. n. 149. Qui elicit aliquam actionem cum solo iudicio fallibili, peccat formalitè: ibi n. 151. Si ad licitè operandum sufficit iudicium fallibile, vel non datur conscientia erronea invincibilis, vel conscientia erronea non excusat, etsi sit invincibilis: ibi §. 7. n. 152. Iudicium fallibile non est regula certa: ibi n. 153. Potest quis peccare formalitè omnino se conformando cum iudicio fallibili de non peccato formali: ibi n. 154. Licet non possit obtineri iudicium omnino infallibile de honestate formalitè positiva actionis; bene tamen de honestate negativa: ibi §. 8. n. 156. Iudicium reflexum infallibile non opponitur timori, cum quo debemus nostram salutem operari: quæst. 1. art. 6. §. 8. n. 159.

Ius Canonicum.

Iuxta ius Canonicum in dubio invincibili legis licitum est agere contra illam: quæst. 2. art. 2. §. 2. Vide verbo Probabilissimus.

Intellectus.

Aliquandò est dubius de veritate reali, & rationali obiecti, aliquandò solum est dubius de veritate reali: quæst. 3. art. 4. §. 5. n. 57. Non potest assentiri obiecto, de quo est dubius, secundum quòd est dubius: ibi. Movetur ab obiecto probabiliter quòd sufficientiam, non quòd efficaciam: n. 58. Assentiendo opinioni probabiliter fruitur veritate rationali, non veritate reali: ibi num. 60. Potest assentiri physicè opinioni minus probabiliter, ut tali: quæst. 3. art. 4. per totum. Potest etiâ assentiri moralitè: quæst. 3. art. 5. per totum. In dubio de personis tenemur assentiri opinioni minus probabiliter in favorem personæ: ibi §. 1. Assentiendo opinioni minus probabiliter invenit, quòd inquit per talem assensum: quæst. 3. art. 5. §. 3. n. 75. Finis intellectus non semper est assecutio veritatis: quæst. 3. art. 5. n. 85. Intellectus tam physicè, quam moralitè potest assentiri duplici opinioni oppositæ probabiliter: quæst. 3. art. 6. per totum.

Interpretatio.

Cuilibet est licitum interpretari legem interpretatione doctrinali, dummodo fiat cum

cum sufficiente ratione : quæst. 4. art. 1. §. 2. n. 14.

L

Lex.

Ut lex in actu secundo obliget, requiritur, quod aliquando cognoscatur: quæst. 2. art. 2. §. 2. n. 30. Deus, contendo legem, vult voluntate antecedenti, quod ab omnibus sciatur, & observetur, non vero voluntate consequenti. ibi §. 4. n. 43.

Lex falso existimata.

Lex falso existimata non obligat verè: quæst. 1. art. 3. §. 1. Per legem falso existimata nec Deus, nec homo obligant verè: ibi n. 46. & seq. Lex potest cognosci practice, & speculative. ibi §. 3. n. 61. Diverso modo movet lex falso apprehensa ac bonum falso apprehensum. Nam bonum falso apprehensum movet voluntatem; lex autem falso apprehensa non movet voluntatem; sed Deum, exigendo legem præcipientem illi obedire: ibi n. 64. Ex eo, quod datur in Deo lex præcipiens obedire legi Dei sive verè, sive falso apprehensæ, non sequitur, quod dentur in Deo leges contrariæ: ibi §. 4. n. 69.

Lex divina non subordinatur nostro dictamini: ibi §. 5. Licetum est agere contra legem invincibiliter dubiam: quæst. 2. art. 2. per totum, & art. 3. In dubio de lege litigium est in tribunali intellectus inter legem Dei permissivam, & inter legem Dei prohibentem: quæst. 2. art. 2. §. 3. n. 14. Non est licita dubia interpretatio legis: ibi n. 19. Lex dubia non obligat certe: quæst. 2. art. 3. §. 1. Nec datur lex reflexa obligans ad obedientiam legi dubiæ: ibi.

Lex probabilis.

Lex probabilis non obligat: quæst. 4. art. 8. §. 3. n. 93. & sequentibus.

Vis prohibendi, & obligandi in legibus.

Lex non habet vim obligandi pro casu conscientie erroneæ: quæst. 4. art. 8. §. 9. n. 126. Quando lex prohibet aliquid ratione suæ malitiæ formalis, vel ratione alicuius nocimenti, quod causat, non solum prohibet consensum in talem rem; sed etiam consensum in illius permissionem. Ac quando prohibet aliquam rem,

solum ratione suæ malitiæ obiectivæ, licet prohibeat consensum in talem rem, non tamen in illius permissionem: ibi n. 13. In lege datur duplex munus: & munus præcipiendi, vel prohibendi, & munus obligandi. Primum munus exercet independenter à nostra cognitione. Secundum autem dependenter ab illa: ibi n. 39. & n. 161.

Libertas.

Non datur duplex libertas: alia physica, & alia moralis: quæst. 1. art. 4. §. 1. n. 87. Possessio libertatis, alia est physica, & alia moralis: quæst. 2. art. 2. §. 2. n. 7.

M

Maria Sanctissima.

Licet non sit omnino infallibile, Mariam Virginem esse re ipsa immaculatam, & dignam cultu pro primo instanti, est tamen omnino infallibile, esse dignam cultu pro primo instanti secundum sententiam piam, & provere pie iudicata immaculata in primo instanti: quæst. 1. art. 5. §. 3. n. 116. Prudenter iudicavit, puerum Iesum fuisse in commitatu, non obstante, quod tale iudicium fuerit falsum: ibi n. 116. & quæst. 4. art. 1. §. 1. n. 9.

O

Omissio.

Non potest dari omissio voluntaria sine actu, qui sit causa omitendi: quæst. 2. art. 2. §. 2. n. 22.

Operatio.

Ad licitè operandum requiritur iudiciū omnino certum, & infallibile de non peccato formali: quæst. 5. art. 6.

Opinio.

Explicatur essentia opinionis: quæst. 3. art. 1. §. 1. Firmo opinionis est duplex: formalis, & virtualis: ibi n. 2. Firmo formalis, & signata non est de essentia opinionis: ibi. Opinio re ipsa falsa potest esse simpliciter probabilis: quæst. 3. art. 2. per totum. Quod aliqua opinio sit damnata ab Ecclesia, non tollit, quod aliquando fuerit simpliciter probabilis: quæst. 3. art. 2. §. 3. n. 13. Duplex opinio opposita

potest esse simpliciter probabilis eidem intellectui: quæst. 3. art. 3. per totum; & quæst. 4. art. 8. §. 2. Sixtus IV. docet, duplicem opinionem posse esse simpliciter probabilem eidem intellectui: ibi §. 1. n. 22. Opinio probabilis falsa, licet non sit rata, & sana formaliter; potest esse tuta, & sana formaliter: quæst. 3. art. 3. §. 7. n. 38. Opinio dupliciter potest rejici ab aliquo: obiectivè scilicet, & subiectivè, ut sit alicui improbabilis, requiritur, quod illam rejiciat obiectivè: ibi n. 40. Duplex opinio contraria potest alicui intellectui apparere vera veritate rationali: ibi n. 41. Opiniones oppositæ non sunt rigorosè contrariæ: quæst. 3. art. 6. §. 2. n. 98. Agere contra legem cum opinione æquè, aut minus probabili de non existencia illius, non est agere cum conscientia dubia: quæst. 4. art. 8. §. 8. Coniux habens opinionem probabiliorum de nullitate Matrimonij tenetur reddere debitum: quæst. 4. art. 3. n. 31. In ordine ad inveniendam veritatem illicitum est assentiri opinioni minus probabili: quæst. 4. art. 4. §. 2. n. 51. & 55. Duplex opinio contraria potest esse vera veritate practica: quæst. 4. art. 5. §. 2. n. 64. Opinio probabilis potest ratione alicuius circumstantiæ reddi improbabilis: ibi art. 8. §. 9. n. 115. Agere cum opinione æquè, aut minus probabili de licito, non est idem ac agere cum conscientia dubia: quæst. 4. art. 8. §. 8. In dubio de damno, quod quis tenetur vitare, non sufficit opinio tantum probabilis ad licitè operandum; bene verò in dubio de licito: ibi n. 121. Qui operatur cum opinione æquè, aut minus probabili de licito, non se exponit periculo proximo frangendi re ipsa legem, provt ista habet vim obligandi: ibi §. 9. Agere cum opinione æquè, aut minus probabili contra legem, non est in transitivè peccare formaliter: ibi n. 133. Quælibet opinio de licito, sive magis, sive minus probabilis, est regula tuta operationis: quæst. 4. art. 8. §. 11. n. 195. Habet veritatem practicam: ibi n. 196. Ex eo, quod sit licitum amplecti opinionem de licito, sive magis, sive minus probabilem, non tollitur indigentia diligentia, & orationis: ibi §. 12. n. 198. Nec sequitur, quod quislibet Doctor sufficiens ad dandam opinionem probabilitatem sit tantæ auctoritatis, quantæ

est Summus Pontifex: ibi n. 199. Omnes opiniones probabiles sunt æquè tute formaliter, licet non materialiter: ibi n. 150. Sequi opinionem minus probabilem circa veram Religionem non licet: ibi n. 151. Aliquando non est licitum per accidens mutare opinionem probabilem: ibi.

Obiectum.

Obiectum intellectus est verum, sive veritate reali, sive rationali: quæst. 3. art. 5. §. 4. per totum. Obiectum ad intrinsecum malum non est ab intrinsecum obiectivè malum formaliter: sed tantum fundamentaliter: quæst. 4. art. 8. §. 10. n. 141.

P

Peccatum.

Omne peccatum est malum, quia prohibetur per legem æternam: quæst. 1. art. 3. §. 4. n. 66. & quæst. 2. art. 3. §. 1. n. 26. Non datur obligatio vitandi peccatum mortale: quæst. 2. art. 3. §. 3.

Prudentia.

Habet pro objecto verum practicum sive in re, sive apprehensione: quæst. 1. art. 5. §. 2. Si objectum prudentiæ non esset verum practicum sive in re, sive in apprehensione non esset in manu operantis frequentissimè prudenter operari: quæst. 1. art. 5. §. 4. n. 20. Ad prudenter, & honestè operandum requiritur iudicium omnino certum, & infallibile.

Periculum.

Qui tenetur vitare damnum, tenetur vitare periculum prudens talis damni: quæst. 1. art. 6. §. 5. n. 147. Periculum probabile sive magis, sive minus, est periculum prudens: ibi, & quæst. 4. art. 2. §. 1. per totum; & art. 8. §. 2. n. 97. Elicere aliquam actionem, se exponendo alicui periculo peccandi formaliter in ipsa actione, est peccatum formale: quæst. 1. art. 6. §. 6. n. 191. & quæst. 4. art. 8. §. 3. n. 97.

Probabile.

Probabile est idem, ac verosimile: quæst. 3. §. 2. num. 5. Dividitur in probabile per se, & probabile per aliud: ibi. Vbi alias divisiones probabilis invenies. Esse probabiliter verum, non est esse verum absolutè, sed cum restrictione: quæst. 3. art. 3. §. 5. n. 32. Si opinio minus probabilis non est simpliciter probabile

bilis in conspectu oppositæ probabilioris, communiter loquendo, non daretur certitudo de vera probabilitate vnius opinionis in conspectu alterius: ibi n. 33. Impli- car; quod duplex opinio contraria fit in rei veritate probabilior: ibi, & §. 6. Pro- bilitas suscipit magis, & minus: quæst. 3. art. 3. §. 7. n. 36. Non pugnat cum falsi- tate secundum se; sed cum falsitate, vt cognita: ibi n. 37.

Probabilismus.

Est conformis Sacræ Scripturæ: quæst. 4. art. 1. per totum. Est conformis doctri- næ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: quæst. 4. art. 2. per totum. Est conformis Sacris Ca- nonibus: ibi art. 3. Est de mente D. Au- gustini: quæst. 4. art. 4. per totum. Est de mente D. Thomæ: quæst. 4. art. 5. Est de mente D. Antonii: quæst. 4. art. 7. per to- tum. Est de meare gravissimorum DD: quæst. 4. art. 8. §. 1. per totum.

Probabilista.

Per hoc, quod sint Probabilistæ; non sunt incapaces absolutionis: quæst. 4. art. 8. §. 3. n. 9. Probabilistis in omnium sen- tentia est licitus Probabilismus: quæst. 4. art. 8. §. 13.

Probabiliorista.

Nomine Probabiliorismi adstruunt, & defendunt Tutorismum: quæst. 4. art. 8. §. 12. n. 53.

Præceptum.

Præceptum superioris non auget pro- bilitatem iustitiæ rei præceptæ: quæst. 4. art. 8. §. 5. per totum. Reddit opinio- nem, secundum quam præcipit, vnice practice probabilem.

R

Regula moralitatis.

Alia est obiectiva, & alia formalis; & vtraque dividitur in vniuersalem, & parti- cularem: quæst. 1. art. 3. §. 3. n. 60.

Religio nostra.

Probabilismus approbatur à N.S. Reli- gione: quæst. 3. art. 3. n. 28.

S

Sinderefs.

Non datur aliquod principium practi- cum, circa quod non versetur Sinderefsis.

quæst. 1. art. 3. §. 3. n. 61. Est quedam participatio luminis practici diuini, influit que proinde cum subordinatione physica ad illud, & in vi illius: ibi.

Scrupulus.

Non est licitum agere cum scrupulo, eo prius non deposito: quæst. 1. art. 6. §. 5. n. 146.

Sacramentum.

Circa materias, & formas Sacramento- rum illicitum est, amplecti opinionem probabilem minus tutam: quæst. 4. art. 2. §. 1. per totum.

Subditus.

Subditus in dubio alicuius materiæ de licito, & quando habet opinionem æque probabilem, tenetur obedire Superiori præcipienti talem materiæ: quæst. 2. art. 3. §. 4. per totum. Quando habet opinio- nem probabilioris de iniustitia alicuius ma- teriæ potest obedire Superiori illam ma- teriam præcipienti, & in valde probabili sententia tenetur: quæst. 4. art. 8. §. 4. Si iudicat probabiliter non teneri obedire Superiori præcipienti cum opinione pro- babili de iustitia materiæ præceptæ, excu- satur ab obligatione obediendi ratione ignorantia probabilis: ibi §. 6. n. 117.

T

D. Thomas.

Docet dari posse ignorantiam circa alia qua præcepta naturalia: quæst. 1. art. 1. per totum. Docet etiam, obiectum pru- dentia esse verum practicum, siue in re; siue in apprehensione: quæst. 1. art. 5. §. 1. n. 107. Docet, requiri ad minus certitu- dinem moralem de non peccato formali ad licite operandum: quæst. 1. art. 6. §. 4. per totum. Iuxta D. Thomam non datur obligatio obediendi legi invincibiliter du- bia: quæst. 2. art. 2. §. 1. n. 4. Docet, opinionem minus probabilem vt talem, esse simpliciter probabilem: quæst. 3. art. 3. n. 26. Et tandem docet omnes ferè con- clusiones huius tractatus.

Mater N. S. Theresia.

Non faret Probabiliorismo; sed potius Probabilismo: quæst. 4. art. 6. per totum.

V

Volunt

Voluntarium.

Aliud est voluntarium in se, aliud est voluntarium in causa.

Voluntas.

Ex duplici medio conducenti ad aliquem finem potest voluntas eligere minus con- ducens: quæst. 3. art. 4. §. 3. Dupliciter potest, voluntas eligere aliquid, quia vult: ibi n. 52. In aplicando intellectum ad

assensum non semper intendit inuentio- nem veritatis: quæst. 3. art. 5. n. 69.

Veritas.

Dividitur in speculativam, & practi- cam: quæst. 1. art. 5. Veritas speculativa desumitur ab eo, quod res est vel non est. Practica desumitur per conformitatem ad appetitum rectum.

INDEX QVÆSTIONVM, ET ARTICVLORVM, QVI IN hoc opera continentur.

QVÆSTIO PRIMA.

De conscientia recta, & erronea.

- Articulus 1. Vtrum iuxta D. Thomam detur ignorantia invin- cibilis iuris naturalis? fol. 1.
- Articulus 2. Vtrum, absolutè loquendo, detur ignorantia invincibilis iuris naturalis? fol. 9.
- Articulus 3. In vi cuius legis obliget con- scientia erronea? fol. 35.
- Articulus 4. Vtrum actus regulatus confi- ciencia erronea invincibili non solum excusetur à culpa, sed etiam sit positivè honestus? fol. 63.
- Articulus 5. Vtrum obiectum prudentia sit verum practicum, siue in re, siue in apprehensione ta- le? fol. 78.
- Articulus 6. Vtrum ad honestè operandū requiratur iudicium omninò certum, & infallibile de ho- nestate obiectiva, & formali operationis? fol. 94.

QVÆSTIO SECUNDA.

De dubio rigorosè tali.

- Articulus 1. In quo consistat dubium ri- gorosum? fol. 123.
- Articulus 2. Vtrum, attenda auctoritate, licitum sit agere contra legē invincibiliter dubiā? fol. 125.
- Articulus 3. Vtrum, attenda ratione, sit li- citum agere id, de quo invin- cibiliter dubitatur, an sit licitum? fol. 140.

QVÆSTIO TERTIA.

De opinionum probabilitate in ordine ad li- citè iudicandum.

- Articulus 1. In quo breviter explicatur; quid sit opinio, & quid proba- bile iuxta Probabilistarum mentem fol. 161.
- Articulus 2. Vtrū opinio re ipsa falsa pos- sit esse simpliciter probabi- lis? fol. 167.
- Articulus 3. Vtrum duplex opinio opposi- ta possit esse simul simpliciter probabilis eidem intellectui, fol. 177.
- Articulus 4. Vtrum, positis omnibus re- quisitis ad assensum probabi- lem alicuius extremi, possit intellectus tali extremo dis- sentire? fol. 214.
- Articulus 5. Vtrum licitū sit assentiri opi- nioni probabili in conspectu oppositæ æque, aut magis pro- babilis? fol. 243.
- Articulus 6. Vtrum intellectus possit tam physicè, quàm moraliter, pro- babiliter assentiri simul vtri- que extremo contradictionis? fol. 262.

QVÆSTIO QVARTA.

De opinionum probabilitate in ordine ad li- citè operandum.

- Articulus 1. Vtrum Probabilismus sit iux- ta Sacram Scripturam? fol. 271.
- Articulus 2. Vtrum Probabilismus sit iux- ta

ta

INDEX.

- ta doctrinam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Probabiliorismus ei adversus? fol. 282.
- Articulus 3.* Vtrum Probabilismus sit cõformior Sacris Canonibus Probabiliorismo? fol. 292.
- Articulus 4.* Vtrum Probabilismus sit de mente D. Augustini? fol. 305.
- Articulus 5.* Vtrum Probabilismus sit iuxta mentem D. Thomæ? fol. 314.
- Articulus 6.* Vtrum Probabilismus sit iuxta doctrinam Seraphicæ Virginis, & Matris nostræ D. Theresiæ? fol. 328.
- Articulus 7.* Vtrum Probabilismus sit iuxta doctrinam D. Antonini? fol. 332.
- Articulus 8.* Vtrum licitum sit sequi in operando opinionem probabilem simpliciter contra legem in conspectu oppositæ æquæ, aut magis probabilis pro lege? fol. 336.
- Articulus ultimus.* In quo traduntur aliquæ regulæ pro recto usu Probabilismi? fol. 411.

FINIS.

